WBP
Opole

WIMBP Opole I
591 st. 104/I,II s.
M 396/39 62 C

PRIMA PARS

CHRONICI CARIONIS LATINE

expositi & aucti multis & veteribus & recentibus Historijs, in narrationibus rerum Græcarum, Germanicarum & Ecclesiasticarum,

A

Philippo Melanthone.

Cui accessit locupletissimus rerum ac verborum memorabilium Index.



Cum Gratia & Privilegio.

VVITEBERGÆ

Excudebat Matthæus VVelack.

Anno M. D. LXXXII.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, Domino SIGISMVNDO ARCHIEPISCOPO Meideburgensi, Primati Germaniæ, Administratori Halberstadensi, Marthioni Brandeburgensi, Duci Pomeraniæ, &c. & Burggratio Noribergensi &c. Principi clementissimo,

S. D.

EXCELLVIT INGENIO, eruditione, consilio & virtute HERMANNVS BONNVS, qui in inclyta vrbe Lubeca & doctrinæ studia rexit, & Euangelium docuit. Is ante annos viginti Germanicum libellum, cui titulus est Chronicon Carionis, vt adolescentia inuitaretur ad historiarum lectionem, & illo Compendio nonnihil adiuuaretur, in quo Monarchiarum seriem, & temporum collationem in præcipuis Ecclesiæ, veteris Græciæ, & Romæ negotijs probauit, latinè interpretatus est. Eam interpretationem cum postea viderem non solum in manibus esse adolescentum, Sed etiam vagari per exteras nationes, retexendam esse iudicaui, non tàm vt au-

gerem (etsi enim quædam addidi, tamen compendij modus seruandus est) quàm vt phrasin Germanicam, quam interpres suo quodam consilio studiosius retinuerat, cùm quidem facundus & disertus esset, propter adolescentes & exteros mutarem. Nec alia causa fuit, cur hunc laborem susceperim. Vt enim lectio ametur, intelligi orationem oportet.

Cùm autem prima editio illustrissimo Principi Electori patri tuo dedicata sit, ne transferre munus in aliam familiam viderer, filio dedicare hanc editionem volui, quia patrem ipsum, cui iam historia Ecclesiæ & Imperiorum notissima est, scio velle talia iam à filijs legi, & se viuo vos in possessionem doctrinæ venire. Cum igitur non dubitem, eum pro sua excellenti sapientia hanc nostra inscriptionem probaturum esse, te oro, vt hunc librum accipias, ac non tàm meum, quàm paternum munus esse cogites, & propter patrem Principem sapientia & virtute excellentem, magis ames, & legas sæpius.

Est omnino necessaria singulis hominibus historiæ cognitio, sed maximè gubernatoribus, quæ sine temporum serie, sine gentium distinctione, & non monstrato Imperiorum ordine, lucem non habet.

Sæpè audiui narrare Capnionem, cum apud Philippum Principem Palatinum Electorem essent Dalburgius Episcopus Vangionum, Rudolphus Agricola & ipse, & non solùm in familiaribus colloquijs, sed etiam in deliberationibus de Republica sæpè narrarent insignia exempla vel Persica, vel Græca, vel Romana, mirificè accensum esse Principem studio cognoscendæ historiæ, sed dixisse, se animaduertere, distinctione temporum, gentium & imperiorum opus esse, eamq; ob causam petiuisse, vt sibi ex tota antiquitate, quantum nota esset, ex Ebræis fontibus, & ex Græcis ac Latinis Scriptoribus ordine contexerent Monarchias, vt mente complecti tempora mundi, & seriem maximarum mutationum posset. Nulli tunc extabant scripti lingua Germanica libri de veteribus imperijs: Nec latina, præter Iustini confusaneam Epitomen, quæ tamen distinctione temporum caret, habebantur. Erat ocium tunc illis doctis viris, & hoc labore delectabantur. Ordine igitur ex Ebræis, Græcis & Latinis mo-

numentis Monarchias recensent, & maximè digna memoria suo loco adhibita temporum & gentium distinctione inserunt. Legit auidissimè id scriptum Princeps ingeniosus, seq; lætari dicebat, diuinitùs conseruatam esse temporum seriem, & rerum præcipuarum memoriam. Ostenderant. n. ei continuatam esse mundi historiam ita, vt Herodotus inchoet suas narrationes paulò ante finem Propheticæ historiæ. Nam & ante regnum Persicum, de quo narrationes luculentæ extant in Daniele, Esdra & Nehemia, regum Assyriorum, & Aegyptiorum aliquot nomina sunt eadem in Prophetis & Herodoto. Apryi prædicit exitium Ieremiæ, quod describit Herodotus. Postquàm Ieremiam interfecit Apryes, postea Amasis captum Regem superbum strangulat. Agnoscere etiam sè Princeps Palatinus dicebat testimonia præsentiæ Dei in constitutione Monarchiarum, quia solis humanis viribus constitui & retineri non potuerint, & eò diuinitùs constitutæ sint, vt essent custodes humanæ societatis, coniungerent multas Gentes, restituerent leges, iudicia, pacem, vt docere homines de Deo possent. Sæpè igitur repe-

repetebat Danielis verba: Deus Imperia trãsfert & stabilit. In mutationibus etiam & Tyrannorum pœnis dicebat conspici iudicium Dei, et moneri totum genus humanum illustribus exemplis, vt agnoscat Deum, sciat ordinasse eum & velle iusta, & verè irascivolantibus ipsius ordinem. Tales erant eius Principis sermones considerantis ordine Imperiorum incrementa & ruinas.

Etsi autem necesse est iunioribus initio proponi talia compendia, tamen cùm accedit ætas, legendi sunt fontes, & historiæ, quæ extant sapienter scriptæ, cognoscendæ sunt integræ, quantum fieri potest. Est omnino excellentis sapientiæ & eloquentiæ opus historiam rectè scribere. Sed sapientia est etiam lectori necessaria considerare, quæ commonefactiones ex historijs sumendæ sint, de quibus hæc regula tenenda est: Sit vitæ norma Decalogus, id est, lex Dei, sicut scriptum est: In præceptis meis ambulate. Postea historias sciamus legum exempla esse, ac monstrare pœnas atrocium scelerum, & liberationes iustorum. Ac in vtrisq; non tantum euentus intueamur, sed Dei præsentiam cogitemus, qui sui ordinis custos est.

Historiæ Ethnicæ magis proponunt exempla secundæ tabulæ Decalogi, quorum multa pertinent ad præceptum, Non occides, ad quod & hæc regula pertinet: Omnis qui gladium acceperit, videlicet, non datum à legibus, gladio peribit. Quàm multi Tyranni, quàm multæ Gentes pœnas dederunt, iuxta hanc regulam. Mouit Annibal non necessarium & iniustum bellum. Etsi autem vtring magnæ clades acceptæ sunt (nam bella communes pœnæ sunt vtriusq; partis) tamen Romani vincunt tandem. Plenæ sunt historiæ talium exemplorum. Et in hoc genere multa errata accidunt. Brutus et Cassius existimant se iustam habere causam interficiendi Iulij. Piso, Marius & multi sapientes contrarium iudicârunt. Et lex diuina inquit: Qui potestati resistunt, incident in pœnas. Monent igitur historiæ, vt rectè iudicetur, quòd cùm in rebus obscuris difficile sit, diligentia adhibenda est, & à Deo consilium petendum est, & non necessaria in magnis rebus non sunt tentanda.

Multa exempla pertinent ad præceptum, non mœchaberis, cui lex addit comminationem: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes,

tiones, eradicabitur. Sæpè igitur propter libidinum confusiones totæ Gentes deletæ sunt. Sodoma, Thebæ, Troia. Contra Dauidem horrenda seditio mota est à filio, trucidata multa millia ciuium, contaminatæ sanctæ matronæ. Est & vrbe Roma stirps Regia expulsa. Et in conspectu sunt exempla quotidiana. Vagantur pœnæ per Regum, Principum & priuatorum familias propter adulteria & incæstas contaminationes.

Multa exempla pertinent ad præceptum, Non furtum facies, cui præcepto addita est comminatio: Væ qui spolias, quia spoliaberis. Chresphontes defraudatis orphanis fallaci sortitione occupauit Messenen. Postea ciues eum interfecerunt, & coniunx Merope furens filios interfecit. Hæc pœna fuit fraude occupati alieni regni deceptis orphanis.

Hæc eò dixi, vt exempla ad regulas prudenter accommodentur, & cogitemus, Legem Dei normam vitæ esse oportere, & exempla pœnarum ad comminationes diuinas congruere. Nihil dubium est, pœnas in hac vita mortali comitari atrocia delicta, etiamsi mitigantur ijs, qui ad Deum redeunt.

Deinde quantus vsus est Chronicorum & historiæ in doctrina primæ tabulæ Decalogi? Necesse est scire seriem patefactionum diuinarum, legis & promissionis gratiæ. Necesse est considerari, quæ & vbi semper vera Ecclesia Dei fuerit, quæ fuerit vox veræ doctrinæ, quàm horrendæ tenebræ fuerint, & sint in maxima multitudine hominum, qui discesserunt à vero Deo & à vera doctrina, & furenter excogitarunt commentitia numina.

Ostendunt etiam historiæ ærumnas Ecclesiæ, & testimonia præsentiæ Dei in liberationibus. Ac sapienter accommodanda sunt exempla ad primam tabulam, quomodo tolerandæ sint ærumnæ, & quomodo petenda & expectanda sit liberatio. Semper certa sit spes salutis æternæ, etiamsi in hac vita mortali magnis calamitatib. opprimimur. Mitigantur tamen hæ quoq; rectè inuocantibus, vt Dauidi, Iosaphat, Ezechiæ, Manassæ, & alijs innumerabilibus, quorum exempla congruunt ad regulas: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, & vt vermiculus, eritis candi-

candidi vt nix. Vt enim exemplis rectè vti possimus, simul & regulas oportet notas esse.

Iam de controuersiis Ecclesiæ quantum refert scire veteres dijudicationes, qui fuerint testes veræ sententiæ, quæ fuerint hostium agmina? Quàm dulce est videre consensum Irenæi, Gregorij Neocæsariensis & similium veterum τῶν λόγων, qui antecesserunt Synodum Nicænam, sicut & Ignatius scribit, sæpè repetens hæc verba: θεὸς λόγῳ, & λόγος οὐσιώδης non sonus euanescens. Et Alexander Episcopus Alexandrinus, qui refutationem Arij scripsit ante Nicænam Synodum, testimonia superiorum temporum recenset, & inter cætera inquit: ἠναγχάσθη ἐπαναστᾶσα τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐσεβείᾳ, διδασκαλίᾳ, βιώσει ὅσῃ καὶ ἀρτεμᾶ καὶ χιλῶν τῷ μακαρίῳ παύλου τοῦ σαμοσατέως σωσθῆναι καὶ κρίσει τῶν ἁπάντων ἐπισκόπων ἀποκηρυχθέντος τῆς ἐκκλησίας. Hæc omnia, si non extarent historiæ, prorsus ignota essent, ac ne hoc quidem sciretur, quæ prior, quæ posterior sit doctrina, quod considerari necesse est, quia non contemnenaum est Tertulliani dictum: PRIMVM QVODQVE VERISSIMVM EST.

Cùm

Cùm MELETIVS seditionem in Ecclesia Alexandrina moueret, de lapsis non recipiendis, qui supplices ad Ecclesiam redire volebãt, Petrus Episcopus exempla vetustatis opposuit, & vera consolatione erexit eos, qui ad veram inuocationem redituri erant. Eius iudicij memoriam gratam esse pijs contra NOVATI rabiem manifestum est. Extant et vera testimonia contra Martionem, Manichæos & Pelagianos edita, in quibus multùm ab Historia adiuuamur.

Nec tantùm prodest videre, vbi rectè iudicatum sit, sed etiam vbi veritas Hypocritarum factionibus oppressa sit. Quia interdum hoc quoq; accidit: Vt, cùm falsa decreta facta sunt, quæ Romano Pontifici tribuunt summam autoritatem non solùm in Ecclesia, sed etiam in transferendis imperijs mundi. Item, de adoratione hominum mortuorum, de circumgestatione panis in pompa Persica, de Sacrificio venali, de Cœlibatu. Hæc decreta, etsi aliquot seculorum spacijs confirmata sunt (vt propter temporis longitudinem sit illud Simonideum, δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν) tamen deprehenditur vanitas, non solùm ex scriptis

ptis Propheticis & Apostolicis, sed etiam ex consensu purioris antiquitatis, quem historiæ dignæ fide ostendunt ab hac recenti turba Pontificum & Monachorum dissentire. Semper autem in exemplis anteferenda sunt ea, quæ cum norma iudicij congruunt, videlicet cum scriptis Propheticis & Apostolicis, iuxta dictum: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit.

Considerentur autem præcipuè in historia Ecclesiæ semina vtriusq; Imperij huius senectæ mundi, Mahometici & Pontificij. Vtrumq; ortum est ex dissidijs de doctrina. Cùm in Oriente dilaceratæ essent Ecclesiæ, non tantum Ariana peste, sed etiam Manichæis & alijs furoribus, & hæc varietas in multorum animis dubitationes & odium religionis Christianæ & nominis Christiani accenderet, & disciplina laxata esset, facilè impelli homines potuerunt, vt nouum dogma, quod obscuras dissipationes tollebat, & tantum plausibilia humanis iudicijs proponebat, amplecterentur, præsertim cùm & Imperium Romanum multæ gentes iam & odissent & contemnerent, auidè arripuerunt illæ gentes alioqui

alioqui & curiosæ & leues, Aegyptia, Arabica, Syriaca, opiniones populares, & autorem Mahomet marmauerunt.

Præcipuè verò potentia Romani Pontificis creuit, cùm attracti sunt Franci in Italiam, quod fiebat Græcorum odio, non quidem iniusto. Nam & iniusta eorum Imperia erant, & vires non erant pares ijs gentibus, quæ Italiam vastabant: Sed tamen alia causa prætexebatur, accusabantur Græci, quod delerent picturas & statuas templorum. Sciebant autem Romani Pontifices, valdè abhorrere Gallorum & Germanorum animos ab εἰκονομαχίᾳ quare facilè persuadebant nostris, vt Græcos tanquàm Religionis hostes, procul ex Italia depellerent. Postea propter Regum discordias creuit Pontificum autoritas, qui Italiam inclinabant ad quos volebant. In his confusionibus tandem nati sunt MONACHI, quorum auaricia cumulauit Idola & errores.

Harum rerum series, cùm in historia conspicitur, accendatur in nobis cura rectè discendi, & tuendæ coniunctionis in vera Ecclesia. Quam ad rem etiam opus est candore

dore & moderatione disputationum & adfectuum. Quia non sine graui causa Platonicum illud celebratum est: τὰ μεγάλα κακὰ οὐκ ἄλλως ἢ ἐκ φιλονεικείας σωίσαται.

Oro autem filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, vt semper Ecclesiam sibi inter nos colligat. Horribilis mutatio omnium regnorum generi humano impendet, in qua barbaricam vastitatem fieri in his regionibus filius Dei prohibeat. Nos etiam pietate morum & inuocatione Dei studeamus impetrare pœnarum mitigationem. Et diligentiam in studijs doctrinæ & in fouendis Ecclesijs adhibeamus, ne tristissima pœna obruamur, de qua scriptum est: Quia scientiam repulisti, repellam te. Crescit feritas in moribus, negliguntur doctrinæ studia, & ducitur esse virtus laxare disciplinam. His publicis malis omnes gubernatores summi & infimi repugnare debent. Cumq; nos, quibus doctrinæ propagatio commendata est, iuuentuti hortatores esse debeamus ad rectè discendum, & ad omnia honesta officia auxilijs gubernatorum indigeamus, oro vt boni

ni Principes & alij gubernatores considerent singulorum labores, & rectè docentes & amãtes communem salutem, & concordiam adiuuent. Ego quidem hac voce Paulina, & me & alios in his docendi laboribus sæpè confirmo: Non erit inanis labor vester in Domino. Non dubito Deum gubernatorem & βραβευτὴν esse nostrorum laborum, & eum assiduis gemitibus & votis oro, vt faciat me σκεῦος ἐλέους, & organum vtile discentibus. Et huius meæ voluntatis conscientiam oppono Sycophantarum crudelitati, & spero sapientum & bonorum iudicia de me esse mitiora, quàm sunt inimicorum. Lætabor etiam, si tibi & alijs iunioribus huius libri lectionem gratam fuisse intellexero. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus te protegat & gubernet. Anno M.D.LVIII.

Philippus Melanthon.

CHRONICI CARIONIS

à Philippo Melanthone aucti & expositi

PARS PRIMA.

PRÆFATIO.

LEgerunt historias omnibus ætatibus etiam Ethnici, & quia cognitio per sese expetitur, & quia in exemplis multiplices commonefactiones proponuntur, tùm de priuatæ vitæ officijs, & de causis calamitatum, tùm verò de consilijs publicæ gubernationis, & de causis multarum horribilium mutationum in imperijs, sicut grauissimè Polybius inquit: Historiæ cognitionem esse verissimam institutionem & præparationem ad actiones politicas, & illustrem Magistram ad perferendas fortunæ vices. Etsi autem de Polybij dicto nunc non disputo, tamen manifestum est, exempla consiliorum in gubernatione multum prodesse: Vt vrbs Roma præcipuas leges, & iudiciorum ordinem accepit à ciuitate Attica. Sæpè etiam singularia exempla alterius Reipublicæ imitata est, vt cum vsurarum magnitudo præbuit occasionem seditionibus, consilium Solonis secutum est de σεισαχθείᾳ, & redegit vsuras ad centesimas. Item, cùm interfecto Iulio sanxit Senatus ἀμνηστίαν, vt fece-

rat Athenis Thrasibulus. Et vt Lysander in Græcia constituit ὀλιγαρχίαν, ac populo ademit summam autoritatem, & remouit Oratores, qui populum concitabant: Sic Romæ Sylla debilitauit Tribunitiam potestatem. Postea Augustus totum ius Tribunitiæ potestatis ad se vnum transtulit quia sæpissimè fuerunt tribuni tubæ seditionum. Ideò autem Augustus ad se transtulit, vt etiam cùm non erat Consul, ius retineret conuocandi Senatus, quod habuerat potestas Tribunitia. Et regulæ illæ tutiores sunt: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Item, sapientissimè constitutus est Senatus Electorum in Germania qui iam annis quingentis neruus fuit Germanici Imperij. Etsi autem autores huius consilij Deus singulari modo vexit: Tamen exempla aliqua considerasse eos consentaneum est. Et penè similem potestatem in Lacedæmone quinq; Ephori habuerunt, aut mitio septem Principes in Perside.

Nec tantum ad imitationem bonorum consiliorum prodest historia, vt imitatio Stratagematum, sed multò magis ad præmonitionem in cauendis causis horribilium mutationum & calamitatum, cum regula vniuersalis sit: Atrocia delicta puniuntur atrocibus pœnis in hac vita. Recitant historiæ omnium temporum exempla, de pœnis blasphemiarum, periuriorum, Tyrannidæ crudelitatis, seditionum flagitiosarum libidinum, & rapinarum, quæ pœnæ testimonia sunt prouidentiæ & iudicij diuini, & harum regularum: Non habebit Deus insontem quicunq; vanè vsurpat nomẽ eius.

eius. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, de libidinibus: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, delebitur. Item: Væ, qui spolias, quia spoliaberis. Et potest ceu commune argumentum inscribi omnibus Historijs: Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

Deinde de multis peculiaribus negotijs Historia monet. Sæpè fuerunt infelicia fœdera, præsertim dissimilium. & quia fiducia propriarum virium est insolens & infelix. Vnde sequitur quod dictum est à Theognide: ὕβρις καὶ μάγιστα ἀπώλεσε, καὶ κολεφῶνα. Et accedit hoc, quod causæ dissimiles sunt, vbi multi dissimiles coniuncti sunt. Vt, Atheniensium & Corcyreorum fœdus vtrisq; exitiale fuit, cùm Attici propter coniunctionem cum Corcyreis, quam fecerant in causa dubia, mouissent bellum Peloponnesiacum. Item, postea propter fœdus cum Phocensibus seditiosis attraxerunt regem Macedonicum. Et regula est de dissimilium fœderibus apud Thucydidem libro tertio. Ἐν τῷ δὲ διαλλάττοντι γνώμης διαφορὰ ἐς γωρ καθίστησι τὰ. Id est, Dissidentibus opinionibus & voluntatibus fiunt diuersa opera.

Docet item, tantùm necessaria facienda esse, nec mouendas esse res non necessarias stulta πολυπραγμοσύνη quæ varias habet causas. Interdum æmulatio incendit animos, vt, Marius & Pompeius bella ciuilia mouerunt præcipuè ex æmulatione. Interdum ingenij pertinacia attrahit bellum. Causa belli Peloponnesiaci

proxima fuit Periclis pertinacia, nolentis retractare iniustum decretum de Megaris. Cato nec morte Pompeij, nec amissis tot exercitibus permouetur, vt arma deponat. Sæpè ambitione mouentur res non necessariæ ab inquietis ingenijs, Vt: Alcibiades suasor est belli gerendi in Sicilia, cùm patria domestico bello arderet, & nulla magna causa esset, tàm procul mittendi robur ciuium. Agathocles circumsessa vrbe Syracusana abducit exercitus in Aphricam, qui ibi trucidantur. Sic aliquoties Galli exercitus in Italiam duxerunt.

Interdum mouentur animi κακοζηλία. Vt, Demosthenes imaginatur suum consilium esse Themistocleum, defendendam esse Græciæ libertatem contra exteros reges. Cicero, qui antea Catilinam oppressérat, sperat se simili felicitate Antonium oppressurum esse. Hoc modo sæpè in Ecclesia peccatur, vt Zedechias scit à prioribus regibus defensum esse templum, ac sperat suam defensionem fore felicem, quam Ieremias contra superiorum Prophetarum exempla dissuadebat. Iudæi aliquoties aduersus Romanos mouerunt seditiones, tanquam imitaturi Iosuam aut Maccabæos &c.

Cùm igitur legimus, quales habuerit euentus πολυπραγμοσύνη, cogitemus de regula: Necessaria facienda esse, & quidem cùm petitione auxilij diuini, Non mouenda esse non necessaria. Ideò inquit Paulus: Qua vocatione vocatus es, in ea ambula. Et Syracides inquit cap. 3. Quæ mandata sunt tibi, cogita sanctè. Qui

Qui amat periculum, peribit in eo. 1. Thessal. 4. Sitis quieti, & agite propria. Vbi præcipit Paulus de vitãda πολυπραγμοσύνη, quæ ruit extra vocationem. Tales multæ admonitiones traditæ sunt, etiam ab Ethnicis sapientibus. Spartam nactus es, hanc orna. Et Aristophanes Periclem exagitat in fabula, cui titulus est Acharnensis: ἐχρῆν ὦ, οὐχλῶν. Ἀλλά τι χλῶν εἶπατε, id est, Dicat aliquis: Non opus erat. Sed dicite, Quid opus erat? Item: πλείω πάρεργα ἔργων. Denique de multis vitæ consiliorum regulis historiæ nos monent. Et prudenter in exemplis considerandum est, ad quas regulas vitæ accommodanda sint. Sed nunc de nobis in Ecclesia dicamus.

Præcipuè historia opus est in Ecclesia, Primùm, quia Deus immensa bonitate sua se patefecit, & patefactiones suas scribi voluit. Vult sciri initia generis humani, Ecclesiæ exordia, instaurationes, conseruationem & reuelationem promissionis de Filio, gloriosam promulgationem Legis, missionem Filij, & illustria testimonia, quæ subinde edita sunt, vt nos de doctrina confirmaremur. Vult sciri discrimen Ecclesiæ, & aliarum congregationum siue Sectarum, & cognosci omnibus temporibus, qualis fuerit Ecclesia. Ideò Historiam Deus nobis per Patres & Prophetas optimo ordine, & numero annorum diligenter tradito, scribi voluit. Ac singulare decus est Ecclesiæ, quòd non alibi in toto genere humano inuenitur antiquior series Imperiorum & temporum. Nec alia gens ha-

bet retro annotatos certò numeros annorum.

Præterea non modo decus est Ecclesiæ sed testimonium etiam de Deo, de prouidentia, de veritate doctrinæ in Ecclesia, quòd ordine Monarchias quatuor statim initio secundæ, videlicet Persicæ, describit. Simul etiam multa magna bella regum Ægyptiacorum & Syriacorum prædicit. His Vaticinijs cùm euentus respondeat, fatendum est, & prædictiones illas à Deo traditas esse, & hanc doctrinam solam de Deo, quæ simul tradita est per illos ipsos Prophetas, veram esse. Item, seruari à Deo Ecclesiam inter horrendas imperiorum confusiones, & propter eam Deo curæ esse Imperia.

Secundò, vt libri Prophetici melius intelligantur, omnium temporum historia complectenda est. Et considerent Iuniores, ferè ibi Herodotum ordiri suam historiam, vbi Ieremias desinit, videlicet in Rege APRIÆ, qui Ieremiam interfecit. Erit igitur continua mundi historia: Libri Prophetici, Herodotus, Thucydides, Xenophon, Diodorus de Philippo, Alexandro, & successoribus, Polybius, Liuius, & deinde alij post Liuium.

Tertiò ad dijudicationes grauissimarum controuersiarum, prodest nosse historias. Vt statim post Apostolos orta sunt certamina plurima.

CERINTHVS, Ebion, deinde Samosatenus & Arius lacerarunt doctrinam de filio Dei.

MANICHAEI finxerunt duo principia, pariter

riter æterna, contraria, Bonum & Malum φῶς καὶ ὕλη. Probauerunt necessitatem Stoicam, damnauerunt certos cibos.

TACIANVS & alij multi damnarunt Coniugium. Alij, vt Carpocrates, finxerunt raptus diuinos, & voluerunt communes esse mulieres. Multi, & nominatim Pelagius, penitus damnauerunt doctrinam de Gratia & de iustitia Fidei.

In talibus materijs valdè prodest scire, per quos veritas defensa sit, quibus argumentis mendacia refutata sint, quæ testimonia diuinitùs edita sint. Vt Iohannes refutauit Cerinthum, & Cerinthum ruina balnei oppressit. Samosatenum refutauit Gregorius Neocæsariensis, clarus miraculis, & Dionysius Alexandrinus. Marcionem & colluuiem Manichæorum refutarunt Polycarpus auditor Iohannis, & Irenæus auditor Polycarpi. Manem, qui primus autor fuit Manichææ impietatis, interfecit rex Persicus, detracta ei cute, quod in curatione filij comperit, eum esse impostorem, non medicum. Marcion Diaconi coniugem ex Cypro abducit, quæ postea reuersa multa de Sectæ turpitudine narrauit. Arium refutauit tota Nicæna Synodus, in qua multi Martyres fuerunt. Et ostendit Deus iudicium suum aduersus Arium, qui cũ haberet nouam aulæ beneuolentiam, Byzantiũ iturus ad disputationẽ, subita consternatione oppressus, declinans de via ad latrinam, ibi sanguinem & intestina effudit. Atque ita penè vt Iudas mortuus est, vt hoc

tempore aliquot Hypocritæ extincti sunt subitis terroribus, qui confessi sunt, se contra conscientiam oppugnasse veritatem. Latomus Louaniensis inter horrendos mugitus confessus est, se contra conscientiam aduersatum esse veritati. Pelagium refutârunt Ambrosius, Augustinus, Prosper & alij.

Post ea tempora cum Romanum Imperium dilaceratum esset à Gothis, Vandalis & Hunnis, infusæ barbaræ gentes in Italiam, Græciam, & Asiam, mutârunt linguam, & multas Ecclesias & Scholas deleuerunt. Inde sequutæ sunt in doctrina tenebræ, & noua doctrinæ forma nata est, & multæ superstitiones receptæ & confirmatæ sunt: Vt, Sacrificia pro mortuis, & inuocatio hominum mortuorum, & initia Monachorum. Et paulatim creuit Romani Pontificis potentia, quæ deinde Germanicorum Imperatorum libertate instructa est magnis opibus, qui ei multa oppida in Italia attribuerunt. Hanc potentiam auxerunt postea fraudibus & bellis, & ex imperij reliquijs multa occupârunt.

Horum bellorum causæ ex veris historijs iudicari possunt, quæ ostendunt, quibus occasionibus regna Pontifex Romanus dare & eripere Regibus conatus sit, & finxerunt summam Monarchiam Imperiorum PETRO datam esse, iuxta versum scriptum in corona Rodolphi, quem Papa Imperatorem nominauit contra Henricum quartum: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. Leguntur & Synodi pontificiæ, in quibus

in quibus confirmati sunt errores & Pontificia tyrannis. Magna igitur vtilitas est historiæ in dijudicatione multarum controuersiarum.

Postremò & hæc ingens vtilitas adsiduè cogitanda est, in collatione historiarum Ethnicarum & nostrarum. IN HISTORIIS ETHNICIS tantum cernuntur exempla iræ Dei contra atrocia scelera, iuxta regulas: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, contra periuros: Non habebit Deus insontem, qui vanè nomen eius vsurpat. Item: Væ qui spoliàs, quia spoliaberis. Item: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, eradicabitur &c. AT IN HISTORIA ECCLESIÆ vtriusq; generis exempla proponuntur. Exempla iræ in pœnis, vt diluuij, conflagrationis Sodomæ, interitus Pharaonis, & alia multa, quæ ad Legem referantur. Item, exempla misericordiæ seu gratiæ, quæ ad Euangelium referantur. Et testimonia manifestæ præsentiæ Dei in Ecclesia, quæ docent nos de Fide, de vera inuocatione, de veris cultibus, & valdè confirmant pias mentes. Vt, post lapsum voce Filij recepti & seruati sunt Adam & Eua. Manifesta præsentia Dei est in familijs Noæ, Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, & deinde in Ecclesia Israël in deserto. Postea quoq; in gubernatione Iosuæ, Gedeonis, Samsonis, Samuelis, Ionathæ, Dauidis, Iosaphat, Eliæ, Elisæi, Ionæ, Ezechiæ, Esaiæ, Ieremiæ, Danielis, manifesta præsentia Dei in Ecclesia conspicitur. Hanc totam seriem Ecclesiæ omnium temporum in-

intuerì vtile est. Ac in vniuersa historia discernantur narrationes de Ecclesia ab Ethnicis materijs. Et vbi singulis temporibus fuerit Ecclesia, quam habuerit doctrinæ vocem, quos præcipuos Doctores & testes, quæ certamina, quales ærumnas & liberationes, consideretur.

Hanc admonitionem de vtilitate historiæ & de Ecclesia discernenda ab Ethnicorum tenebris, mitio propter iuniores recitaui, & vt auidius legant Historias, & vt Ecclesiam rectius nosse discant.

DE ORDINE LIBRI.

VTILE est, semper in conspectu habere quantum fieri potest, omnium temporum seriem & præcipuas generis humani mutationes: Ad id maximè conducit nosse dictum, quod recitatur in Iudæorum commentarijs, hoc modo:

TRADITIO DOMVS ELIÆ.

Sex millia annorum mundus, & deinde conflagratio.

Duo millia inane.

Duo millia Lex.

Duo millia dies Messiæ. Et propter peccata nostra, quæ multa & magna sunt, deerunt anni, qui deerunt.

Hoc modo Elias de duratione generis humani vaticinatus est, & præcipuas mutationes distinxit. Duos primos millenarios nominat INANE, quod simpliciss-

pliciss imè sic interpretor, nondum homines procul dissitas regiones occupasse ante conditam Babylonem. Alij dicunt, nominari Inane, quia nondum certa politiæ Ecclesiæ constituta fuit, & nondum segregata fuit Ecclesia à cæteris gentibus. Nondum etiam erant Imperia, qualia postea in Monarchijs fuerunt. Sed quæcunq; causa est, quare sic dixerit Elias, hoc non dubium est, primam ætatem fuisse florentissimam, quia natura hominum minus languida fuit, quod ostendit longæuitas. Et fuit excellens dotus, quod sapientissimi Senes, pleni diuinæ lucis simul vixerunt, & de Deo, de creatione, de edita promissione testes fuerunt, & multi artes inuenerunt & illustrarunt.

Secundum tempus à Circumcisione numeratur vsq; ad natum Messiam ex virgine, quod non multo minus duobus millenarijs continet.

De tertio tempore significat fore, vt non compleantur duo millenarij, quia nimium crescet impietas, propter quam citius delebitur totum genus humanum. Et Christus se palàm ostendet in iudicio, vt inquit: Propter electos dies illi breuiores erunt.

Distribuemus igitur historiam in tres libros iuxta dictum Eliæ.

PRIMI LIBRI narratio breuis est, etsi haud dubiè ante diluuium Deus multa illustria testimonia de sese edidit, & varia certamina fuerunt Ecclesiæ & imperiorum, & multa admiratione digna in artium inuentione excogitata & tradita sunt.

SECVN-

SECVNDVS LIBER erit prolixior, quia tunc & Ecclesia habet suas mutationes, promissio repetitur, & alligatur ad certam stirpem, & Ecclesia distinguitur à cæteris gentibus, & fit promulgatio legis, & collocatur Ecclesia in sede & politia certa. Et in id tempus incidunt Monarchiæ, in quibus magnæ mutationes generis humani acciderunt, dignæ consideratione. Ac prædixit Deus seriem quatuor Monarchiarum, vt significet Messiæ aduentum & finem Mundi, videlicet humanæ generationis, & tempus vltimi iudicij. Intelligas autem MONARCHIAM non quidem complexam omnes regiones & gentes, sed tantam, quæ magnam partem orbis terrarum tenuit, & tantam habuit potentiam, vt cæteros Reges compescere posset. Ideò enim voluit Deus Monarchias constitui, vt homines legibus, iudicijs & disciplinis regerentur.

Hoc vt fieret, Deus dedit Monarchas instructos potentia, qui & leges honestas conderent, & iudicia ac disciplinam armis defenderent. Et mutat Deus imperia, cùm hæc officia negliguntur, & Principes vel ipsi facium, vel non puniunt iniustas cædes, libidinum confusiones, direptiones, & alia atrocia scelera. Vult enim Deus politicum ordinem testimonium esse de prouidentia, & de iudicio suo, & vult hoc modo vtcunq; seruari societatem hominum, coniugia, disciplinam, doctrinas, & vult Imperia esse hospitia Ecclesiæ.

Est

Est & hoc singulare Monarchiarum decus, quòd aliqui præstantes Reges in numero Monarcharum vocati sunt ad veri Dei agnitionem, & ad ornandam Ecclesiam, Vt, Nabuchodonosor, Euilmerodach, Darius, Medus, Cyrus, Artaxerxes Longimanus, Constantinus, Theodosius, Arcadius, Valentinianus, Carolus Magnus, Ludouicus pius, Henricus Saxo, Otto primus, vt de cæteris non dicam.

Ostendit autem liber Danielis, Deum ipsum quatuor Monarchias numerare, & significare, quartæ Monarchiæ tempore Messiam palàm prædicaturum esse Euangelium, & sacrificium facturum, ad quod mittendus erat, & deinde finem fore generationis hominum, & sequuturam esse resuscitationem hominum mortuorum. Voluit enim Deus sciri, hanc generationem hominum non fore perpetuam. Voluit item sciri tempora vtriusq; aduentus CHRISTI. Ac magna confirmatio est piorum: cùm videmus hunc fuisse Monarchiarum ordinem & successionem, vt prædicitur, non dubitemus, sequuturum esse iudicium. Sic autem numerantur Monarchiæ.

1. Prima est CHALDÆORVM, qua & Assyrij vicini comprehenduntur. Nam alias statim initio potentiores fuerunt reges in Babylone, alias vicini Reges in Niniue. Nec dubium est Babylonem & Niniuen diuersas vrbes esse.

2. Secunda dicitur PERSARVM.

3. Tertia ALEXANDRI & proximorum successorum.

4. Quarta

4. *Quarta* ROMANORUM, *quam significat Daniel tandem dilacerandam esse, & pedes partim ferreos, partim luteos fore. Etsi alij ferreos pedes intelligunt regnum Turcicum, cæteros Monarchas luteos pedes: tamen existimo, Turcicum regnum, quod manifestas blasphemias contra verbum* DEI *profitetur, & ex professo delere nomen Christi conatur, non annumerari Monarchijs, quas Deus legum & disciplinæ causa constituit. Sed ferreos pedes intelligo aliquot potentes Imperatores Germanicos, vt Carolum primum, Ludouicum filium, Henricum Saxonem, quem vsitatè Aucupem nominant. Veteres Germanicæ Historiæ nominant eum Humilem, vt sic dicam. Deinde Ottones, Henricum Bambergensem. Postea fuerunt multi imbecilliores, quos significant lutei pedes. Sed mixti fuerunt & fortes Principes, qui res veiles gesserunt, vt Lotharius Saxo. Nam Turcicum Imperium prorsus à Monarchijs seiungo, quas Deus legum & disciplinæ causa constituit.*

Sunt igitur peculiares descriptiones Turcicæ tyrannidis. Vt apud Ezechielem prophetia de Gog & Magog propriè ad Turcas pertinet. Et cornu loquens blasphemias, & conterens Ecclesiam apud Danielem, de toto Mahometico regno concionatur. Singularis furor est ortus à Diabolis in hac vltima senecta mundi, Deo permittente, propter horribilia hominum peccata, Tyrannis MAHOMETICA, *dissi-*

dissimilis omnium regnorum: Quia ex professo conatur delere nomen CHRISTI. *Nec ornat genus humanum legibus aut disciplina, sed vastat orbem terrarum, vt & nomen Turca vastationem seu vastatorem significat.*

Sit autem grata nobis consideratio, quòd DEVS *& Germanicam gentem hoc honore ornauit, vt reliquias Romanæ Monarchiæ eam tenere, & præcipuos esse custodes Europæ voluerit. Nec dubium est, Italiæ post longas vastationes salutarem pacem & ornamenta ciuilia restituta esse Caroli & Ludouici virtute, & ab his defensam esse Galliam & Germaniam, depulsis à Gallia Saracenis, & à Germania Vngaris, ornatas esse Ecclesias, & excitata doctrinarum studia, cùm in Ægypto & in Aphrica penitùs deletæ essent Ecclesiæ, & in Asiam infusi essent Saraceni & Turci, qui ibi quoq; delebant Ecclesias & literas. Vt igitur in Europa reliquiæ Ecclesiæ & doctrinarum seruarentur, rursus ibi diuinitùs pulchra coniunctio facta est, Italiæ, Galliæ & Germaniæ, quæ ab vno* CAROLO *tenebantur, qui tanquam Monarcha erat Europæ, & custos pacis, religionis, legum & disciplinæ. Postea Italiæ & Germaniæ coniunctionem retinuerunt Otthones, Henricus Bambergensis, & Cunradus Spirensis. Post hunc cùm iam Romanorum Pontificum potentia creuisset, furiæ Pontificiæ accenderunt in Germania bella ciuilia, quibus potentia Germanici Imperij præcipuè languefacta est.*

Non

Non enim procul abest dies triumphi, in quo se Filius Dei palam ostendet generi humano, & Ecclesiam æterna gloria ornabit, & omnes impios in æternas pœnas abijciet. Interea tamen, vt minus sit confusionum, optandum est, vt Principes in Germania hoc decus sapientia & virtute tueantur, nec priuatis discordijs Germaniam ipsi dilacerent. Hanc curam præcipuam esse oportebat summi in terris Senatus, videlicet, collegij ELECTORVM, *vt Europa & caput & vires haberet contra Turcicam barbariem, & Tyrannos, qui iniusta bella mouent, pernicioſa toti Europæ. Nos autem Deum ardentibus votis & gemitibus precemur, vt in hac turbulenta senecta mundi, & ruinis Imperiorum, seruet aliqua Ecclesiæ hospitia, & tribuat eis salutarem gubernationem.*

ANNORVM SERIES EX Philone.

MILLE *sexcenti quinquaginta sex ad diluuium.*

Ducenti nonaginta duo ad Abraham natum.

Quadringenti viginti quinq; ad Moisen natum.

Octoginta ad exitum ex Ægypto.

Quadringenti octoginta ad templum Salomonis.

Centum triginta octo, ad regem Ioas, & finem stirpis Salomonis.

Ducenti nonaginta vnus, ad migrationem spontaneam Ieconiæ.

Vndecim

Vndecim ad excidium Ierosolymæ sub Nabuchodonosor.

Septuaginta exilij Babylonici post destructam Ierosolymam.

Triginta sex, Iesus magnus Sacerdos, cuius fit mentio in Zacharia sub Cyro.

Octo. Ioiakim absente patre.

Viginti, Iesus reuersus à rege Persico.

Quadraginta octo, Ioiakim iterum.

Viginti & vnus, Eliakim.

Viginti quatuor, Ioiada.

Viginti quatuor, Ioathan.

Decem, Iaddua sub Alexandro.

SVMMA annorum ad Alexandrum vsq;: Tria millia quingenti octoginta quatuor.

Viginti septem: Onias Priscus.

Tredecim: Simon Priscus, celebratus à Siracide.

Viginti: Eleaser.

Viginti septem: Manasses.

Viginti octo: Simon Iustus.

Triginta nouem: ONIAS filius eius, interfectus ab Andronico præfecto Antiochiæ, quem pecunia corruperat Menelaus ad Oniam interficiendum, vt ipse Menelaus pontificatum occuparet.

Anni quinq;: IVDAS MACCABÆVS.

Nouendecim: IONATHAS.

Octo: SIMON frater Iudæ Maccabæi.

Viginti sex: Ioannes Hircanus.

Vnicus annus: Aristobulus.
Vigmti septem: Alexander.
Nouem: Alexandra.
Trigmta quatuor: Hircanus vltimus.
Trigmta septem: HERODES. Natus est autem CHRISTVS *anno 30. Herodis.*

Hanc Philonis tabellam addidi, quanquàm propter interregna desunt anni aliquot. Sed propter Philonem, & propter seriem historiarum prodest studiosis & hanc tabellam in conspectu esse.

LIBER PRIMVS,

QVI COMPLECTITVR DVO millia annorum inde vsq; ab initio mundi.

SINGVLARI consilio Deus in Ecclesia extare & semper conseruari voluit initia Mundi, & seriem annorum: quæ quidem & testimonium est de Ecclesia, & magnum decus. Vult enim sciri Deus originem generis humani, & diuinas patefactiones, & testimonia patefactionum, & quæ doctrina, & quomodo propagata sit. Vult sciri certò, ideò conditum esse genus humanum, vt inde æterna Ecclesia colligatur. Vult & causas sciri calamitatum humanarum, & mortis, & agnosci Filium, per quem liberabimur

ab his malis, & restituentur iustitia & vita æterna. De his tantis rebus vt certi essemus, anni metæ in motu Solis constitutæ sunt, & primis patribus ostensæ sunt, & in doctrina primorum patrum diuinitùs tradita annorum series diligenter perscripta est. Et addidit Deus omnibus temporibus illustria testimonia, quæ ostendunt eam doctrinam à primis patribus transmissam ad posteros, veram & non fabulosam esse. Huic doctrinæ diuinitùs traditæ de initijs mundi & generis humani, & de patefactionibus diuinis, constanter assentiamur.

Sumamus igitur ex primo libro Moisi narrationes de creatione Mundi & hominum, de hominum lapsu & causis calamitatum, de restitutione Ecclesiæ post lapsum, & de annorum serie, & firmissima assensione eas amplectamur. Nec alias imaginationes, siue Democriti, siue Platonis, siue Aristotelis anteferamus. Itaq; hæ res maximæ initiò actæ sunt, quas Deus voluit notas esse.

I. Creatio Mundi & hominum.
II. Institutio Ecclesiæ & coniugij.
III. Certum opus, quod esset testimonium obedientiæ.
IIII. Institutio dominij.
V. Lapsus, causa mortis & calamitatum.
VI. Restitutio Ecclesiæ, & pœnæ mitigatio.
VII. Prima promulgatio promissionis de Saluatore reddituro iusticiam & vitam æternam: Semen mulieris conteret caput Serpentis.

Harum maximarum rerum cognitionem in Ecclesia necessariam esse non dubium est, & quanta sit magnitudo, piæ mentes vtcunq; cogitare possunt, etiamsi prophani homines has narrationes deridēt, aut in μυθολογίας transformant. Nos verò credamus voci diuinæ, & in singulis narrationibus amplitudinem consideremus.

I. Primùm sciamus, vnicum hunc Mundum creatum esse, in quo se Filius Dei patefecit: Nec esse aut fuisse alios Mundos, quia in Moise expresè dicitur: Postquàm homo conditus est, Deus postea cessauit alias res condere & creare, videlicet, alios nouos Mundos, aut nouas Elementorum aut animantium species. Et condito HOMINE quieuit Deus, quia vult in homine acquiescere, & eo delectari, & in tota æternitate communicare sese, suam sapientiam, iusticiam & læticiam.

II. Secundò cogitemus, qualis sit conditus Homo, videlicet talis, vt sit imago similis Deo. Interpretatur autem Paulus imaginem ad Ephesios 4. Iusticiam & sanctitatem veritatis. Complectitur ergò imago incorrupta potentiam cognoscentem, in quam transfusa est lux diuina, quæ est vera & firma agnitio DEI & Legis, & noticia de vera obedientia, & de iudicio Dei. Deinde complectitur & voluntatem et cor, quòd ardebat motibus Spiritus sancti, & integra obedientia, sine peccato. Ad hæc dona coniuncta fuit libera & non impedita electio voluntatis. Sunt autem in

in Deo summa bona, sapientia, iustitia & libertas electionis. Horum summorum bonorum radios cùm in nos transfuderit, testimonium ostendit, verè à se hāc creaturam diligi. Et quidem ideò transfudit ea in nos, vt hæ ipsæ noticiæ tostentur, esse Deum, & doceant nos, qualis sit, & discernant eum à malis naturis: Iam cogita, quantum decus fuerit HOMO ante lapsum, cùm verè esset domicilium & templum Dei, sine peccato, sine morte. Et cogita, quanta fuerit ingratitudo, auertere se à Deo ad diabolos, & excudere Deum. Excusso autem Deo, qui est fons vitæ, sequuta est mors, vt postea dicetur.

III. Tertiò, Ecclesiæ initium est ipsa creatio Hominis, cum illis donis, quæ erant data, vt Deum celebrarēt. Et addidit Deus mandatum de externo testimonio, quo ostenderent obedientiam erga Deum, & vt esset occasio colloquendi de Deo, videlicet mandatum de ligno seu arbore scientiæ boni & mali. Cæterum radius lucis diuinæ insitus menti norat mandata moralia, & in his obscurior erat prohibitio vagarum libidinum. Ideò mox post creationem & alterum mandatum expresè traditum est: ERUNT DVO IN CARNEM VNAM, id est, inseparabiliter iuncti. Hac voce sancitur Coniugium, & expresè prohibentur omnes vagæ libidines.

IIII. Quartò recitatur CONIVGII institutio, & insertæ sunt narrationi multæ grauissimæ sententiæ, quarum explicatio nota sit. Sunt autem initiò

creati Dvo, quia Deus voluit genus humanum esse Ecclesiam. Et conditi sunt MAS & FOEMINA, vt esset ordinatus & dulcis amor.

V. Quintò, Condita Ecclesia, & sancita lege coniugij, institutum est etiam dominium rerum corporalium, quæ necessariæ sunt vitæ corporali: Ita agnoscamus res præcipuas statim initiò ordinatas esse: Ecclesiam, Oeconomiam & Politiam. Est autem ordinatum dominium in his verbis. SVBIICITE VOBIS TERRAM, ET DOMINAMINI PISCIBVS MARIS, &c. Id est, generi humano trado hoc ius, vt de vsu harum rerum tales ordinationes faciat, quæ prosint ad æqualitatem, conseruatricem societatis. Hic distinctio dominiorum & contractus comprehenduntur. Post diluuium verò hæc eadem lex repetita est, & expressè addita summa lex, quæ est neruus Imperiorum, de pœna HOMICIDÆ. Hæc lex fons est politicæ gubernationis in hac depranata natura, & initium imperiorum, vt postea dicemus.

VI. Sextò recitatur lapsus primorum parentum, & mox restitutio & inchoatio vniuersæ Ecclesiæ, quæ secuta est post lapsum. Et exponitur causa mortis & calamitatum, ignota Philosophiæ. Hic rursus maximæ res proponuntur: Concio arguens peccatum, & arcana promissio de venturo Semine mulieris, per quod deleto peccato & morte, ostendit Deus restituendam esse Iusticiam & vitam æternam. Hæc concio

concio fuit initium nouæ Ecclesiæ, & vox vna & eadem est, qua colligitur Ecclesia, vsq; ad postremum tempus generationis Mundi. Hac voce tunc, cùm argueretur peccatum, primi parentes senserunt se amisisse primam naturæ lucem, rectitudinem & lætitiam, qua in Deo lætati fuerant. Et extincti fuissent terroribus mortis: Sed audita promissione, quam Filius Dei patefecit, (qui ideo λόγος dicitur, quia ex sinu æterni patris hoc arcanum decretum protulit) rursus senserunt se recipi à Deo, & reddi sibi vitam. Hoc primum fuit miraculum post creationem rerum, quod de promissione testimonium fuit, quòd is Deus moritu-ris opitulatus est sine causis secundis, & ostendit, se Ecclesiam collecturum & seruaturum esse etiam extra illum naturæ ordinem, quem antea condiderat. Ac prorsus miranda res est. Non potuit Adam ratiocinari, Deum aliud velle, nisi iuxta legem, videlicet homines perituros esse, cùm cogitaret: Iusticia Dei immutabilis est. Iusticia Dei est, vt inobedientes pereãt. Ergò immutabile est decretum de nostro exitio, &c. Huic argumento nulla creatura respondere posset. Sed filius Dei responsionem ostendit, qui Minorem sic explicat: Iusticia Dei est, vt inobedientes pereant: Nisi satisfiat iusticiæ Dei pœna deprecantis Filij pro genere humano, & in sese iram inenarrabili misericordia deriuantis. Prolata igitur promissione rursus Ecclesia condita est, ac deinceps semper huius promissionis doctrina fuit Ecclesiæ propria, & eam ab

aliis cœtibus, qui se postea à primis parentibus seiunxerunt, distinxit.

VII. Septimò recitantur causæ calamitatum. Pœnæ sunt primi lapsus, Mors, ærumnæ Ecclesiæ, tristissimæ insidiæ diabolorum, iuxta dictum: PONAM INIMICITIAS INTER SERPENTEM ET SEMEN MVLIERIS. Simul autem amplissima consolatio proposita est de gloriosa victoria, qua Ecclesia omni tempore seruabitur ab illo Domino, qui assumpta humana natura erit semen Mulieris. Hæc tota doctrina paulatim illustrata est, vt non dubito, colloquijs Filij Dei cùm parentibus, sicut Iohannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Et ipse affirmat, se initio locutum esse in Ecclesia, cùm inquit: πλὴν ἄρχῆς ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Et in prouerbijs Salomonis: Delectatio sapientiæ Filij cùm filijs hominum.

VIII. Octauò, Paradisus significat & locum terræ meliorem, & talem hominum statum, in quo sine peccato & sine morte vixissent. Et cùm quatuor fluminum fontes in Paradiso fuerunt, significatum est, illam meliorem partẽ terræ homines fuisse habitaturos, quæ irrigatur ab Euphrate, Tygride, Gange & Nilo. Id spatium propemodum est tertia pars totius orbis terræ.

Eijci autem ex Paradiso est, ex illo meliore statu eijci, & quidem habere omnia elementa minus felicia. Fuisse autem sedem primorum hominum in regione

vicina Damasco non dubium est. Quare & ibi conditos esse credamus. Postea describitur generatio primæ sobolis, & ostenditur, qualis fuerit prima Ecclesia, & quæ certamina statim inter fratres exorta sint. Ac ibi conciones legis recitantur, & sancitur lex, quæ prohibet & punit homicidia, & expressè dicitur de venturo iudicio: SI BONVS FVERIS, ERIS ACCEPTVS: Sin malus, peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur. Hic significatum est, futurum esse, vt aliquandiu differantur pœnæ. Quanquàm autem differuntur, tamen certò venturas esse inquit. Ac verbo QVIESCENDI horribilis securitas generis humani taxata est, quæ cœca & furens contemnit iram Dei, donec sentiantur pœnæ.

Postea narrantur pœna Cain & series posteritatis ipsius, & artium inuentio. Necesse est & anni rationem statim initio cognitam & traditam esse, quia series annorum inde vsq; ab initio generis humani in sacris libris diligenter recitata est. Et postea in narratione diluuij Menses numerantur. Est autem magna pars scientiæ de motibus astrorum, scire motus Solis & Lunæ. Quare fatendum est, & huius doctrinæ initia à primis parentibus tradita esse. Et cùm Adam ante lapsum aspiciens totum cœli & terræ opificium, multa intellexerit, quæ postea homines acie mentis penetrare non poterant, non dubium est, eum

semina doctrinarum de Deo, de cœli motibus, & de rebus nascentibus, tradidisse posteris.

Longæuitas etiam patrum signum est, quod ostendit, doctrinam ab eis propagatam esse. Ideò enim longa vitæ spacia multis concessa sunt, vt essent testes de continuis patefactionibus Dei, de forma, collectione & defensione Ecclesiæ, & totius doctrinæ illustratores.

Initiò & figuras literarum excogitatas esse necesse est. Quia vt patrum series annotaretur, opus fuit literis. Et citatur Prophetia Henoch, quam scriptam esse consentaneum est.

Ac memoria dignum est, quòd veteres quidam tempora Mundi sic describuerunt. Vt in homine præcipuæ vires sunt ἡγεμονικὸν θυμικὸν & ἐπιθυμητικὸν: ita dicunt initiò in genere humano præcipuè regnasse ἡγεμονικὸν, id est, excelluisse sapientiam, cùm artes inuentæ sunt, & gubernatio adhuc paterna fuit, plena sapientiæ, iustitiæ & autoritatis.

Secunda ætas fuit θυμικὴ, in qua excelluit fortitudo in bellis & imperia constituta sunt. In hac ætate complector quatuor Monarchias, sic, vt initium sit à Nimroth, vsq; ad Iulium Cæsarem, post quem secuta est senectus hominum languida, & dedita voluptatibus. In hac regnat ἐπιθυμητικὸν. Etsi enim & in postrema senecta multum est bellorum, tamen non geritur res simili vigore animorum & labore. Tumultus assidui sunt, quibus fiunt vastationes, non constituuntur nec ornantur Imperia. Ita paulatim languefieri naturam consideremus, & cogitemus, multa deliria in Ecclesia & Imperijs sequutura esse, & ardentibus votis petamus, vt Filius Dei nos in hac squalida senecta gubernet, vt Esaiæ 46. dicitur: Etiam in senecta vos gestabo.

Scribit etiam Iosephus, Adam duas lapideas tabulas collocasse, in quibus scripsit initia creationis, lapsum hominum, & promissionem. Has tabulas existimo tanquàm templum fuisse, & certi loci signum, in quem solitus est conuocare suam Ecclesiam, & vbi sacrificia facta sunt, & recitata doctrina. Fuitq; vox promissionis testimonium discernens veram Ecclesiam à cœtu Cain, qui secesserat à patre, & habuit suos ritus & suam sectam. Ideò statim initiò veræ doctrinæ vocem & veram Ecclesiam pars humani generis deseruit, & promissionem oblita est: Et tamen condita ciuitate, necesse est eos aliquam legis particulam retinuisse.

Postea in Moise breuiter annotata est series annorum vsq; ad diluuium. Quia vt supra dictum est, vult Deus sciri initia rerum, & tempora suarum patefactionum. Ac res miranda recitatur hæc sola de HENOCH, qui non est mortuus, sed viuens in cœlum translatus est. Quod non existimemus clàm nemine spectante factum esse, sed velim Ecclesiæ congregatione, vel spectantibus aliquot Patribus fide dignis. Quia hanc translationem voluit Deus testimoniũ esse

de

de vita & salute æterna, danda his, qui Deum rectè inuocant in agnitione promissi Seminis. Ac duo similia testimonia generi humano ostensa sunt ante aduentum Messiæ: Alterum Henoch ante diluuium: Alterum Eliæ post diluuium. Hi Prophetæ testati sunt, Messiam abolita morte redditurum esse vitam æternam, & conculcaturum caput Serpentis.

Citatur & Prophetia Henoch, de postremo iudicio in Epistola Iudæ: ECCE VENIT DOMINVS cum sancto exercitu suo, vt faciat iudicium contra omnes, & arguat omnes impios &c. In ea Prophetia haud dubiè comprehensa fuit copiosior doctrina de promissione, de MESSIA, de futuris mutationibus generis humani.

DILVVIVM.

ANNO à condito Mundo millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo sexto, cum Noha inchoasset annum sexcentesimum, mense secundo eius anni, die septimo decimo, ingressus est Noha cum coniuge et filijs in Arcam, & in ea mansit integrum annum solarem. Rursus enim egressus est Mense secundo proximi anni, die septimo & vicesimo. Nam ad menses Lunares duodecim, addendi sunt decem dies, qui nominantur Epactæ. Ita congruit ratio ad anni solaris periodum. Et numerus mensium & dierum in hac narratione ostendit, annum solarem complexum esse duodecim menses Lunares, & dies decem. Ideo dicitur

tur Noha egressus esse ex Arca, anno ætatis suæ sexcentesimo primo, videlicet anno à condito Mundo, millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo septimo.

Interea dum in Arca vehitur familia Nohæ, totum genus humanum vniuersali diluuio perijt. Hæc pœna primùm significat, conditam esse hanc rerum naturam, vt seruiat electis & iustis. Ideò sequuturum esse vniuersalem interitum impiorum, & iustos mansuros esse in possessione æterna operum Mundi. Deinde hoc exemplo testatur Deus, se deinceps quoq; peccata puniturum esse, quanquàm sic mitigat iram, vt promittat condita Iride, se deinceps non puniturum esse genus humanum vniuersali diluuio. Sed simul significat, in extrema pœna igni conflagraturum esse Mundum, & se ex ea massa nouam Mundi formam facturum esse. Ideò colores sunt in Iride duo: Cæruleus significat genus humanum aquis periisse: Igneus seu purpureus, postea perituram esse igni, vt in secunda Epistola Petri scriptum est.

Eodem anno à Mundo condito 1657. cùm Noha egressus est ex Arca, rursus Ecclesiæ data sunt testimonia, cum sacrificium de cœlo incensum est, & testimonio Ecclesiæ duæ res additæ sunt: Promissio de mansuro naturæ ordine: & institutio politicæ gubernationis. Tunc enim expressè lata est Lex, vt HOMICIDA occidatur ab homine, qui præest cæteris hominibus. Hæc lex præcipua in ordine politico est, & neruus humanæ societatis. Ita cernis rursus

initia

initia Ecclesiæ & politiæ. Deinde recitantur nomina eorum, qui ex filijs Nohæ propagati sunt, & stirpes diuersarum gentium. Voluit autem hanc seriem Deus notam esse, vt sciremus, ex qua stirpe voluerit Deus nasci Messiam, & vbi fuerit expectandus & conspiciendus. Nobis ad hoc etiam prodest nosse patrum nomina, vt sciamus gentium origines, quod non solum iucundum est, sed etiam vtile. Series enim testatur, primam doctrinam de Deo esse hanc, quæ in scriptis Moisi, & deinceps in Prophetarum scriptis tradita est. Et cùm fateantur Græci, se ab Iapeto & Ione ortos esse, ostendunt, hanc narrationem Moisi veram esse, & se recentiores esse hac stirpe, quæ hîc commemoratur. Recensebo igitur nomina filiorum Nohæ, & eorum, quæ ex eis propagati sunt.

Filij Nohæ fuerunt Sem, Cham & Iaphet. Ex his omnes gentes procreatæ sunt. Ac posteritas Sem loca vicina Euphrati versus Orientem occupauit. Cham loca vicina Iordani & Nilo progressus versus Meridiem. Iaphet minorem Asiam versus Occidentem tenuit, vnde multæ gentes in Europa propagatæ sunt.

FILII SEM QVINQVE.

ELAM, stirps est Persarum, quod in lectione Prophetarum scire necesse est, vbi cùm nominatur Elam, intelliguntur Persæ. Et fit mentio apud Xenophontem tribus Elamidos de Cyro. Significat autem

tem nomen ELAM adolescentem. Et inde nomen est Alma, Esaiæ 7. Ecce virgo concipiet.

ASSVR, id est, beatus, inde Assyrios esse vox ipsa ostendit. Et expressè dicitur in textu, ab Assur conditam esse Niniuen, quam fuisse in Assyria constat. Significat autem NINIVE, Nini domum, seu simpliciter habitationem.

NINVS, id est, filius. Esaiæ 14. Et sciant studiosi, diuersas vrbes esse, & interdum diuersorum Regum arces fuisse, Niniuen & Babylonem.

ARPHACHSAD, id est, sanans vastitatem: Ab hoc orti sunt Chaldæi: Et ab eius nepote EBER, Ebræi, id est, peregrinatores. Ab hac stirpe ortus est Abraham, vt Geneseos 11. legitur. Constat igitur, Messiæ stirpem esse Sem, filium Nohæ.

LVD, id est, Natus.

ARAM, id est, sublimis. Hinc Syrij orti sunt. Et metropolis Syriæ est Damascus, vt Esaiæ 7. scriptum est: Caput Aram Damascus.

POSTERITAS CHAM.

CHVS, stirps Æthiopum in vltima ora Aphricæ, vbi Nili fontes sunt, vt Genes. 2. scriptum est: Circuit omnem terram Chus. Apud Ptolemæum in illa interiore Lybia nomen est Chusitæ.

Filij Chus sunt, Saba & Euila. A Saba sunt Sabæi. Ab Euila pars Indorum.

NI-

NIMROD, id est, amarus dominator. Hic in Babylone primus ita dominatus est, vt vicinos vi coegerit in vnam Imperij formam. Ab hoc igitur initium factum est, Imperia vi & armis constituendi, cum antea plus valeret paterna autoritas, & seniori patri cæteri vltrò parerent. Postea citò, cùm mores fierent deteriores, & grassari aliqui rapinis & cædibus cœpissent, nec vellent à parentibus & vicinis coherceri aut puniri, & haberent turbam scelerum sociam & receptus, necesse fuit tales præsidijs reprimi, & ad iudicia ac pœnas pertrahi.

Ita primùm Imperia armis constituta sunt per virum fortem, præsidia ordinantem & ducentem, & iudicia præsidijs defendentem. Quia sine executione lex est inanis sonitus, vt Æschines inquit: Οὐδὲμ ὄφελος πολιτείας, μὴ ἐχούσης νεῦρα ἐπ' ἀδικοῦντας. Ideo dicitur Nimrod fuisse robustus venator coram Domino, id est, venator ducens exercitus, vt armis cogeret homines ad legitimam obedientiam. Additur autem CORAM DOMINO, quod significat, Deo dante ei robur, victorias, & successum in constituendo & retinendo Imperio. Non enim retinetur obedientia, nisi Deo iuuante, vt ait Daniel: Deus transfert & stabilit regna.

Mizraim, id est, rebellis. Hic occupauit eam regionem, quæ postea nominata est Ægyptus. Ac nũc quoq; Arabes & Turci nominant eam Mizri. Filij aũt Mizraim, Ludim, à quo Lydios ortos esse magis consentaneum

sentaneum est, quàm à Lud. Quia ex Ægypto breuis nauigatio est ad littus minoris Asiæ, & mores Lydiæ gentis magis congruunt cum Ægyptijs. Et quia Lydij postea nouas sedes in Italia quæsiuerunt, aiunt, ab ipsis spectacula nominari ludos. Sed hoc nomen videtur à Lezin factum esse, quod est ludentes, Mimi, subsannatores.

LAABIM, vnde sunt Lybies, fortassis ab æstu. Nam Laab significat flammam.

PHUT, vnde sunt populi in occidua parte Aphricæ, circa Mauritaniam, vbi manet vetus appellatio fluminis Phut. Sic enim nominatur apud Plinium. Apud Ptolemæum scribitur Phtuth, sed existimo apud Plinium rectius scriptam esse hanc appellationem. Est enim vrbs Phytis. Et congruit significatio. Nam Phut significat cardinem. Est autem Mauritania finis terræ, Oceano proxima in Occidente. Et ab hoc nomine est nomen regis Epaphi, qui certauit cum Phaëtonte.

ENAMIM simpliciter est fors aquarum. Et concinnum est, quod inde dicunt nomen esse Cyrene quod significat vrbem fontis. Cùm autem certissimum sit, Ægyptum citò occupatam esse (est enim inter prima regna mundi Ægyptus) credibile est, citò & inquisitam & occupatam esse vberrimam regionem, quæ nominatur Cyrenaica: nec primos esse possessores posteros Argonautarum, quorum mentio fit apud Pindarum & Herodotum.

WBP Opole

Magis etiam celebrata est à ea regio propter miraculum fontis, qui in Meridie frigidissimus est, nocte calet, qui nominatur FONS SOLIS. Inde nomen videtur esse Cyrene, quod simplicissimè, vt sonat, significat vrbem fontis. Ac propter nominis conuenientiam dicitur, eam regionem primùm occupasse hic vir Enamim, qui fuit nepos Cham. Nec procul à fonte isto fuit templum HAMONIS, quam appellationem fuisse eandem, quæ est Cham, consentaneum est.

CHANAAN, id est, Mercator. Sidonij enim & Tyrij nautæ & mercatores præcipui fuerunt, propter maris Mediterranei oportunitatem. Filij Chanaan recitantur in Genesi, qui partim littus maris Syriaci occuparunt, partim Libano vicina.

SIDON, id est, Venator, condidit Sidonem notissimam vrbem, ex qua postea deducti Coloni propter dissensionem ciuium, condiderunt in vicinia Tyrum.

HETH condidit Hebron, vbi aliquandiu habitauit Abraham, & ibi locum sepulturæ coniugi emit, in quo & ipse postea sepultus est.

IEBVSEVS possedit Gabaa & Ierusalem. Ac exprsè in Genesi descripti sunt limites regionis, quam tenuit posteritas Chanaan, quæ postea deleta est propter idola, libidines & alia peccata, & diuinitùs collocati sunt in eam possessionem Israëlitæ, qui fuerunt orti à Sem.

Considereas autem, posteros Sem versus Orientem

tem in maiore Asia sedes magna ex parte tenuisse. Nã HEVILA Indiam esse constat ex Genesi, vbi dicitur Ganges fluere per terram Heuila. Natus est autem ex Heuila pronepote Sem. Posteri autem Cham tenuerunt aliquandiu terram Chanaan, Ægyptum, Æthiopiam & Lybien. Posteri Iaphet sparsi sunt in maiorem Asiam, & progressi sunt versus Septentrionem, & multas Europæ partes occuparunt.

POSTERITAS IAPHET.

IAPHET, id est, dilatatio.

Filij Iaphet fuerunt:

GOMER, id est, finiens. Ab hoc orti sunt Cimmerij, qui postea Cimbri dicti sunt. Nam Ezechiel Capite 38. expressè inquit: Gomer & Togorma latera esse Aquilonis. Fuisse autem Cimmerios vltra Thraciam, circa Mæotidem paludem, appellatio Cimmerij Bosphori & oppidi Cimmerij testatur. Nec longa via est à Bosphoro Cimmerio per vicinam Russiam, Lituaniam, Liuoniam, & Borussiam ad Cimbricam Chersonesum, vbi in hoc littore postea latè regnarunt. Inde & Sicambri dicti sunt.

MAGOG, id est, de Gog, quod significat tectum. Ait autem Ezechiel, & gentem Magog Septentrionalem esse, & quidem postremis temporibus, latè vastaturam esse Israel, id est, Ecclesiam Dei. Quare Scythicam gentem esse, id est, Turcicam intelligimus, quæ olim in plaustris circumferebat Turugia, vt

subinde alia loca facilius occuparet. Cumq; Apocalypsis ostendat, postremò regnaturum esse Gog & Magog, & nunc Turci latissimè dominentur, consentaneum est, Turcicam gentem significari appellatione Magog.

MADAI, id est, Modius seu Mensura. Ab hoc Medi orti sunt, qui versus Orientem progressi sunt, Gens clara, vt Daniel & Herodotus testantur.

IAVAN vel IAON, id est, defraudator. Ab hoc certissimum est, gentem Ionicam esse ortam. Et firma testimonia ex Daniele sumi possunt, quæ ostendunt, appellatione IONVM comprehendi Græcos. Nam euersorem regni Persici nominat regem Iauan, id est, regem Græcorum.

Sunt autem filij Iauan:

ELISA, à quo sunt Æoles in minore Asia.

THARSIS, à quo condita est Tharsus, quæ fuit Metropolis Cilicum.

CETHIM, id est, percussores, à quo Macedones ortos esse, certum est ex libro Maccabæorum, vt vetustas non dixit Macedo, sed μακέτης, quasi dicas, à Cethim.

A DODANIM, quod significat Cognatos miseros, sunt Dodonæi in Epiro. Adeoq; vetus est Dodonæ appellatio, vbi Hellum regnasse dicunt. Ideo nec reprehendo eos, qui Dodonæos in Rhodum collocant. Nam & Rhodij fuerunt Dorienſium coloni. Et manifestum est, Græcos, id est, natos ab Ione, multas

terras occupasse in littore minoris Asiæ, in vicinis Insulis, & in Europa. Pars etiam Italiæ oram occupauit. Et consentaneum est, hunc IONEM esse, quem Latini Ianum nominauerunt, patrem & Latinæ & Græcæ gentis. Cùm autem ex hac narratione in Moise discamus, vnde natus sit ION, videmus historiam Mosaicam antiquiorem esse gente Græca. Et ignorantiam Græcorum deprehendimus, qui cum nesciant, quis fuerit ION, alium quendam multis seculis post Iaphet fingunt, natum ex CREVSA, Erechtei filia.

THVBAL, id est, germen. In his gentium appellationibus quædam certæ sunt, ex nominum similitudine, & testimonijs Propheticis, & aliarum historiarum. Vt Mizraim, Chus, id est, Æthiopes, Sidon Iauan, Kittim, & aliæ quædam. Nec tamen similis est certitudo omnium interpretationum. Thubal interpretatur Iosephus Hispanos, & nominat Iberos. Fuerunt autem initio Iberi & Chalibes in Asia vicini, inter pontum Euxinum & mare Caspium, metallicis venis clarissimi. Nomen autem Chalibes factum est ex alio vetustiore Alybes, quod congruit cum nomine IOBEL, exigua metathesi literarum. Ac significat Iobel, res natas in terra. Ein gewechs vnder der Erden / Inde Ialybes, Die dasselbige gewechs gesucht haben. Sicut nos dicimus, Die Berckleute. Hinc nomen vrbis fuit Alybe, quam sic nominat Homerus: τηλόθεν ἐξ Ἀλύβης, ὅθι ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

Et Argonautas scribit Apollonius ad Calybes in Asia venisse, de quibus inquit:

Hæc gens tellurem rigidam non vertit aratro,
Sed ferri venas scindit sub montibus altis.
Mercib. hæc mutat, quæ vitæ alimenta ministrant.

Hos Iberos & Chalybes in Asia, qui ibi venas Metallicas scrutati sunt, ortos esse à Thubal consentaneum est. Nam & Ezechiel collocat Thubal in Septentrionem. Scribit autem Iustinus in postremo libro, Chalybes in Hispaniam venisse, vt credibile est, illius gentis homines quæsiuisse venas Metallicas & in alijs terris. Ideò non temerè interpretatur Iosephus Thubal Hispanos, quia Calybes ex Asia in Hispaniam migrarunt. Existimo autem varias gentes etiam initio in Hispaniam ex vicino Aphricæ littore infusas esse.

Mosoch, id est, extendens, videlicet ab extendendis arcubus seu iaculando videtur nomen factum esse: *Aut certè significat Longinquos, & procul extensos*, die da weit ligen. *Congruit autem cum appellatione, quæ adhuc manet, Moscouiæ, quæ est à veteribus appellationibus, quæ extant* Μοσχικοὶ & Μοσσυνοικοὶ, *id est, Moschici, & Mossinœci, in Argonautico carmine. Et scribit Poëta dictos esse à casis ligneis, quarum nomen fuit* Μοσσῦνοι *apud ipsos. Ea gens, vt pleræq; aliæ, cùm primum in littore Ponti Euxini sedes teneret ad fluuium Thermodontem, vbi postea Cappadoces fuerunt, deinde versus Septentrionem*

nem progressa est. Psalmus inquiens: Hei mihi, quòd exulo in Mesech, significat, gentis eius feritatem insignem esse, sicut in Argonautico carmine describitur.

Tiras, id est, destructor. *Ab hoc Thraces esse ortos aiunt. Mirum est autem, fluuiorum appellationes durabiliores esse, quàm terrarũ & montium, cùm tamen fluuij moueantur, ac sæpènumero alueos suos mutent, contra verò montes stent immoti.*

Cumq; nomen sit fluuij in Russia, Tiras, quem hodie nominant Nistrum, consentaneum est, ab hac appellatione filij Iaphet & fluuium et gentem nuncupatam esse.

FILII GOMER NOMINANTVR, Ascanes, Riphat & Togorma.

Communis Ebræorum sententia est, ab Ascane ortos esse Tuiscones, exigua mutatione literarum, præposito articulo, die *Ascanes. Inde Tuiscones.*

Etymologia nominis Ascanes significat, eum antecelluisse autoritate propter doctrinam & virtutem, cùm præesset Regioni. Quia Ascanes est sacerdos, aut custos ignis, Esch Cohen. Fuit autem vetustissima superstitio, apud ignem ex sacrificijs seruatum dicere precationes.

Terra Ascania fuit supra Phrygiam in Bithynia versus Cimmeriũ Bosphorum. Et in ea regione

fuit palus Ascania, quæ diu nomen retinuit, etiam Romanis temporibus. Et ductor exercitus inter auxilia Troianorum nominatur ΑΣΚΑΝΙΟΣ, Iliados 2. vbi hæc sunt verba: φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς, τηλ' ἀφ' Ἀσκανίης, hoc est, Phrygas ducebat Phorcys, & Ascanius Deo similis, procul ex Ascania. Nec mirum est posteros Ascanis deinde in alia loca migrasse, vt progressi sunt Cimbri, & ex locis vicinis Bithyniæ Caucones, & Caici & Heneti.

Deniq; vsitatas fuisse magnarum gentium migrationes nihil dubium est. Sæpè etiam diuersæ gentes coniunctæ sunt, & sedes in vicinis locis cœperunt, vt manifestum est, Teutonicæ genti permixtam esse Henetam, & inde vsq; à Carpatho ad Albim sedes promiscuas habuisse.

Quid nunc vsitatius est priuatorum migrationibus? Quarum consideratio commonefaciat nos de imbecillitate rerum humanarum, vt cogitemus, vnicam esse perpetuam patriam cœlestem, hanc expetendam esse, & ad eam præparandos esse animos nostros.

RIPHAT, inde RIPHEI, id est, Gigantes. Notissima est autem appellatio Ripheorum montium, de quibus etsi quid alij scribant, non ignoro, tamen in illa parte Septentrionis hæc appellatio celeberrima fuit, in qua fuerunt Sarmatæ, & inter Sarmatas Heneti, sicut Ptolemæus inquit: Sarmatarum gentem maxi-

maximam Henetos esse. Nomine autem HENETOS omnes, vbicunq; consederunt, qui lingua Polonica vtuntur, etiamsi dialectis differunt.

Nec discrepat ab hac nostra interpretatione Ripheorum Iosephus, qui ait, à Riphat Paphlagonas ortos esse, quorum appellatio posterior est. Nam in eo ipso loco, quem Paphlagones tenuerunt, fuisse Henetos ex Homero & Argonautico carmine apparet. Sic enim inquit Apollonius:

παφλαγόνων, τοῖσιν δ' ἐνετὸς ἐμβασίλευε.

Progressi autem Heneti in littore maris Euxini, compleuerunt magnam partem lateris Arctoi in Europa, & adhuc tenent eas regiones, quæ nunc nominantur Russia, Lituania, Polonia. Et lingua & nomen Venetæ regionis ad sinum Adriaticum ostendunt, Henetos in Illyricum & vicinas regiones progressos esse, siue ab Antenore eò ducti sunt ex Asia, siue cum iam in Europa essent, paulatim alijs occasionibus ad meridiem processerunt in terras mitiores, minus frigidas, & frugum & vini feraces. Inde effusi sunt in has regiones, inter Vistulam & Albim, & occuparunt Boiemiam, in qua antea fuerunt Hermunduri & Boij, & compleuerunt littus Balticum, vnde nomen est in Prussia sinus Venedici.

Cùm igitur magnam Europæ partem tenuerint Heneti, & adhuc tenent, & magna regna constituerint, consilio & virtute eos antecelluisse non dubium est. Sunt igitur à Riphat, Riphei, qui sunt Sarmatæ

& Heneti. Nomen HENETI, vt sonat, significat Ebræis Vagabundi, vt Græci dixerunt νόμαδες, id est, subinde alia pascua, & alia loca quærentes.

SARMATA rectius Sauromata est, id est, Dux altitudinis, quod intelligo de regione ardua, quia assurgit terra versus Septentrionem, quasi dicas, Ducem superioris regionis. Ex nomine Sarmata existimo factum esse nomen SORABI, paucis literis mutatis, quæ appellatio adhuc est magnæ regionis in Illyrico SERVIA. Et in historia Caroli Magni legitur, ad Salam ab eodem domitos esse Sorabos. Vbi adhuc sunt nomina Sorben & Zorbek.

Inter filios Sem in primo libro προλεπομένων Cap. 1. nominatus est GETHER, à quo Getas ortos esse consentaneum est.

Getas autem Gottos postea nominatos esse non dubium est, qui progressi tenuerant eam regionem, quæ nunc Vuallachia dicitur, & occupauerunt ripam Vistulæ, & Sueciam & vicinas regiones, vbi nomen hæsit Gotthia. Significat autem Geth molam, Gether dominus molæ, fortassis quia posteritas loca vberrima tenuit.

Getas autem locutos esse Teutonica lingua non dubium est. Fuerunt ergò mixti genti Teutonicæ, quæ nomen habet Tuiscones ab Ascane, vt supra dictum est, quod adhuc vsitatum est. Vnde autem sit nomen Germani, quod olim vsitatius fuit, mirum est. Quidam inepte fingunt, à Romanis nostros homines dictos

dictos esse Germanos, id est, fratres Gallorum, quòd lingua, habitus & mores Gallorum & Teutonum similes essent.

Vnde autem nomen sit Gallorum, nihil dubium est: Nam VVallen in lingua Teutonica significat peregrinari, & aliquas nostras gentes Rhenum transgressas in locis fertilioribus consedisse nomina ostendunt, vt Tungri, Senones, & aliæ quædam appellationes. Nomen igitur vniuersi à peregrinando sibi indiderunt VVallen, quod est Galli. Nec verò appellationem Germaniæ latinam esse arbitror, sed cùm ijsdem syllabis apud Herodotum inter appellationes Gentium, quæ Persis vicinæ fuerunt, sint τραγοδάνοι, Δάοι, Σάκαι, inde etiam à Caspio mari paulatim progressas esse arbitror, fugientes bella aut tyrannidem.

Fortassis vt discederent ab Ethnicis idolis hortatores & ductores Israëlitas habuerunt, à quibus doctrinam de vero Deo, & alias honestas leges multos in Oriente didicisse non dubium est. Ideò enim dispersæ sunt decem Tribus, vt ad alias gentes quoq; perferretur noticia de vero Deo. Sicut Herodotus scribit in Colchica fuisse ritum circumcisionis.

Nomen Germaniæ congruit cum Germania. Sed Etymologia potest esse, Gerim Ani, id est, aduenæ miseri, seu pauperes. Nomen Dai significat scientes. Sacæ à Sagan, quod interpretantur sacerdotem seu vatem. Vnde latinus est Saga, & præsagium. Et apud

Esaiam

Esaiam & Esdram est pro rectore populi: Inde est nomen Germanicum Segen/benedictio.

Hæc pauca de multarum gentium stirpibus & dispersione addidi, quia Ecclesiæ doctrinam antiquissimam & primam esse inde intelligitur, cùm ibi certæ stirpes multarum gentium cernuntur, quas ab illis maioribus ortas esse, & nomina & testimonia Prophetica ostendunt. Deinde in tantis dispersionibus quærendum est, vbi & quæ fuerit Ecclesia Dei. Idcò enim præcipuè voluit Deus extare Chronica, seu historias, & annorum seriem, vt sciamus ordinem patefactionum diuinarum, & vbi & qualis semper fuerit Ecclesia.

Vixit NOHE post diluuium annos trecentos, quinquaginta. Et rediisse arbitror ex Armenia in veterem patriam, id est, in loca vicina Damasco, vbi antea vixerat, & vbi primos parentes conditos esse sciebat. Et post diluuium agnoscere regionem potuit, consideratis spacijs dierum, & vmbris in gnomone. Certum est enim, filium Nohæ Sem rursus vixisse in illa regione, cum fuerit Rex Salem, quæ postea nominata est Ierusalem. Est enim Sem ille ipse, qui nominatur Melchizedeck.

Fuit igitur Ecclesia Dei in illis locis, vbi fuerunt Nohe, Sem, & filij Sem tantisper, donec retinuerunt veram doctrinam. Ac Sem doctrinæ lucem retinuit. Sed cum eius posteri in Babylone essent, ibi paulatim vera doctrina extincta est, & impij cultus recepti & stabiliti

stabiliti sunt. Eduxit igitur Deus Abraham ex Babylone ad partem maiorum suorum SEM, vt rursus insignem Ecclesiæ cœtum coniungeret. statim post mortem Nohæ. Nam à Diluuio ad mortem Nohæ sunt anni trecenti quinquaginta. Post mortem Nohæ sunt anni sedecim vsq; ad migrationem Abrahæ ex Charan in Palæstinam, vbi Deo gratias agit, quod eductus sit ex VR Chaldæorum, id est, ex cultu Idolorum Chaldææ. Nam VR significat lumen & inde nomen cultus fuit, quia ex igne diuinitùs accenso apud patres seruabantur lychni. Inde postea nomen fuit ORIM ASDA, id est, lumen sanctum: Orim Hesed.

Cùm igitur veniisset Abraham cum fratre ad Sem, cogitemus, quàm pulchrum collegium fuerit Sem, qui viderat Diluuium, & deinde aliorum. Fuit autem Abraham natus ex filijs SEM hac serie.

Sem.	Rehu.
Arphaxat.	Saruch.
Sale.	Nachor.
Eber.	Thare.
Phaleg.	Abraham.

Cogitandum est autem, quàm dulcis consuetudo fuerit Sem & Abrahæ & cognatorum, cùm octauum ex posteris videret Sem ad Ecclesiæ societatem vocatum esse, & ei certam sedem promissam esse, & promissionem ei renouatam esse de MESSIA, propter quem deleta morte restituenda esset vita æterna. Non

igitur

igitur cogitemus fuisse Ecclesiam illo tempore ignotam & futilem turbam: Sed sciamus ibi generis humani lumina fuisse, & vidisse multa illustria testimonia præsentiæ DEI.

Semper autem & doctrina consideretur, quam præcipui viri in Ecclesia professi sunt, quæ & à cæteris gentibus distinxit Ecclesiã. Repetita est ad Abraham promissio de Semine venturo, quod abolito peccato & morte redditurum esset iustitiam & vitam credentibus. Hunc verum Deum inuocabant patres, Sem, Abraham, Loth, & eorum auditores, qui se, tradita hac promissione, patefecerat: & inuocabant fiducia illius venturi Seminis, propter quod solum sciebant se recipi & exaudiri. Sicut Dominus inquit: Abraham vidit diem meum, & lætatus est. Hac fide, inuocatione, & confessione distinguebantur ab alijs gentibus membra Ecclesiæ, & damnabant sectas, quæ ab hac doctrina discesserant, & excogitabant quotidiè nouos cultus, noua numina & Idola. Voluit Deus etiam semper vocem legis repeti in Ecclesia, vt ad Nohe repetita est lex prohibens homicidia. Ad Abraham repetita est lex prohibens incestas libidines, & ostensa pœna Sodomorum, quæ deleta sunt

Anno ab initio Mundi 2047.

Anno post mortem Nohæ 41.

Anno ab aduentu Abrahæ in Palæstinam 25. Cùm non multò ante Abraham victor pepulisset exercitum regum, qui abduxerant magnã multitudinem ex illis

vrbibus, quam Abraham reduxit. Ac semper in sola Ecclesia Dei mansit lex diuina incorrupta, vt sit testimonium, qui populus sit Ecclesia.

Quanquam autem Lex non erat ignota gentibus, tamen, quia gentes noua numina & nouos cultus fingebant, & permittebant tetras confusiones libidinum, etiam voce Legis distinguebatur Ecclesia à cæteris gentibus. Et quia damnabat scelera, gentes sæuitiam exercebant in Ecclesiam, quæ tamen mirabiliter à Deo protegebatur. Inde intelligi potest, qualis fuerit Ecclesia, scilicet subiecta cruci, cùm Imperia tenerent multi impij, vt in Babylone & in Sodomis. Interea tamen Deus ostendit testimonia suæ præsentiæ in Ecclesia mirandis liberationibus, vt docent historiæ Abrahæ & Loth.

DE MONARCHIIS.

VT semper in historijs aduertendum est, vbi et quæ Ecclesia DEI in genere humano fuerit, ita & series imperiorum consideranda est, quæ voluit Deus constitui & disciplinæ causa, & propter defensionem communis societatis. Nam si mali non reprimerentur, sed impunè raperent aliorum res, coniuges, filios & filias, & trucidarent quos vellent, nulla posset manere honesta societas hominum. Cùm autem initiò fuissent paterna imperia, & nulla familia fontes reciperet, postea cùm multitudo creuisset, &

plures

plures essent mali, & sontes haberent socios & receptus, Deus hoc nouo consilio munijt societatem, videlicet excitato Duce, qui armis & præsidijs coherceret populos, ne latrocinia exercerent, & vt ad iudicia & pœnas vi traherentur. Adeoq; cito creuit hominum malicia viuente adhuc Noha, vt circiter annum centesimum post diluuium & Turris Babylonica condita sit, & gentium diuisio facta sit, & mox Nimrod imperium armis constituere cœperit. Significat autem Nimrod armorum dominatorem, quia hæc forma Imperij fuit terribilior, quàm antea paterna autoritas.

Et nominatur VENATOR CORAM DOMINO, quia & feras & latrones cepit, et à Deo armatus est robore & successibus, vt constituere durabilem Imperij formam legibus, iudicijs, et præsidijs, & sontes vi trahere ad pœnas posset. Ita initium regnorum in Babylone fuit, postea alibi alia orta sunt. Sed Deus singulari consilio societatem generis humani sic munijt, vt ordine maxima Imperia, quæ MONARCHIÆ nominantur, constitui voluerit, vt plures gentes coniungi possent, & vnius summi Imperij potentia facilius Tyranni punirentur. Ac in ipsis Monarchijs exorta tyrannide, summa potentia vel ad alios Duces, vel ad alias gentes translata est. Hîc ordo Imperiorum & causæ mutationis considerandæ sunt, quæ comprehenduntur in dicto Syracidæ, capite

capite decimo: Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniusticiam.

Hactenus in primo libro complexi sumus duos Millenarios, in quibus recitantur initia mundi & generis humani, & primæ Ecclesiæ. Post diluuium posteritas Nohæ, à quo iterum propagatum est genus humanum, & per eum instaurata Ecclesia: Et deinde per eius pronepotem NEMROD inchoata forma Imperij.

Atq; hæc sunt initia primæ Monarchiæ, quæ tamen varias vices habuit. Nam à posteris Cham, post annos ferè ducentos, translata est summa potentia ad posteros Sem, videlicet ad Assyrios, cùm NINVS conderet Niniuen. Prima igitur Monarchia aliàs CHALDÆA, aliàs ASSIRIA nominatur. Et Xenophon rectè scribit, primos hominum Chaldæos latè regnasse.

SECVNDVS LIBER CHRONICORVM.

ANNO à condito mundo 2007. mortuus est NOHA. Deinde 16. anno Abraham cum fratris filio Loth, venit ex Haran in Sichem, vbi quæ fuerint ærumnæ peregrinationum eius, & qualem collegerit

legerit Ecclesiam, ostendunt narrationes in Moise. Ac iam in Assyria & Babylone Monarchiam tenebat Nini filius, post matrem Semiramidem. Ac singulare & potens regnum in Ægypto esse cœperat, vbi Regum communis appellatio erat PHARAO, à libertate sumpta. Nam PHARAONES significat liberos.

Attingit autem historia Israëlitica res gestas à regibus Babylonicis, Assyrijs & Ægyptijs. Ideò recitabo quantum extat de regno Babylonico & Assyrio, vt in multis historijs ordo temporum melius cognosci possit, & hic quoq; cernatur antiquitas stirpis Israëliticæ, & consideretur, quomodo Ecclesia & duriter ab omnibus quassata sit, & tamen seruata diuinitùs, & quomodo propagata sit doctrina in has ipsas vicinas gentes.

NEMROD post annos circiter centum à diluuio.

Deinde post annos ferè ducentos NINVS condidit Niniuen in Assyria, ac summa potentia ad Assyrios translata est, qui & Niniuen & Babylonem tenuerunt.

SEMIRAMIS vxor Nini, condidit mœnia Babylonis, & fossam fieri curauit, & progressa plures regiones occupauit.

NINIAS filius Nini & Semiramidos, vixit in ocio, adeò vt inde in scriptoribus Ionicis propter ignauiã vituperetur, vt narrat Athenæus lib. 2. Agis-

σος ἐδίεφ μὴ πίνειν, τὰ δὲ ἄλλα κεῖσθαι πεζῶν ὥδε.

Hoc regnante Araham venit in Palæstinam.

Post hunc in historia Sodomorum fit mentio regis Sennaar, id est, Babylonis, AMRATHEL, id est, dicens euersionem. Gene. 14. Credibile est autem, varias mutationes in his vicinis regnis, Chaldæo & Assyrio, accidisse. Ac nomina regum Assyriorum recensentur, sed quia res gestæ non sunt additæ, omitto cætera nomina.

Hoc plurimi scribunt, ex Assyrijs regibus vltimum tenuisse Monarchiam, id est, Babylonem & Niniuen, SARDANAPALVM. Hic fortassis & propter vicia, & quia distractioni Monarchiæ proximus fuit, celebratus est. Nomen est plenum arrogantiæ. Cùm enim ruinæ impendent, crescit superbia, sicut dicitur: Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant. SAR, id est, Dux: DAN, Iudex: NIPHIL, Euersor. Sic & Gigantes nominarunt se Niphil.

Aiunt autem hunc Sardanapalum fucis pinxisse faciem, & in Gynecæis omissa imperij cura, obscœnis voluptatibus deditum fuisse. Propterea duo Principes, præfectus Babylonicus PHVL BELOCHVS, & ARBACES Medus, bellum aduersum eum mouerunt. Narrant quidam, ab Arbace Medo interfectum esse, sed Duris scripsit, eum incensa regia Babylonica sese & mulieres, & reliquam turbam, quæ ibi fuit, incendio perdidisse. Et quidem incendium durasse dies quindecim.

Hic triſtis exitus ad exempla iræ Dei pertinet, mutantis imperia propter principum & populi delicta, & inſignibus pœnis magnitudinem iræ oſtendentis. Sunt autem ab exitu Abrahæ ex Haran, vſq; ad Sardanapali interitum, anni mille, triginta tres. Ac perijt Sardanapalus regnante in Iudæa OSIA.

Poſtea PHVL BELOCHVS, *id eſt, euerſor vaſtans. Præfectus Babylonicus, tenuit Babyloniam & Nmiuen, & regnauit annos quadraginta octo.* ARBACES *verò Medus dominatus eſt Medis & Perſis. Sed nunc pertexto ſeriem Regum Aſſyriorum, vſq; ad Monarchiam Perſicam. Nam Aſſyrij deinceps decem tribus Iſraëliticas, & poſtea tribum* IVDA *adſiduè adflixerunt. In libro 4. Reg. capite 15. dicitur hic Phul Belochus intuliſſe bellum Regi Iſraëlitico Menahem.*

Succeſſit patri PHVLASSAR, *id eſt, euerſor Aſſyrius, qui in libro 4. Regum capite 15. nominatur Tiglat Philaſſar: Siue à traductione Iſraëlitarũ in exilium: Siue ab ipſa Galilæa, quia hic primus Galilæa potitus eſt, & tribum Nephtali abduxit in Aſſyriam. Regnauit annos tres & viginti.*

Salmanassar, id eſt, pacificus Aſſyrius: Regnauit annis decem. Anno quinto Samariam obſidione cinxit. Cumq; in tota regione decem Tribuum oppida paſſim deleuiſſet, maiorem populi partem abduxit in exilium.

In capite decimo Hoſeæ fit mentio huius regis

Sal-

SALMAN, vbi dicitur: Sicut vaſtauit Salman domum Arbela in die prælij, matre ſupra filios alliſa: Sic faciet vobis Bethel, propter malitiam ſcelerum veſtrorum. Vbi latinus interpres lectionem ineptè corrupit, cùm hæc ſit natiua ſententia: Regem Salman deleturum eſſe Samariæ regnum, ſicut euertit vrbem Arbela.

Apud Ptolemæum nomen eſt Regis NABONASSAR, *à quo numerat ad Alexandri mortem annos quadringentos, viginti quatuor. Hunc eſſe Salmanaſſarem, annorum numerus oſtendit. Nomen autem* NEBO *ſignificat diuinum, quia idolum fuit eius nominis, à vaticinando ſic dictum, vt Græci Pythium nominarunt. Nebonaſſar, id eſt, diuinus Aſſyrius.*

Sennacherib filius Salmanaſſaris, id eſt, biceps gladius, regnauit annos ſeptem, qui vt imitaretur patrem, reliquam partem populi Dei delere conatus eſt, cinxit obſidione Ieroſolymam, vbi cùm Deus ab Eſaia & Ezechia inuocatus eſſet, Angeli miſſi trucidarunt exercitum Aſſyrium. Rex fugiens cùm rediſſet in Niniuen, in templo à filijs interfectus eſt. Harum rerum fama tàm celebris fuit, vt lib. 2. Herodoti earum mentio fiat, quanquàm non recitantur integrè. Nomen tamen Σαρναχαξίβου *retinet, & ſtatuam eius inquit in templo Ægyptiaco ſtare, cum hac inſcriptione: In me aliquis intuens pius ſit:* εἰς ἐμὲ τὶς ὁρέων εὐσεβὴς ἔσω.

Asarhaddon, id eſt, Aſſyrius acutus,

succeſsit interfecto patri, regnauit annos decem. Hic rursus mutata sunt hæc vicina regna, & Assyrij amissa Monarchia domiti sunt à Babylonijs. Fuitq; Monarcha Chaldæus MERODACH.

MERODACH, *id est, amara contritio. Babylonius, domitis Assyrijs tenuit Monarchiam annos quadraginta. Huius mentionem facit Esaias cap. 39.*

BEN MERODACH, *id est, filius prioris Merodach, recuperatoris Monarchiæ apud Babylonios. Regnauit annos viginti & vnum.*

NABOGDONOSOR *Primus, id est, diuinus Iudex, Assyrius, vel tribulator, regnauit annos triginta quinq. Gessit bellum cum rege Ægyptio Neco, cuius belli mentio fit in historia Iosiæ, 4. Reg. 23. Et 2. Paral. 35. vbi scribitur, Iosiam interfectum esse in Mageddo. Quæ appellatio de eadem historia extat & in Zacharia, cùm inquit Dominus: Aspicient me, quem confixerunt: In eo die erit planctus, sicut fuit in campo Mageddon, videlicet interfecto Iosia.*

Herodotus lib. 2. mentionem facit eius belli, & pugnæ locum nominat Magdalum, sicut & Ieremias eius nominis mentionem facit. Sed vicina sunt oppida in littore in regione tribus Manasse, Mageddo & Magdalum.

NABOGDONOSOR *Magnus, regnauit annos quadraginta tres. Celebratissimus est in historia Prophetica, propter exilium tribus Iuda in Babylone. Anno sedecimo sui regni cinxit obsidione Ierosolymam*

Solymam regnante Zedechia. Apud Ieremiam capite 39. scriptum esse, obsidionem durasse annum integrum & sex Menses. Proximo mense, postquàm vrbs Ierosolyma capta est, iussit Rex Nabogdonosor deleri Vrbem & Templum, & transtulit Iudæorum multitudinem in Chaldæam, vbi exulauit tribus Iuda annos 70.

Et quanquàm ingens calamitas est exitium, & ita dissipata erat gens Iudaica, & euersa vrbs Ierosolyma, & deleta politia, vt humanis consilijs restitui non posset: tamen DEVS *mirabiliter & seruauit gentem, & reduxit, & in exilio magna gloria ornauit. Nam Danielis confessione & doctrina conuersi sunt ad veri Dei agnitionem quatuor Monarchæ: Nabogdonosor, filius Euilmerodach, & deinde Darius Medus, & Cyrus Persa. Hæc non sunt facta sine insignibus miraculis, in quibus Deus testimonium ostendit de sua doctrina & de Ecclesia, quorum aliqua in historia Danielis recitantur, quem hic Nabogdonosor in Babylonem abduxerat.*

Obseruies autem, hunc victorem Nabogdonosorem ortum esse ex Babylonijs regibus, videlicet à Merodach, cùm iam post Sennacherib rursus dominarentur Babylonij Assyrijs.

EVILMERODACH, *id est, insipiens Merodach, seu iunior Merodach, regnauit annos triginta. Primo anno, cùm patri Nabogdonosor Magno successit, liberauit Ieconiam ex carcere, & ei regium*

honorem ad victum attribuit, vt in vltimo capite quarti Regum scribitur, & in vltimo capite Ieremiæ.

Consentaneum est autem, & hunc amplexum esse doctrinam Danielis de vero DEO, quam & pater publico edicto professus est, eamq; ob causam clementiam exercuisse erga regem Ieconiam. Et fortassis ideò principes impij nominarunt eum stultum Merodach.

BALSAAR, id est, dominus exercitus, regnauit cum fratribus annos quatuordecim. Hic amplexus est idolorum cultum, & vero Deo populi Israël palàm in conuiuio maledixit, vt scriptum est Danielis 5. Tàm citò bonorum principum posteritas deseruit proximorum patrum doctrinam & exempla. Sic autem punitæ sunt eius blasphemiæ, vt capta Babylone, & ipso interfecto, Monarchia translata sit ad PERSAS.

Cùm autem Herodotus in lib. 1. nominet Labynitum eum, qui capta Babylone à Cyro interfectus est, consentaneum est hunc Balsaarum esse apud Herodotum Labynitum, quod significat, gladium tradentem vel inclinantem.

Hic finis est primæ Monarchiæ, quæ nominatur Monarchia Chaldæorum & Assyriorum. Ac rursus hîc illustre exemplum propositum est communis regulæ: Regum à gente in gentem transfertur propter iniusticiam, ac præsertim propter blasphemias ac sæuitiam, quæ in Ecclesiam exercetur. Excitatus est autem Cyrus, vt posteà dicam, vt populum Iudæorum rursus

rursus mitteret in Iudæam, ad instaurationem templi & politiæ. Ipse enim doctrinam de vero Deo à Daniele didicerat.

Hactenus recitaui Catalogum aliquot Regum Chaldæorum & Assyriorum, præsertim eorum, quorum sit mentio in Prophetica historia, quorum seriem in conspectu habere vtile est.

DE ABRAHAM ET DE Circumcisione.

VT patefactionum diuinarum series, & tota historia Ecclesiæ conspectior esset, Deus singulari consilio Monarchias & instituit, & notas esse voluit: Quare postquàm catalogum Regum Chaldæorum et Assyriorum breuiter recensui, rursus dicamus, quæ & vbi fuerit Ecclesia. Dictum est autem, Abrahæ migrationem in terram Chanaan incidere in tempora filij Semiramidos, quia tunc sub Rege ignauo & impio creuerunt & tenebræ, & tyrannis contra pios. Ac historia peregrinationis legatur in Moise. Nos breuiter tempora annotamus.

Anno mundi bis millesimo vicesimo tertio, Abraham ex Haran, notissima vrbe in historijs (in quibus nominatur CHARRÆ, & factum est nomen ab æstu) venit in terram Canaan, vbi primum eius domicilium fuit in Sichem, quæ vicina fuit in illo loco, vbi posteà Samaria fuit, & vberrima regio est terræ Palæstinæ. Ac tunc erat Abraham annorum septuaginta

quinq. Inde in Ægyptum propter famem profectus est, ac post aliquot annos rediit.

Anno Abrahæ nonagesimo nono instituta est Circumcisio, cùm iam aliquoties repetita esset promissio de venturo Semine, propter quod Deus tollit peccatum & mortem, & restituit iustitiam et vitam æternam. Ac tunc nouo & admirabili signo, videlicet CIRCVMCISIONE, distincta est Abrahæ posteritas à cæteris gentibus, & promissa est ei certa sedes, & decretum est, in ea posteritate semper fore Ecclesiam DEI, donec nasceretur Messias. Fore etiam membra Ecclesiæ omnes, qui doctrinam eius populi amplecterentur, etiamsi ritum Circumcisionis non assumerent illi, qui non erant nati ex semine Abrahæ. Sic voluit Deus certò sciri, quæ & vbi esset Ecclesia Dei, & conspici discrimen Ecclesiæ à cæteris gentibus, ac intelligi, vim promissionis de Messia seiungere Ecclesiam ab omnibus gentibus. Hanc qui non nôrant, non erant membra Ecclesiæ, sicut scriptum est: Abraham vidit diem meum, & lætatus est. Et existimo, ipsum Filium Dei visibili specie hospitem fuisse Abrahæ in cœna, quæ describitur in cap. 18. Geneseos. Cogita autem, quam venerandus cœtus Ecclesiæ fuerit, cùm ibi sæpè conuenirent, Sem filius Nohæ, qui viderat vtrumq; mundum, & nominatur MELCHIZEDECK, ac rexit oppidum, quod postea dictum est Ierusalem: Et Abraham, qui erat in vicina vrbe HEBRON, quæ à Ierosolyma distabat circiter

ter quinq; Germanica miliaria. Item Loth & Abimelech Rex in Gerare, quæ distabat ab Hebron circiter duo miliaria Germanica. Et multi alij præstantes viri.

DE POENA SODOMÆ.

SImul autem consideres testimonia patefactionum diuinarum. Eodem anno, quo instituta est circumcisio, & manifesta miracula addita sunt: Anus effœta, & quæ antea fuerat sterilis, fit grauida, & confirmata est Ecclesia dulcissimis consolationibus. Mox addita sunt & alia miracula, quæ sunt exempla iræ Dei, quibus Deus testatus est, se seruare Ecclesiam, & puniturum esse impios. Tunc enim horribiliter Deus propter tetras libidinum confusiones flammis de cœlo sparsis deleuit vrbes, SODOMAM, GOMORRAM, ADAMAM, SEBOIM & SEGOR, quarum ruinis demersis in terram, in earum vrbium sede factus est lacus exhalans pernicioſos fumos Ἀσφαλτίτης, qui extenditur germanicis miliaribus octo. Et Strabo inquit: πλεόρτι διακοσίων σταδίων. Et manet hodie hoc illustre testimonium iræ Dei.

Prodest & seriem annorum considerare, vt videamus vtrumq; & exiguo tempore hominum scelera magna incrementa accepisse, & Deum subinde noua testimonia in pœnis & liberationibus ostendisse. Deletæ sunt hæ vrbes, Sodoma, Gomorra, & cæteræ, anno quadra-

quadragesimo post mortem Nohæ. Et post diluuium anno trecentesimo nonagesimo, viuente adhuc SEM, qui & diluuij et huius incendij spectator fuit, qui quidem vt testis & custos esset veræ doctrinæ, vixit post Abrahæ mortem annos 35. Hi tales viri, SEM, ABRAHAM, LOTH, cùm de voluntate Dei illam vicinam docerent, & cùm Abraham recens ciues Sodomarum abductos reduxisset, tamen ab impijs adeò spreti sunt, vt tanta scelera multi palàm facerent, nec verentur oculos talium virorum, quibus verè adesse Deum ex multis non dubijs testimonijs sciebant.

Profectò horribile spectaculum est tantus furor impiorum, cùm optimos haberent doctores, voluntatem & iudicium Dei ostendentes. Sed hoc insigne exemplum monstrat, quomodo Ecclesia in hoc mundo inter impios spreta prematur, & seruetur tamen.

Hic cogitentur cæteræ historiæ, comprehensæ in Moise, de Abraham, de oblatione Isaac, de filijs Isaac, Iacob & Esau, de peregrinationibus Iacob, & filijs eius. Et consideretur, qualis illa Ecclesia fuerit, quæ doctrina, quæ ærumnæ & liberationes, quæ testimonia præsentiæ Dei fuerint. Hic enim breuiter annorum seriem annotamus.

Diligentissimè verò consideretur historia Ioseph, per quem regnum Ægyptium eo tempore florentissimum constitutum est, & propagata vera doctrina de Deo in magna Ægypti parte.

IA-

IACOB fuit annorum nonaginta vnius, cùm ei ex Rahel natus est filius IOSEPH.

IOSEPH anno septimo decimo ætatis suæ in Ægyptum venditus est, viuente adhuc Isaac, qui in communi dolore & luctu fuit cum filio Iacob.

Vixit autem Isaac post venditum Ioseph annos duodecim.

Ioseph cùm esset triginta annorum, ex carcere liberatur, & constituitur Princeps in regno Ægyptio, vt capite 14. Geneseos scriptum est.

Postea cùm fames secuta est, forma regni Ægyptiaci constituta, & tributa ordinata sunt, & Sacerdotum collegio reditus attributi sunt, vt essent doctrinæ custodes. Etsi autem doctrina de Deo post Ioseph mutata est, & post exitum Israëlitarum ex Ægypto, & sæpè postea magnæ regni vastationes acciderunt: tamen doctrina de motibus cœlestibus, & de natura rerum in Ægypto conseruata est tot Monarchiarum tempore, Assyriæ, Persicæ, Græcæ & Romanæ, vsq; ad barbariem Mahometicam, ferè tribus millibus annorum.

Iacob descendit in Ægyptum anno ætatis suæ centesimo tricesimo, vixit annos centum quadraginta septem. Fuit igitur in Ægypto, fruens dulcissima cõsuetudine filij Ioseph, annos septem & decem, ac videns florentem regni statum quod tunc habebat regem pium, cum quo sæpè colloquebatur, & multis vicinis gentibus in fame opem tulit.

Ioseph

Ioseph vixit annos centum & decem. Nec inde vsq; à Ioseph ad tempora certaminum Moisi alia historia de Israëlitis recitatur, præter expeditionem filiorum Ephraim, quæ extat in 1. Paral. cap. 7. vbi narratur, filios Ephraim duxisse exercitum ad occupandam Palæstinam, viuente patre Ephraim, sed interfectos esse. Consentaneum est autem, eos, cum initia tyrannidis Ægyptiæ viderent, & scirent promissiones diuinas patribus de occupanda & tenenda Palæstina traditas esse, humanis consilijs voluisse excutere seruitutem, & confisos esse singulari generis præstantia, quod essent orti à Ioseph, & amplissima promissione ornatus esset pater Ephraim. Hac fiducia humana, cum sine vocatione diuina bellum mouissent, repulsi et interfecti sunt. Id exemplum monet, ne Ecclesia sine vocatione diuina bellum moueat ad seruitutem corporum excutiendam, sed sciat, Deum etiam inter medias ærumnas seruitutis tamen suas reliquias seruaturum esse.

Postea exasperata est tyrannis regum Ægyptiorum contra Israëlitas, de qua legatur historia in Exodo. Ideo autem in regno florentissimo, & in tanta multitudine Israëlitarum in exitu ex Ægypto, & in vicinis gentibus, tot illustria miracula exhibita sunt, quia Deus certissima testimonia de sese, & de sua lege, de promissione, de collectione Ecclesiæ conspici voluit, quæ quidem cogitari vult omnibus ætatibus, vt assensio de Deo, & de tota Ecclesiæ doctrina in nobis con-

firmetur. Sed priusquàm ad eam historiam accedimus, breuissimè de doctrina Iacob dicamus.

Promissio tradita Abrahæ de Semine redditurο nobis iusticiam & vitam æternam, deleto peccato, & abolita morte, repetita est Genesis 28. Et hanc rectè intellectam esse de æternis bonis, & collectione æternæ Ecclesiæ constat postea ex concionibus ipsius Iacob, vt cùm cap. 48. inquit: Deus benedicat his pueris, & Angelus, qui eripuit me de cunctis malis. Hic & Deum nominat, & nominat angelum, videlicet filium Dei, λόγον, missum ad patres, & hunc affirmat non esse creaturam: Quia dicit, se per hunc Angelum à cunctis malis, à peccatis & morte liberatum esse. Hæc vetusta testimonia de Filio Dei sæpè cogitemus, vt sciamus, verè filium esse ὑφιστάμενον, etiam ante assumtam humanam naturam: Et semper adfuisse Ecclesiæ, sicut & Irenæus inquit: Semper adfuisse generi humano λόγον. Ita sint nostra Chronica narrationes non tantum de regibus politicis, sed multò magis de hoc Rege, Filio Dei, & de eius præsentia in omnibus mirandis operibus in Ecclesia.

Prædicit etiam Iacob tempus aduentus Saluatoris, & nominat eum Siloh, vt significet, se respicere ad primam promissionem, in qua dicitur: Semen MVLIERIS conteret caput serpentis. Nam Etymologia SILOH est: κόσμος αὐτῆς. Sic nominat fœtum venturæ Matris. Expressè autem prima promissio loquitur de restituenda iusticia & vita æterna, deleto

peccato

peccato & abolita morte. Itaq; vocem Euangelij eandem docuit Iacob, quæ in scriptis Propheticis & Apostolicis de filio Dei, & æternis eius beneficijs postea scripta est, & quæ est propria Ecclesiæ doctrina, & eam à cæteris gentibus discernit.

DE EXITV ISRAELITARVM ex Ægypto.

NON longo tempore post mortem IOSEPH, reges Ægyptij abiecta doctrina Ioseph, rursus idola coluerunt, & Magicas artes amplexi sunt. Ita non diu retinent homines lucem veritatis, nisi diuinitùs seruetur, sicut tunc veritas in populo ISRAEL conseruata est. Cùm autem Ægyptij odissent Israëlitas, & metuerent eorum multitudinem, dura seruitute eos premere cœperunt, & edicta proposita sunt de necandis infantibus. Hæc calamitas longo tempore duravit, videlicet à nato Moise annos octoginta.

Inquit autem textus in Exodo cap. 12. Ebræos fuisse hospites in Ægypto annos 430. Inde Paulus numerum sumpsit, inquiens ad Galatas cap. 3. post promissionem Abrahæ datam vsq; ad legis promulgationem annos esse quadringentos & triginta. Sunt igitur anni in Exodo & Paulo non numerandi à descensu Iacob in Ægyptum, sed à prima migratione Abrahæ, cùm ex Haran egressus promissionem accepit, cùm esset annorum septuaginta quinq. Et mox in Ægyptum profectus est propter famem. Horum annorum computatio hæc est:

25. Vi-

25 Viginti quinq; anni, à migratione Abrahæ ex Haran ad natum Isaac.
60. Sexaginta. Natus Iacob.
90. Nonaginta. Natus Ioseph.
110. Centum & decem vixit Ioseph.
65. Sexaginta quinq; post Ioseph natus Moises.
80. Octoginta à nato Moise ad exitum ex Ægypto. Summa 430. Anni.

LEgatur autem integra historia de exitu Israelitarum ex Ægypto, & de legis promulgatione in libro Moisi. Quia inter res maximas in genere humano verissimè est illa patefactio Dei, facta, cùm legem cœlesti voce edidit in monte Sinai, audientibus sexcentis millibus virorum. Et vt non dubium esset, hanc esse doctrinam diuinam, addita sunt tot testimonia: Eductio populi per mare rubrum, aquis cedentibus, & postea Pharaonis interitus: Manna de cœlo sparsum, dum quotidiè singulis duo ΧΟΙΝΙΚΕΣ dati sunt, id est, quatuor Sextarij, & alia ingentia miracula, quorum consideratio in nobis fidem de tota doctrina in Ecclesia confirmet.

In ea Historia hoc quoq; nobis gratum sit, quòd Paulus affirmat, ipsum Filium Dei & ductorem & custodem Israelitis adfuisse, & cogitemus, eum semper etiam Ecclesiæ suæ adesse, vt inquit: PETRA AVTEM ERAT CHRISTVS. Et placet mihi veterum interpretatio, qui, cùm Paulus inquit,

legem per manum Mediatoris datam esse, intelligunt ipsum filium Dei, λόγον æterni patris, fuisse oratorem ad populum, dicentem verba legis, qui ipse postea in natura humana etiam inquit: Non veni soluere Legem, sed implere. Hæc suo loco copiosius declaranda sunt.

Est autem annus à condito Mundo ad exitum Israëlitarum ex Ægypto bis millesimus, quadringentesimus, quinquagesimus tertius 2453.

Ab exitu Abrahæ ex Haran, quadringentesimus tricesimus. 430

Post conflagrationem Sodomæ, anno quadringentesimo sexto. 406

Anno ante fabricationem templi Salomonis, quadringentesimo octogesimo, vt scriptum est 3. Regum 6. cap. 480

Considerandum est autem, quæ regna tunc in genere humano præcipua fuerint, quibus spectantibus Deus Ecclesiam suam in loco certo constituere voluit. Magna fuit potentia Monarchiæ Assyriæ, sed celebritas maior fuit regni Ægyptij, propter opulentiam & artes. Inter hæc regna collocauit Deus Ecclesiam, & illustribus testimonijs suam patefactionem ostendit.

Nomina autem regum Ægyptiorum posteriorum, vt Necato & Apryis, qui extant in Herodoto, ad historias regum Iuda perspicuè accommodare possumus, quia tempora nota sunt. Sed priorum regum tempora apud Herodotum & Diodorum non sunt ordine annotata.

Osi-

OSIRIS, id est, auxiliator vir, seu beatus vir, qui existimatur vixisse tempore Abrahæ, & ISIS coniunx, Ischa, id est, virago.

ORVS, id est, lumen. OR, qui præcipuè doctrinas in Ægypto monstrasse dicitur, existimo vsum esse consilijs Abrahæ, & doctrinam de vero Deo populis tradidisse. Fuit autem adiuncta doctrina de motibus cœlestibus.

Filius nominatus est BOCCHORIS, id est primogenitus vir.

Deinde BVSIRIS, id est, Munitor, qui maxima opera extruit. Et Diodorus Siculus scribit, eum condidisse Thebas Ægyptias. Cùm autem celebrata sit Busiridis crudelitas, quia dicitur mactasse hospites, consentaneum est, famam crudelitatis ortam esse à sæuitia, quam erga Ebræos exercuit, necatis ipsorum infantibus. Et cum Pyramides aliquas construxerit, labore Ebræorum constructas esse consentaneum est. Nam prope oppidum Busirin sunt tres Pyramides celebratissimæ, quarum Plinius mentionem facit. Apparet autem eodem nomine plures fuisse reges Busirides.

Postea fuit interregnum, quia deleto rege in mari rubro, cùm educti sunt Israëlitæ, diu in Ægypto varias seditiones fuisse credibile est.

Post Busiridem nominatur à Diodoro post longum interuallum rex MIRIS, id est, acerbus vel crudelis. Hic rursus deterſit Nili alueos, & eduxit lacum Myrin, & instaurauit potentiam regni Ægyptij.

Ideò clarior est multis alijs Regibus.

Post hunc fuit, tempore Samsonis ante bellum Troianum, filius Miridis SESOSTRIS, id est, ponens exactores, vel direptor, sub quo Ægyptij regni potentia valdè creuit. Hic enim multas victas gentes domuit, & latè in Asia regnauit, & nauigijs lustrauit maria, insulas & littora, vt terrarum metas inueniret, quarum cognitio initium fuit doctrinæ Cosmographicæ. Fuisse cum ante Persica tempora ostendit narratio de Dario, qui cum vellet suam statuam collocari ante Sesostris statuam, à sacerdote prohibitus est, quia Darius nondum magnitudinem rerum gestarum Sesostris æquasset. Hanc libertatem sacerdotis Darius laudauit.

Post Sesostrim collocat Diodorus filium eodem nomine. Herodotus nominat PHERONEM, quod existimo commune nomen esse PHARAO. Hic cæcus factus vixit in ocio.

Post eum regnauit PROTEVS, quem Diodorus nominat CETEM. Existimo autem à Græcis Protea nominatum esse, propter magiam, quia varias præstigias effecit. Ad hunc venit Paris cum Helena, & deinde Menelaus. Congruunt autem Troiani belli tempora ad tempora regis SAVL.

Post Proteum collocat Herodotus RAMPSINITVM, id est, altum scutum, sub quo narrat furtum insigne, & fratrem furis, cui Rex filiam dedit vxorem propter astutiam.

Deinde

Deinde CETHVS, id est, Petra, apud Diodorum, seu CHEOPS apud Herodotum, ignauus & auarus, qui etiam Filiam prostituit propter pecuniam.

Huius filius fuit CETHRIM, id est, Leo inuisus populo, propterea quod templa multos annos clausit.

Post hunc nominatur MYCERINVS apud Herodotum, seu CERINVS, apud Diodorum, id est, ordinator, quia hic restituit iudicia, iustissimè iudicauit, & rectè iudicantibus præmia dedit.

Deinde nominatur ANTISCÆCVS, & SABACVS, qui videtur esse SESAC, 3. Reg. 14. auarus, vnde nomen est Saccus munerum.

SETHON, cui bellum illaturus Sennacherib Assyrius non potuit progredi in Ægyptum, amisso exercitu in Iudæa.

ESAMITICHVS, cuius patrem Sabacus occiderat, regno potius expugnauit vrbem Azotum in Syrios.

NECOS vicit Iosiam prope vrbem Mageddo. Herodotus nominat Magdalum, quod generaliter arcem significat. Postea idem Necos à Nabogdonosor victus est, vt Ieremias narrat cap. 46.

Filius PSAMMIS.

Deinde APRIES, quem nominat Ieremias OPHREA, cap. 44. Sidonem deleuit, & Ieremiam interfecit. Postea ab Amasi duce, qui Cyrenaicam, quæ defecerat, pacauit, strangulatus est.

Hîc & nomina regum, & rerum gestarum nar-

rationes, apud Herodotum congruunt cum Ieremiæ historia, quare et tempora facilè agnosci possunt. Gratum est autem videre, vbi Propheticam historiam continua serie Herodotus sequatur. Simul & hoc cernitur, Propheticam historiam longè vetustiorem esse Græca. Deinde verò Græcam consentientem, testimonium præbere Propheticæ historiæ.

Hactenus verò ad AMASIN vsq; ducta est series Ægyptiorum regum, vsq; ad Persicam Monarchiam. Quia Amasis tempora incidunt in Persicæ Monarchiæ initia.

Cùm Amasis tenuisset Ægypti regnum annos quadraginta quatuor, vt scribit Herodotus, successit filius PSAMMENITVS, hoc est, clypeus inclinatus, qui cum sex menses regnasset, captus est à Cambyse, rege Persico, & aliquantò pòst interfectus. Sunt & apud Herodotum de Psammenito hæ narrationes, dignæ memoria: Cùm filia duceretur inter captiuas seruili habitu, missas ad aquam ferendam, sedit pater Psammenitus inter captos, videns prætereuntem filiam: Ac cæteris plorantibus ipse tacitus sedit, oculis in terram defixis. Postea cum filius duceretur inter cæteros interficiendus, sedit eodem modo tacitus. Pòst hos cum familiaris quidam duceretur inter captiuos, plorare & caput ferire cœpit. Hæc cum animaduertisset Cambyses, interrogari eum iussit, cur nunc ploraret, cum antea tacitus vidisset duci filiam & filium? Respondit, Domestica mala maiora esse lacry-

lacrymis, sed amici calamitatem posse lacrymis significari. Aiunt autem, Cræsum qui simul adfuit, & principes Persicos illacrymasse, & Cambysen misericordia motum iussisse filium ei restitui incolumem. Ad quem reducendum cum nuncij mitterentur, iam adolescens interfectus erat. Ipsi tamen Psammenito tunc vitam donauit Cambyses, & ei redditurus Ægyptum, vt eam tanquam regius præfectus gubernaret. Sed cùm Psammenitus non quiesceret, & solicitaret Ægyptios ad defectionem, iussit eum postea Cambyses interfici.

Deinceps Ægyptum retinuerunt Persici Reges vsq; ad Darium Nothum, cuius anno sexto Amyrteus Saites defecit à Persis, & in Ægypto regnauit. Et pòst hunc Nepherites, Achoris, & Nectanebos prior & posterior, quem expulit ex regno Persicus rex Ochus, qui Sidone incensa progressus recuperauit Ægyptum. Fugiens autem Nectanebos in Æthiopiam exul ibi mortuus est.

Deinde pòst annos ferè viginti occupata est Ægyptus ab Alexandro, pòst quem nati ex Macedonica stirpe reges Ægypti fuerunt, de quibus infra dicemus, in tertia Monarchia.

Nunc veterum regum Ægyptiorum catalogum contexui, vt aliquo modo conspici possit, quomodo series rerum Ægyptiarum ad primam & secundam Monarchiam, & ad politiam Israël congruat. Excelluit autem Ægyptus artibus & legibus, & aliquantisper

tisper doctrina Ioseph Ecclesiam ibi plantauerat. Sed reliquis temporibus plena fuit Ægyptus teterrimorum Idolorum, ideo crebris mutationibus regni, & varijs calamitatibus punita est. Postquam autem de Chaldæis, Assyrijs, & Ægyptijs diximus, in quibus regnis tempore primæ Monarchiæ multæ mutationes & vastationes acciderunt: Nunc rursus de politia Israël dicemus, & breuiter catalogum Iudicum & Regum inseremus. Nam res gestæ legendæ sunt in Prophetica historia, & simul considerandum est, qualis ibi fuerit Ecclesia: Quæ sint à Deo illustria testimonia ostensa: Qui Prophetæ missi sint: Quæ fuerit forma gubernationis: Quomodo defensa sit Politia Israel propter Ecclesiam, non humanis consilijs, sed à DEO subinde excitatis Ducibus, sicut & Zacharias dicit: Non in exercitu, non in robore, Sed in Spiritu meo, dicit DOMINVS.

IVDICES POPVLI ISRAEL.

CVm Israelitæ quadraginta annos in deserto fuissent, MOISES moritur, quadragesimo anno post exitum ex Ægypto, cum vixisset annos centum & viginti.

Huic succesit IOSVA, qui fuit Dux populi Israel, annos triginta duos.

Non fuit autem successio Ducum ex certa stirpe, aut electio certi Senatus, sed velut Aristocratia erat Seniorum in singulis Tribubus, & summa autoritas erat

erat Legis diuinæ, quam Sacerdotes quotidiè docebant. Et hi consulebantur de grauissimis negotijs, vt in Deuteronomio mandatum erat. Ita LEX DEI erat domina & rectrix huius populi, nec quisquam appetebat regnum, quia sciebant, hunc populum DEI esse & à DEO protegi, nec humanis consilijs formam gubernationis nouam constituendam esse, sicut Gedeon inquit: Non dominabor vestri, nec dominabitur vestri filius meus, sed dominabitur vestri DOMINVS. Sic diuinitùs conseruata est hæc Aristocratia annos post Iosua trecentos viginti quinq; vsq; ad mortem Eli. Excitauit autem Deus aliàs ex alia tribu felices Duces, vt ostenderet diuina potentia colligi & seruari Ecclesiam, nec felicem esse gubernationem, nisi DEO iuuante. Simul autem defensionis miracula testimonia fuerunt de doctrina huic populo tradita, & ostenderunt in hoc populo verè fuisse Ecclesiam Dei, & præsentem in ea esse DEVM. Ac duces post Iosua fuerunt.

OTHONIEL ex tribu Iuda annos octo.

EHVD ex tribu Beniamin annos octoginta. Interfecit Eglon regem Moab, & profligatis Moabitis trucidauit decem millia hominum.

DEBORA & BARVC ex tribu Nephthali, annos quadraginta. Vicerunt Sisaram, Ducem regis Iabin, qui tenuit Hazor, quæ tunc adhuc fuit regia Cananæorum, in sorte Nephthali.

GEDEON ex tribu Manasse, annos quadraginta. Vicit Midianitas.

ABIMELECH, natus ex concubina Gedeon, interfecit fratres septuaginta, & velut Tyrannus regnauit in Israël tres annos, & interfectus est à suis ciuibus. Tanta calamitas accidit posteritati Gedeonis, quem Deus singulari modo vocauerat, & ornauerat illustribus victorijs & testimonijs, quia ipse tandem instituit cultum sine mandato Dei. Et voluit Deus ostendere, se non velle quenquam occupare dominationem fiducia generis, sed retinendam esse Aristocratiam, & à Deo expectandam esse gubernationem.

THOLA, ex tribu Isaschar, annos viginti sex.

IAIR, ex tribu Manasse, in Galaad, quæ regio fuit vltra Iordanem, versus Libanum et Arabiã, postea dicta Iturea, id est, scopulosa, quòd Græcis est τραχωνίτις, id est, aspera: Præfuit annos viginti duos.

IEPHTE, ex tribu Manasse in Galaad, annos sex, temerario voto mactauit filiam tanquàm hostiam.

ABESAN Bethlehemites ex tribu Iuda, annos septem. Quidam scribunt hunc esse BOAS, patrem ISAI, auum Dauidis.

ELON, ex tribu Sabulon, annos decem.

ABDON, ex tribu Ephraim, annos octo.

SAMSON, ex tribu Dan, annos viginti.

Postea non nominantur Duces, sed præcipua autoritas fuit summi Sacerdotis ELI, cuius fuit infelix exitus, amissa Arca, quam DEVS mirandis modis restituit

restituit Israëlitis, vt ostenderet Ecclesiam suam non humanis consilijs & viribus, sed diuina potentia colligi & seruari.

Nec tamen aut veteribus exemplis, aut hoc recenti & illustri miraculo moti sunt Israëlitæ, quò minus humanis consilijs mutarent formam gubernationis à DEO institutam. Sunt autem anni Eli vsq; ad eius mortem quadraginta.

SAMVEL & SAVL annos quadraginta. Quanquam autem Samuelis gubernatio felix & salutaris fuerat, tamen populus expetiuit nouam gubernationis formam. Hunc errorem & hanc cupiditatem populi Deus reprehendit.

Ac si quis interrogat, Quod fuerit populi peccatum, cum videatur sapienter deliberatum esse, vt certus Dux esset? Simplex responsio est hæc: Duo magna peccata taxari, diffidentiam, & audaciam nouæ formæ constituendæ, humano consilio in politia diuinitùs constituta. Vult enim Deus intelligere Ecclesiam protegi & seruari eam à Filio, qui est caput Ecclesiæ, non humanis præsidijs. Et vult eam expectare defensionem diuinitùs, sicut expectauerat liberationem in Ægypto plus octoginta annis. Hac fiducia tunc seniores abiecta, cogitabant de humanis præsidijs.

Alterum delictum est, Audacia constituendi nouam formam in politia à Deo constituta. Nam Deus neq; doctrinam, neq; cultus, neq; legem, quam tradiderat, mutari voluit. Quare, nec formam politiæ

mutare

mutari uolebat, quia talis mutatio etiam legem & doctrinam labefactat, sicut uincula legum sæpè reges ægrè ferunt. Multi etiam inflectunt religiones ad suas cupiditates, ut reges Samariæ nouum cultum regni causa instituebant. Nec desunt exempla ueteris dicti ulli ætati: PIETAS, SANCTITAS, FIDES, priuata bona sunt: qua iuuat Reges eant.

Hæc consideratio de delictis populi commonefacit nos de protectione Ecclesiæ, & de impia Pontificum & aliorum audacia, qui noua dogmata & nouos cultus instituerunt aut stabiliunt, relicta puritate primæ Ecclesiæ. Item, qui contra uocationem mouent Respublicas.

Adsentitur autem Deus, & regem constituit, sed prædicit onera regni: Hoc est Ius regis &c: Hic dicunt aliqui describi Tyrannum, non regem, nec dici hæc ita, tanq̃ approbante Deo seruitutem. Sed textus nominat IVS REGIS, & loquitur de oneribus, stipendiorum causa impositis, non tribuit potestatem instituendi extremam seruitutem cõtra legem diuinam. Quia Deuteronomij 17. præceptum est, ut Rex discat Legem, & eam sequatur in tota gubernatione. Et punitur Achab, qui distinctionem dominiorum, in Lege sanctam tollere uoluit cum Naboth inuito erepturus erat uineam: Quanq̃ autem & interdum mitis & saluberis est forma regni, tamen asperior est, q̃ Aristocratia. Et pauci in magna potentia moderati sunt.

Constituto aũt regno, multa deinceps consideranda

da sunt, bona & mala. Summum bonum in qualibet congregatione est conseruatio ueræ doctrinæ de Deo, & Ecclesiæ. Quia homines ad agnitionem Dei, & ad æternæ Ecclesiæ societatẽ, non tantùm ad huius uitæ mortalis ingentes ærumnas conditi sunt, sicut dicitur Matth. 16: Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animam uerò amittat? Item: Primum quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis.

Laudatur ergò à Moise & alijs Prophetis Politia Israel, quòd in ipsa luceat uera doctrina, & quòd ibi sit certò Ecclesia Dei. Ideò dicitur Deuteronomij 4: Nec est alia natio, quæ habeat appropinquantem sibi Deum, sicut adest Deus noster cunctis obsecrationibus nostris. Ad has laudes pertinet totus liber Salomonis, cuius titulus est CANTICVM.

Hoc igitur in regio statu bonum est, quòd aliquo modo piorum regum labor Deo iuuante profuit ad doctrinæ conseruationem, ut Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias studia doctrinæ & ueros cultus adiuuerunt.

Secundum bonum Regij status fuit, quòd in Regum uictorijs Deus illustria testimonia suæ præsentiæ in hoc populo ostendit, sese patefecit, & testimonia doctrinæ & Ecclesiæ exhibuit, & Prophetas Regibus adiunxit. Summã etiam promissionem de MESSIA repetiuit, & ad stirpem DAVIDIS alligauit, ut certè sciretur, ubi et quando Messias uenturus erat. Et huic promissioni hoc bonum adiunctum fuit,

quòd

quòd certò sciebant, illam politiam duraturam esse, donec Messias exhibitus esset. Hæc bona non fuerunt in Ethnicis imperijs. Ideò hoc regnum longè antecelluit in toto genere humano. Ac interiectum fuit alijs regnis, Ægyptio, Assyriaco, Chaldæo, & Persico, vt inde agnitio veri Dei propagaretur etiam ad multas alias gentes.

Tertium bonum fuit Regij status, quod vtcunq; profuit ad durationem politiæ. Sunt enim à principio Dauidis vsq; ad mortem Sedechiæ, anni quadringenti, sexaginta septem. Et tamen postea quoq; post reditum ex Babylone Duces fuerunt ex stirpe Dauid vsq; ad Maccabæos, annos trecentos septuaginta tres.

Hæc bona fuisse magna & singularia opera DEI, agnoscendum est, sicut scriptum est: Nisi DOMINVS custodierit ciuitatem, frustrà vigilat, qui custodit eam. Et vt hæc summa bona nostris politijs etiam tribuat, ardentibus votis petamus. Et vbi dantur, agnoscamus ea esse Dei opera, & grati Deum autorem & custodem celebremus, & retinere ea studeamus.

Vt autem cætera diuina opera Diabolus odio Dei corrumpere conatur, vt in ipsa natura humana tristissimam destructionem fecit: Sic & ordinem in gubernatione varijs furoribus turbat: & infirmitas humanæ naturæ per sese facilè labitur & extra ordinem ruit. Hæ sunt causæ innumerabilium vitiorum & calamitatum in gubernatione. Itaq; & in regno populi Dei multa magna mala accesserunt ad diuina beneficia.

Ambitio & æmulatio primum regem SAVLEM impulit ad crudelitatem & tyrannidem. DAVID voluptati indulsit, ideò per seditionem à filio pulsus est. Salomon ad voluptates addidit cultum Idolorum. Ideò postea dilaceratum est regnum. Hæc dilaceratio peperit adsidua bella ciuilia, seditiones, & Idolorum cultus. Et post annos ab initio Ieroboam ducentos quadraginta quatuor, tristissimam dissipationem decem tribuum, quæ posteritatis Iacob pars maxima fuit, ac nequaq; existimauit futurum, vt ex hac sede ejiceretur, quæ & diuinitùs promissa erat, & ingentibus miraculis tradita et defensa fuerat. Sed hoc exemplo multa Deus monet. Ostendit promissionem præciquam non esse de hoc politico regno, sed de æternis bonis. Et voluit in pœnis disci discrimen promissionum æternarum & temporalium. Ac profectò oportuit esse excellentem eruditionem Sacerdotum, qui docuerunt rectum intellectum promissionum, Et ob hanc causam Prophetæ missi sunt.

Postea huius regni exemplis monet Deus omnes homines, vt reuerenter donis Dei vtantur, et cogitent de iudicio Dei, & sese ad pœnitentiam & veram inuocationem excitent. Ac magnitudo pœnarum vtrumq; ostendit, iram Dei aduersus peccatum, & rursus præsentiam Dei potenti dextra inter tantas confusiones seruantis tamen regni partem, quatenus seruetur sicut inquit Ieremias: Misericordia Domini quòd non consumpti sumus.

Intuen-

Intuentes itaq; historiam populi Israel, sciamus nos de multis magnis rebus commonefieri. Ab initio huius Chronici diximus ex historijs non tantum exempla politicæ gubernationis petenda esse, qualia præbent res gestæ in alijs imperijs: Sed multò magis testimonia patefactionum Dei, & iræ ac misericordiæ, & imagines calamitatum & liberationum Ecclesiæ. Ac vult Deus his testimonijs confirmari in nobis fidem & inuocationem, & cæteras virtutes. Etsi autem hæc cogitatio utilissima est, & in lectione sacrorum voluminum omnia exempla diligentius illustranda sunt, tamen in hac temporum annotatione necesse est, nos breuiores esse. Sed lectores adhortor, vt mente integras historias intueantur, & cogitent, quare eas Deus Ecclesiæ proposuerit.

DAVID *vixit annos 70. Regnauit annos 40. 2. Reg: 5. In huius historia non hoc tantum considerandum est, quod ornatus est à Deo multis admirandis & salutaribus victorijs, quæ fuerunt testimonia præsentiæ Dei in hoc populo: Sed multò magis hoc, quod ad eum repetita est promissio de Messia. Eius promissionis quoq; testimonia fuerunt illæ victoriæ. Ac non solùm Regis officio felicissimè functus est, sed etiam Doctor fuit præcipuus in hoc populo. Et in suis scriptis non tantum Legis doctrinam, sed etiam Euangelium complexus est. Docuit, quis sit Messias, & quæ sint eius beneficia. Et quidem Dauidis dolores typi fuerunt dolorum* CHRISTI.

Cumq;

Cumq; vir tantus esset Dauid, simul fit exemplum infirmitatis humanæ & pœnarum. Turpiter labitur, & horribiliter punitur, & sustinet non solùm suorum scelerum conscientiam, sed etiam ingentium scandalorum, quæ peperit seditio. Est enim nimis verum dictum Thucydidis: ὧν σάσει πᾶσα εἰδέα κακοῦται. *Sed idem Dauid testis est misericordiæ & remissionis peccatorum. Vult enim Deus nos tenere Regulam: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, & vult nos intueri exempla eorum, qui redierunt ad pœnitentiam, ne desperatione opprimamur. Hæc sunt præcipua in Dauidis historia, quem, etsi non parua macula deformatus est, tamen cogites fuisse* σκεῦος ἐλέους, *Quia & Ecclesiæ & politiæ eius labores profuerunt, & rursus ad Deum conuersus est.*

In hanc totam imaginem intuentes de nobis quoq; cogitemus, & ardentibus votis precemur filium Dei, vt nos quoq; faciat vasa misericordiæ. Confirmemus etiam nos ipsius doctrina & exemplis, sicut ipse vult suas liberationes testimonia esse de promissione et voluntate Dei, quòd et alijs inuocantibus opitulari velit, sicut inquit Psalmo 33. Accedite ad eum, & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum.

SALOMON *filius Dauidis circiter vicesimũ ætatis annum successit patri. Regnauit annos 40.*

Fuit igitur breue spatium ætatis, anni videlicet sexaginta aut circiter. Vt autem regna debent esse & defensio & gubernatio in pace, iuxta vtramq; tabulam Decalogi, id est, vt vera doctrina de Deo proponatur, & vera inuocatio fiat, regantur mores, exerceantur iudicia, ordinentur tributa & præsidia, dedit Deus post bella Dauidis pacem Salomoni, & instruxit eum excellenti sapientia, & adiunxit sapiens Collegium Prophetarum, & aliorum excellentium eruditione & pietate. Sunt igitur eius opera conuenientia paci, ædificatio Templi, studia doctrinæ, monumenta librorum de historijs Ecclesiæ, de natura rerum, iudicia & ordinatio tributorum & præsidiorum. Fuitq; Salomon & Rex & Doctor, sicut se nominat Ecclesiastem, id est, concionatorem. Extant adhuc tres libelli, qui sunt testimonia fidei ipsius, & doctrinam dulcissimam continent. Est igitur & Salomon exemplar boni Regis in pace. Sed tamen idem fit etiam exemplum humanæ infirmitatis. Hæc excellens sapientia tunc senescit, cum maximè vigere debebat, & cedit mulierum affectibus, quibus ædificauit templa Idolorum, qua in re primum lapsus consideretur, quod in Ecclesia Rex & Doctor excellens, in quo fuerat Spiritus sanctus, admittit Idolorum cultum. Simus igitur vigilantes, & petamus nos gubernari à Deo, ne approbemus aut stabiliamus Idola. Deinde magnitudinem pœnæ intueamur. Tertio Regum 11. scriptum est, hunc lapsum Salomonis causam esse dilaceratio-

cerationis regni, quæ postea sequuta est, & quæ noua Idola, & assidua ciuilia bella peperit. Nec dubium est, in hac postrema mundi senecta, orbem terrarum à Turcis vastari, & lacerari ciuilibus bellis ideò, quia Deus horribiliter irascitur cùm alijs sceleribus, tùm verò præcipuè Idolis, quæ in ea parte generis humani, quæ Ecclesiæ titulum habet, dominantur. Quare adsiduis gemitibus petamus à DEO, vt veram inuocationem vbiq; accendat, & omnia Idola deleat.

ROBOAM filius Salomonis successit patri, cùm esset annorum quadraginta vnius. Regnauit annos 17. Vixit annos 58. Fuit negligens in tollendis Idolis, in Imperio superbus & ignauus. Fuit igitur infelix & calamitosa vniuersa eius gubernatio. Creuerunt sub eo Idolorum cultus. Spretis seniorum consilijs, cùm non vellet leuationem onerum publicorum admittere, defecerunt ab eo decem Tribus, & aliud regnum constituerunt. Gessit bella infeliciter cum Rege Ieroboam & cum Ægyptijs. Ita post auream ætatem Salomonis & peccata cumulata sunt, & magnæ calamitates secutæ. Hæc exempla ostendunt, nec diuturnum esse felicem statum regnorum, nec sedem eandem imperiorum diu manere, sicut in Syracide dicitur: Regnum à gente transfertur ad gentem propter iniusticiam. Quanquàm autem & Ecclesiæ nocent Imperiorum ruinæ, tamen Deus potenti dextra reliquias conseruat, & propter eas aliquantisper Im-

peria retinet, ne desint hospitia. Hanc consolationem Prophetæ sæpè repetunt

ABIA filius Roboam regnauit tres annos in Iuda. Vicit magno prælio exercitum Ieroboam.

ASA regnauit in Iuda annos 41. Deleuit Idola, etiam suæ matris impios cultus sustulit. Vicit Æthiopes. Sed postea mutatus fecit fœdus cum rege Syriæ, & obiurgatus Prophetam inclusit in carcerem.

IOSAPHAT pius & felix. Regnauit in Iuda annos viginti quinq. Fecerat fœdus cum Rege impio Achab, propter quod à Deo obiurgatus est. Postea domi iudicia constituit, & iudicibus pia mandata dedit, quæ recitantur 2 Paralip. 19. Non hominis exercetis iudicium, sed DEI. Et uobiscum est in Iudicio, videlicet & adiutor & vindex. Sit timor Domini vobiscum. Rectè cognoscite, & sitis executores. Vicit Ammonitas sine prælio, vt victoria testimonium esset præsentiæ Dei in isto populo, & doctrinæ.

Tempore Iosaphat fuit ELIAS Propheta, & aliquandiu deinceps. Successit huic ELISÆVS, quos excitauit Deus immensa bonitate in regno impio decem Tribuum, vt inde reliquias Ecclesiæ excerperent, & Idola delerent, & docerent populum quærere veram doctrinam & veros cultus in Ierosolyma, et ostenderent testimonia, de vera doctrina, ac vt aliquantò diutius hæ decem tribus in patria retinerentur. Nam post hos statim abductæ sunt: Ac vt autoritas maior esset, vterq; natus est, non sub Rege Iuda, sed sub

sub Regibus Samariæ. Elias in oppido Thesbi ultra Iordanem, Elisæus in Galgala, non procul à Iericho. Incidit autem gubernatio eorum in mediam ætatem Mundi. Nam sub patre Iosaphat completa sunt tria millia annorum à condito Mundo. Ita Deus non longis interuallis Doctores misit, quibus addidit illustria testimonia post Noë, Abraham, Ioseph, Mosen, Iosua, Samuelem, Dauidem, & mox valdè insignes Eliam & Elysæum. Elysæum audiuit Esaias, hunc Ieremias, Ieremiam Daniel, Danielem Aggæus & Zacharias. Deinde fuerũt Malachias, Onias, Maccabæi, Simeon, Zacharias, Iohannes Baptista, qui monstrauit Christum præsentẽ. Gubernatio autem ELIÆ, quãtum ex scripta historia sumi potest, complectitur circiter annos viginti: ELISÆI gubernatio circiter annos septuaginta. Fuit autem ingens beneficium, tales Doctores tam longo tempore habere, qui de dubijs quæstionibus respondere poterant. Ac propagata est horum doctrina ad posteros, quia cœtus discentium eos habuisse manifestum est.

Necesse est autem totam seriem Prophetarum, eorum vocem, consensum doctrinæ, miracula, coniũctionem inter ipsos, considerare. Nam consentiens vox doctrinæ erudit & confirmat pias mentes, & illius pulcherrimi agminis coniunctio ostendit, & esse Ecclesiam Dei, & quales sit. Monet docentes, vt ipsi quoq; coniunctionem inter sese tueantur. Quid pulchrius est tali collegio, quale est Elisæi & discipulo-

rum, & in quo Deus habitat, & manifesta testimonia ostendit, & in quo studia sunt veræ doctrinæ de Deo, & de natura rerum? Et ordine aliqua Prophetarum collegia fuerunt. In hæc intueamur, quærentes, quæ & vbi fuerit Ecclesia Dei. Quanquàm interea in illo regno Israëlitico præter hæc Collegia fuit magna multitudo impiorum Sacrificulorum, multi Reges cultores Idolorum, multi seditiosi Duces, qui regnum occupabant, & patriam dilacerârunt. Sic inter varias confusiones Ecclesiam tamen Deus seruat, in qua pij omnes, ac præcipuè Doctores eò coniunctionem magis amare, & omnibus officijs fouere debent, vt ipsa coniunctio decus aliquod afferat, ornet doctrinam & nomen Dei, & confirmet pios.

IORAM regnauit in Iuda annos 8. Dissimilis patri Iosaphat. Interfecit omnes fratres suos. Coluit Idola exemplo materno. Erat enim natus ex matre filia Regis Samariæ Achab. Fuit infelix eius gubernatio. Tunc enim Arabes Iudæam vastarunt, & filios Ioram interfecerunt.

OCHOZIAS regnauit in Iuda annum vnum, captus à Rege Samariæ IEHV, & ex vulnere mortuus in Mageddo. ATHALIA verò mater, nata ex Rege Samariæ Amri, impia & crudelis, vt regnum retineret, interfecit omnes regni hæredes, præter puerum IOAS clam ereptum sæuitiæ mulieris Tyrannicæ. Hoc tempore regnum Iuda à stirpe Salomonis translatum est ad posteros Nathan, qui etiam

etiam fuit filius Dauidis. Hîc rursus exemplum proponitur, quod ostendit, regna mutari & extingui familias propter Idola & Tyrannidem. Tota posteritas Salomonis deleta est. Interea tamen Deus mirabiliter seruat promissiones de regno IVDA, & de venturo Messia. Transfert enim regnum ad posteros Nathan, ex quibus vult nasci Messiam. Ideò in Genealogia Christi apud Lucam omisso Salomone inscribitur Nathan.

ATHALIA Tyrannica mulier regnauit annos septem, interfecit posteritatem Salomonis, & publicè cultum & sacerdotium Baal in Iuda instituit. Ideò Ioiadas summus sacerdos ipsam & sacrificulos Baal interfecit, & cultum Baal sustulit.

IOAS seruatus à coniuge summi sacerdotis, regnauit in Iuda annos quadraginta, instaurauit Templum, & fuit initiò Rex pius & felix, donec vixit IOIADAS summus sacerdos, cuius consilijs obtemperauit. Post eius mortem cœpit Idola colere, & interfecit Zachariam, illius filium, à quo ipse seruatus erat. Postea Syriaci exercitus populati sunt Iudæam, & Ioas à seruis suis interfectus est. Regnante hoc Ioas mortuus est ELISÆVS.

AMASIAS regnauit in Iuda annos 29. initiò pius & felix. Vicit Idumæos. Postea coluit Idola, & moto bello non necessario dissuadentibus Prophetis victus est, & templum spoliatum est. Post aliquot annos ipse Amasias fugiens ex Ierosolyma, interfectus est in Lachis.

Tempore Amasiæ Sardanapalus fuit, quo oppresso Monarchia Chaldæa diuisa est, retinuit et Phul Belochus Babylonem et Niniuen. Arbaces verò fuit Rex Medorum & Persarum. Hactenus verò Chaldæi & Assyrij non intulerunt bellum Israëlitis et Iudæis, sed deinceps Assyrij duriter adflixerunt decem Tribus, & Ecclesia crescentem potentiam illorum regnorum magnis calamitatibus experta est. Sed vicit tamen conuersis Regibus ad agnitionem veri DEI, *Nabogdonosor, Dario, Medo, Cyro, & alijs.*

OZIAS, *cuius & alterum nomen est* AZARIAS, *regnauit in Iuda annos quinquaginta duos. Initiò pius & felix vicit Philistæos & Arabes. Sed postea cùm officio sacerdotis fungi vellet, & per sese sacrificaturus esset, Deus iram suam publica pœna declarauit. Regem enim subita lepra percussit, quæ postea hæsit in eo in longa senecta.*

Sub eo concionari cœpit Esaias natus in familia Regia, qui cùm à Manasse serra dissectus sit, fuit in ministerio Prophetico annos circiter octoginta. Prædixit mutationes precipuorum regnorum, quæ postea sequutæ sunt, regni Israël, Ægyptici, Syriaci, Babylonici, Assyriaci, euersionem Tyri. Et quidem nominatim vaticinatur, Macedones, Cittim et Dodonæos potituros esse Tyro & Babylone. Doctrinam verò de Messia & de gratia splendidissimè illustrauit.

IOTHAM *regnauit in Iuda annos sedecim. Pius & felix vicit Ammonitas.* | *Anno secundo Iotham inchoa-*

inchoantur Græcorum Olympiades, secundum quas Græcis longo tempore vsitatum fuit seriem rerum gestarum in publicis monumentis perscribere. Sumi etiam initium certum potest, retrò numerando. Quia certissimum est, regni Alexandri mox post mortem Philippi initium esse primum annum Olympiadis centesimæ vndecimæ.

Nomen autem Olympias comprehendit annos quatuor. Et factum est ab ordinario conuentu Græcorum ad Elidem, qui celebratur semper post quartum annum in mense, qui Græcis initium erat anni, videlicet in pleniluno, quod solstitio æstiuo proximum est. Sic conuentus ille anni initium Græcis erat. Ideó series annorum inde commodè sumebatur. Quæ autem insignes historiæ Græcorum accesserint, hanc annotationem annorum infra dicemus. Considerandæ est enim temporum collatio, vt sciamus, Ecclesiæ doctrinam antiquissimam, esse.

AHAS *regnauit in Iuda annos sedecim, fuit impius, infelix, fascinatus idolomania multipliciter, clausit Templum Dei in Ierusalem, & in oppidis Idola collocauit, cremauit & filium in Sacrificio.*

Eius tempore rex Israël & Syriæ vastarunt Iudæam, & Ierosolymam obsederunt. Achas igitur spoliato Templo, mercede inuitauit Assyrios, vt regi Israël & Syriæ bellum inferrent. Propter hanc societatem obiurgatus est Achas & Esaia.

Regnante Achas, anno primo 7. Olympiadis Ro-

mulus & Remus condere Romam cœperunt, vt scribit Dionysius Halicarnassensis, & mœnia primò inchoata sunt die vicesima prima Aprilis.

EZECHIAS regnauit in Iuda annos viginti nouem, pius & felix, rursus aperuit Templum, deleuit Idola Achas, & restituit veros Dei cultus, & præcepit dari Sacerdotibus ea, quæ lex eis attribuit.

Ipso regnante res tristissimæ in Israël acciderunt, & Deus ipsum inter tantas calamitates singularibus miraculis consolatus est. Ita mirabiliter Deus inter ingentes confusiones generis humani seruat Ecclesiam. Nam anno ipsius sexto Salmanassar deleuit regnum decem Tribuum, & maximam populi partem abduxit, & in Assyriam & Medorum regionem collocauit, cuius calamitatis magnitudo non satis cogitari potest. Quàm miserum est Ecclesiam et familias honestas ex certis domicilijs & fundis excuti, & alibi collocari, vbi aut in seruitute viuant, aut non habeant certa hospitia. Et tamen tristiora nunc fiunt à Turcis. Vetustas rarò distrahebat singulas familias, sed colonias deducebat, & familijs alias sedes distribuebat, vt simul viuerent parentes, filij & filiæ. Sed Turci distrahunt coniuges, parentes, filios & filias, & distractos vendunt vel interficiunt.

Deplorat autem Esaias hanc dissipationem decem Tribuum, inquiens: Iniquitates nostræ sicut venti dissipauerunt nos. Cùm autem videamus vastationes similes, petamus vt Deus mitiget pœnas, & seruet Ecclesiæ reliquias.

Postea

Postea anno quartodecimo Ezechiæ Sennacherib exemplo patris conatur delere reliquias populi Dei, & vastat terram Iuda, & cingit obsidione Ierosolymam, Sed Esaia & Ezechia inuocantibus Deum, subito miraculo Deus trucidat exercitum Assyrium.

Sequenti anno ægrotanti Ezechiæ, promittit Deus sanationem, & signum additur, Solis regressus. His miraculis Deus & consolatus est Ecclesiam, quæ viderat antea tristissimum spectaculum, abductionem decem Tribuum, & ostendit præsentiam suam in Ecclesia. Vidit autem Ezechias interitum regni Assyriaci post necem Sennacherib, & filij eius Assor Haddon, qui à Merodach interfectus est, qui deleta Niniue Assyriam rursus subiecit Babyloni.

MANASSES regnauit in Iuda annos 55. impius & infelix. Coluit Idola, cremauit filios in sacrificijs in valle Hinnon, vnde postea nomen factum est GEHENNÆ, id est, vallis prædationis (Ein Mörder grube/) Prophetam Esaiam senem serra dissecuit. Cumq; Chaldæi vastarent Iudæam, ipse Manasses captus, & in Babylonem abductus est, vbi annos decem retentus est. Sed cum rursus ad Deum conuersus esset, & peteret sibi remitti peccata, & mitigari pœnas rursus in regnum remissus est. Ac rediens deleuit Idola, quæ coluerat. Fit igitur insigne exemplum salutaris pœnitentiæ. Et tamen Prophetæ inter causas excidij Ierosolymæ, quod sub Nabogdonosor sequutum est, numerant peccata Manassæ. Quæ consentaneum

sentaneum est, exempla eius multos & ipso uiuo, & postea imitatos esse. Ac pœnæ corporales ueniunt, quanquàm mitigantur, etiam cum culpa remissa est.

AMON regnauit in Iuda annos duos, fuit impius & infelix, & coluit Idola, nec patris pœnitentiam imitatus est. Interfectus est autem à suis seruis.

IOSIAS regnauit in Iuda annos triginta unum, pius & felix, deleuit Idola, & restituit ueros Dei cultus, & Sacerdotum gradus & officia. Instaurauit Templum, & reperit librum Moisi in templo, & rursus proferri ac legi iussit.

Anno eius tertio decimo Ieremias concionari cœpit, qui annos quadraginta fuit in ministerio Prophetico, usq; ad excidium Ierosolymæ. Et aliquantò diutius postea in Ægypto, ubi ab Aprye Rege interfectus est.

Regnante Iosia pax fuit in Iuda. Sed ipse non necessarium bellum mouit aduersus NECAO regem Ægypti, qui Assyrijs bellum intulerat. Cùm igitur in Campo Mageddo uulnus accepisset, aliquantò post mortuus est. Estq; exemplum Iosias pij Principis, restituentis ueram doctrinam. Talium protectorem se esse Deus in ipsorum historijs ostendit, sicut inquit: Glorificantes me glorificabo &c. Sed tamen hi quoq; ut est humana infirmitas, sua errata habuerunt, propter quæ & ipsi puniuntur, sed Deus eis mitigat pœnas, ut ostendunt historiæ Asæ, Iosaphat, Amaziæ, Ozíæ, Ezechiæ & Iosiæ.

IOA-

IOACHAS regnauit in Iuda tres menses. Postquam enim Iosiam prælio uicit rex Ægyptius Necao, uastata Iudæa successorem Iosiæ in Ægyptum abduxit, & interfecit.

IOAKIM, uel Iechoiakim, regnauit in Iuda annos undecim, præfectus regno à Necao, fuit impius & infelix. Cùmq; Nabogdonosor bellum inferret Regi Ægyptio, in quo interfectus est Necao, indixit tributum huic regi Ioakim, & abduxit multos Iudæos in Babylonem, inter quos & Daniel, & alij quidam nobiles adolescentes abducti sunt, quos Rex honestè educari & doceri curauit. Cùm autem Ioakim postea rursus defecisset à Rege Babylonico, reuersus Chaldæus cepit Ioakim, & eum interfici iussit, & proijci cadauer ante urbem Ierosolymam inter cætera cadeuera, sicut prædixerat ei Ieremias, capite uicesimo secundo: Sepultura Asini sepelietur.

IOACHIN siue IECONIAS regnauit in Iuda tres menses. Cùmq; Nabogdonosor Urbem Ierosolymam obsidione cinxisset, suasit Ieremias contra exempla priorum Prophetarum, ut fieret deditio. Utrumq; enim prædixit, futurum ut Ierosolyma deleretur, & abductos Iudæos in exilio Deo curæ fore, & post septuaginta annos redituros, & patriam politiam instauraturos esse. Huic Prophetiæ cùm crederet Ieconias, fecit deditionem. Quare & ipse & alij multi Ieremiæ consilium sequentes, in Chaldæam abducti sunt, quos ibi Deus protexit. Cæteri Prophetæ inde

usq;

vsq; à Iosue suaserant defensionem, Ieremias dissuadet, & seruatur Ecclesia nouo modo, videlicet in exilio, cùm disputarent impij, promissam esse defensionem stirpi IVDA, in hoc ipso loco. Sed pij sapienter discernebant promissionem æterni regni et suæ politiæ & sciebant, Deum promissa præstare mirabiliter, & promissiones bonorum corporalium intelligendas esse cum exceptione castigationis & crucis. Hanc doctrinam in illo excidio politiæ discebant, vt vera consolatione confirmati non deficerent à Deo, & expectarent reditum diuinitùs.

ZEDECHIAS regnauit in Iuda annos 11. impius & infelix, defecit a rege Nabogdonosor. Rediit igitur Nabogdonosor, & vrbem Ierosolymam cinxit obsidione integrum annum, & menses septem. Etsi autem Ieremias suadebat deditionem, tamen pertinacia tanta fuit, vt defendere vrbẽ conaretur, cùm quidem fame intra mœnia quotidiè multi perirent. Sed confirmabatur furor à malis doctoribus, qui vociferabantur, non posse deleri regnum Iuda, quia in promissione dicitur: Non auferetur sceptrum & doctor de Iuda, donec venerit Siloh. Nec tamen cogitabant, Deum mirabiliter præstare promissa, & in promissionibus corporalibus exceptionem castigationis & crucis intelligi oportere. Seruauit autem Deus etiam in exilio Regiam posteritatem, & populum magnis miraculis seruauit & ornauit, quibus & quatuor Reges ad agnitionem veri Dei conuersi sunt: Nabogdonosor

nosor & filius eius, Darius Medus & Cyrus. Non igitur defuerunt Duces et Doctores huic populo, cùm dederit Deus exiguo tempore illustres Doctores, Danielem, Ezechielem, & deinde alios, & manifestis miraculis ostenderit suam præsentiam in hoc populo.

Capta autem vrbe Rex Zedechias ex fuga retractus est, & ad Regem Babylonicum adductus, vbi filij eius interfecti sunt, & pater effossis oculis Babylonem abductus est. Abducta est & maxima pars populi in Chaldæam.

Nominatim autem iusserat Rex parci Ieremiæ, et ei concessum est manere in patria cum reliquijs populi, quarum tamen rabies tanta fuit, vt inter sese dimicarent, & contra mandatum Dei, quod eis Ieremias exposuit, in Ægyptum descenderent, vbi partim fame, partim crudelitate Regum Ægyptiorum perierunt. Ita in pœnis furor est summa pœna, & calamitates auget.

Hæc tota historia plena est exemplorum multiplicium. In pœnis & furoribus impiorum cernitur ira Dei. Rursus & misericordia cernitur, cùm inter tantas calamitates reliquiæ Ecclesiæ mirabiliter à Deo seruantur, sicut inquit Ieremias: Misericordiæ Domini, quòd non consumpti sumus. Videmus autem & nos hoc tempore ruinas imperiorum & alias calamitates. Quare agnoscamus iram Dei, & conuersi ad Deum petamus & expectemus pœnarum mitigationem, & Ecclesiæ conseruationem.

Tempus

Tempus exilij Tribus Iudæ in Chaldæa post destructionem Ierosolymæ & Templi, fuit annorum 70. vsq; ad Cyri edictum, vt suo loco dicemus, in secunda Monarchia. Nam adhuc recitamus res præcipuas, quæ tempore primæ Monarchiæ acciderunt, quo tempore fuerunt florentissima regna, Chaldæorum, Assyriorum, Ægyptiorum, Ierosolymæ & Samariæ.

Iam in exilio considerentur testimonia præsentiæ DEI in Ecclesia, quæ ostendit Deus, vt confirmarentur pij aduersus alios, qui vociferabantur, Iudæos, cùm amisissent regnum, patriam & Templum, nihilo magis curæ esse Deo, quàm alias gentes, vt iudicant homines ex aduersis vel secundis rebus. Sed statim cùm adoratio statuæ mandabatur, ostendit Deus præsentiam suam, seruatis ijs, qui propter confessionem in flammas coniecti erant, vbi simul conspectus est Filius Dei inter tres viros.

Accesserunt & alia multa miracula, interpretationes somnij de ordine regnorum, de pœna Nabogdonosor, & restitutione eius, de pœnitentia eius, & haud dubiè alia multa illustria testimonia præsentiæ suæ in Ecclesia DEVS ostendit, quæ consideremus, & vt sciamus, quæ & vbi fuerit Ecclesia, & qualis fuerit in Cruce, & discamus discrimen Ecclesiæ & imperiorum politicorum, ac sæpè legatur integra Danielis historia.

Confirmant autem nos quoq; his temporibus hæc miracula, quia testantur doctrinam Prophetarum veram esse

ram esse, & ibi tantùm esse veram Ecclesiam, vbi recipitur doctrina Prophetica. Nam Iudæi post deletam à Tito Ierosolymam non retinent Danielem, qui prædixit, Christum stante politia Mosaica venturum esse, & numerum annorum expressit. Prædixit & futurum esse, vt interficiatur, & tamen tollat peccatum & mortem, & deinde politiam Iudaicam interituram esse, & Iudæos non fore populum Dei. Has Prophetias omnes Iudæi scelerate corrumpunt.

Monemur autem & hoc exemplo, vt quærentes Ecclesiam non solùm spectemus, qui retineant scripta Prophetica, sed qui retineant ea sine corruptelis. Vt Papa & Heretici falsò iactitant, se retinere scripta Prophetica & Apostolica, quia effingunt peregrinas opiniones.

Legantur & conciones Propheticæ eius temporis, apud Ezechielem, Danielem, Haggæum, Zachariam, Esdram. Ac de vaticinio Danielis, & de septuaginta hebdomadibus infrà dicetur. Valdè prodest etiam ad consolationem piorum, considerare insignia exempla conuersionis regis Nabogdonosor, Darij, Cyri. Quàm illustre exemplum est regulæ: Gratia exuberat supra peccatum, conuersio Regis Nabogdonosor? Interfecit hic Rex multos sanctos, deleuerat templum, postea mandauit adorari statuas, coniecit in ignem viros sanctos, taxantes impios cultus. Tanta delicta attraxerunt horribilem pœnam, à quo tamen Deus cum propter preces sanctorum liberauit. Et postea commonefactus

hac pœna audit Prophetas, et verum Deum agnoscit, & ad eum conuertitur, ac recipitur, quanquàm tanta fuerat moles peccatorum, vt magnitudo non cogitari satis posit. Sic igitur cogitate: Ostendit Deus iram suam aduersus tantos Reges, Dauidem, Manassem Nabogdonosor, quare nos quoq; iudicium metuamus & verè expauescamus agnitione nostrorum delictorum. Et cùm receperit Deus contaminatos tàm horrendis sceleribus, non dubitemus gratiam exuberare supra delictum, & filium potentiorem esse toto regno peccati.

Discamus etiam rectè intelligere dictum Danielis ad Regem: Peccata tua remoue iustitia, & iniquitates tuas beneficijs erga pauperes, & erit sanatio delictorum tuorum. Concio est pœnitentiæ, in qua prior pars præcipit conuersionem: Abijce peccata, & conuertaris ad iusticiam & beneficentiam erga iniustè oppressos. Sicut & Esaias inquit: Desinite malè facere, & discite rectè facere. Secunda pars est absolutio, videlicet promissio remissionis peccatorum, quam oportet fide accipi. Ac in priori parte cùm præcipitur Conuersio, non hic dicitur, nostras virtutes mereri remissionem peccatorum, sed tantùm traditum est præceptum, in quo & verba rectè intelligenda sunt. Regia concio est de toto Decalogo. Cùmq; nominatur Iustitia, comprehenduntur vera agnitio Dei, agnitio promissi Saluatoris, & fides. Deinde præcipuuntur beneficia in gubernatione, vt cogitet, imperia à Deo consti-

constituta esse, vt foueant, & tegant legitimam societatem, ac præsertim vt oppressæ Ecclesiæ opem ferant.

DE REGNO SAMARIÆ.

SVpra dictum est, post Salomonem dilaceratum esse regnum populi Dei, & à Iuda decem Tribus auulsas esse. Ea dilaceratio regni & bella ciuilia adsidua peperit, & nouos ac impios cultus. Quia reges Samariæ, ne maior esset autoritas regum Iudæ, propter Templum & Collegium Sacerdotum, contra legem diuinam instituerunt, vt in suo regno duobus locis in Bethel & Dan, conderentur Templa, vbi vituli aurei collocati sunt, vt significarent, ibi sacrificandum esse, & Sacerdotes eò attrahebantur mercede vndiq; ex leuissimis hominibus. Ita & doctrinæ & cultuum deprauatio regni mutationem secuta est. Postea & alia Ethnica Idola, Baal & alia, addita sunt.

Quanquàm autem in publica gubernatione talis deprauatio à Regibus instituta fuit: tamen Deus immensa misericordia in hoc impio regno excitauit excellentes Prophetas, Eliam, Elisæum, Amos, Oseam et alios, per quos Ecclesiam collegit, reuocatam ad veri Dei agnitionem, & ad veros cultus. Ita fuit Ecclesia sparsa etiam in regnum Samariæ, quanquàm ordinaria gubernatio erat impia, & sub Pharisæis & Zadducæis sparsis erant aliqui pij, Zacharias, Ioseph, & multi alij, qui rectè senserunt, vt nunc sub regno Pontificio aliqui sunt rectè sentientes, qui confessionem

ostendunt, quorum alij plus, alij minus lucis habent. Et quidam Elias & Elisæus magnos cœtus docuerunt, annos amplius centum. Regnum verò duravit annos ducentos quadraginta quatuor. At Salmanasser Assyrius maximam partem populi abduxit, & collocavit familias in alijs regionibus, vbi aliqui retinuerunt veram doctrinam, & docuerunt multos inter Ethnicos. Tales fuerunt familiæ Tobiæ in Ninive, & Raguelis & Gabeli in vrbibus Medorum. Et passim multas fuisse consentaneum est. Ita Deus mirabiliter ex decem Tribubus aliquas Ecclesiæ reliquias etiam inter Gentes seruavit, & voluit earum distractionem Gentibus prodesse.

Manserunt & exiguæ reliquiæ decem Tribuum in patria sede, sed dissipatæ, & sine regno, vt in Osea prædictum est: Non faciam furorem iræ meæ, quia Deus ego sum in medio tui sanctus: Sed non ingrediar in ciuitatem, id est, cum promissionem tradiderim posteritati Iacob, seruabo aliquas reliquias Ecclesiæ in decem Tribubus, nec penitus eas delebo: Sed non intrabo in ciuitatem, id est, regnum destruam, nec amplius ciuitatem volo esse Regiam sedem, nec defendam eam, sicut antea defendi.

GRÆCÆ HISTORIÆ QVÆ AD tempus primæ Monarchiæ pertinent.

NOmen IAPHETI Græcis notum est, sed vnde sit, ignorant. Liber Moisis narrat, eum esse filium Nohæ.

Nohæ. Ex Iaphet natus est Iauan, à quo Græcos ortos esse nomen gentis Ionicæ testatur. Et non dubium est, Prophetas cum nominant Iauan, intelligere Græcas gentes. Deinde, vt fit in posteris & in diuersis locis, nouæ appellationes accesserunt.

HELLAS est ab Hello, qui regnauit inter Dodonæos, qui sunt à Dodanim, filio Iaphet. Nomen Græciæ recentius est, à Græco, qui filius fuit Thessali. Sed veterem Ionicam gentem excelluisse sapientia ac virtute, magnitudo vrbium & Coloniarum multitudo, & vetusta Homeri scripta ostendunt.

Sunt autem anni à diluuio Noe vsque ad bellum Troianum circiter mille, quod ad tempora Saul refero. Inde intelligi potest, Græcam historiam multò recentiorem esse Mosaica. Etsi autem vetustiora quædam recensentur ante bellum Troianum, tamen illa non multis annis antecedunt. Nihil est clarius Argonautica expeditione. Sed hac antecesserunt Erechtheus Athenienſis, qui clarus factus est repressione Thracum, qui Atticam inuaserant. Item PERSEVS, qui bellum gessit cum Persis, & Gorgonas occidit in Lybia. Postea & Cadmus ex Phœnicia in Bœotiam nauigauit, & nomina indicant originem. Cadmus enim lingua Phœnicum significat Orientalem. Nomina Semele & Ino fuerunt appellationes simulacrorum. Semele prorsus significat effigiem seu simulacrum. Ino fortunam. Theba nauim. Etsi autem illæ vetustæ narrationes plenæ sunt fabularum, tamē

nihil dubium est, multas res veras illis inuolueris significatas esse. Argonautica expeditio postea celebratior est, ad quã præcipui Principes ex vniuersa Græcia conuenerunt, qui in Colchicam ad vellus aureum dicuntur profecti esse, id est, ad venas Metallicas. Nam hodie quoq; sunt in illa vicinia locupletes venæ. Ac fieri potest, vt profectionis occasio fuerit crudelitas Aeëtæ Regis Colchicorum aduersus Phryxum & eius filios. Fuit propemodum talis præstantissimorum Principũ vltrò suscepta militia, qualis fuit principum Germanorum, Gallicorum & Italorum, qui duce Godefrido Bilionæo recuperarunt Ierosolymam, quorum virtute diu repressè sunt Turci, vt tardius potiti sint Asia & Græco imperio. Fuit autem Godefridus Dux Lotharingiæ, vt suo loco dicemus, in eadem natus familia, in qua nati sunt Duces Bergenses & Iuliacenses. Nomen autem ARGO certam figuram nauis significat, & Argonautarum expeditio collocanda est in tempus vicinum ætati Samsonis, cuius coætaneus fuit Hercules. Cætera de Argonautis legenda sunt in carmine Apollonij.

Sequitur Argonauticam expeditionem Thebana historia, plena horribilium exemplorum. Duxerat ignarus matrem Oedipus, qui postea hiatu terræ absorptus est, & filij de regno dimicantes, mutuis vulneribus interfecti sunt. Mater iacens inter filios vulneratos sibiipsi mortem conscinit. Filius Polynicis Thersander, qui Thebis potius erat, postea in expeditione

tione Troiana interficitur à Thelepho. Ita rerum series ostendit, non longum interuallum esse inter Oedipi tempus & Troianum bellum. Et pœnæ scelerum commonefaciunt lectores de iudicio Dei.

DE BELLO TROIANO.

TROIANVM bellum vicinum esse temporibus Dauidis, intelligi inde potest, quia ab initio regni Albani, ad Romæ initium trecenti anni sunt, vt Virgilius inquit: Hic iam ter centum totos regnabitur annos. Sunt autem ab initio Romæ anni retro numerati, videlicet ab anno Achas decimo ad regni Dauidis initium, anni trecenti viginti duo. Quare etsi numerum de Troia non exactè quæro, tamen hoc ostendi potest, Ebræam historiam multò esse antiquiorem Græca, & Troianum bellum non multò prius fuisse Dauidis temporibus. Hæc collocatio eò prodest, quia ostendit Ebræam historiam & doctrinam Ecclesiæ multò vetustiorem esse rebus Græcis. Legatur autem historia Troiana apud Homerum, et causa considerentur, videlicet adulterium Paridis. Deinde et Principum dissimilitudo, virtutes, scelera, discordiæ, pœnæ vagatæ per omnes familias, et mutatio regnorum Asiæ, Græciæ & Latij. Ita cum ex vno bello magnæ calamitates in vtraq; parte sequutæ sint, agnoscamus, bella horribilem pœnam esse, & non temerè mouendas esse Respublicas.

Reliquias Troianas duxit Æneas in Latium. Antenor

tenor Henetos vicinos Troianorum in Illyricum & Istriam. Achilles, & Aiax duo fortissimi viri, & orti ab Æaco, sic perierunt, vt Achilles ab ignauo Paride per fraudem interfectus sit. Aiax furens sibi mortem consciuit. Palamedes qui antecelluit sapientia, ab Vlysse per calumniam oppressus est. Agamemnon reuersus domum à coniuge incesta interfectus est. Vlysses diu vagatus, tandem domi à filio Thelegono, qui ei ex Circe natus fuerat, occisus est. Diomedes à patria repulsus in Italiam venit, vbi socij dicuntur in aues conuersi esse, quo significatum est, Piratas eos factos, & paulatim interfectos esse. Fuit igitur bellum Troianum verè Ἰλιὰς κακῶν. non tantum ipsis Troianis, sed etiam multis alijs gentibus.

DE VETERI DOCTRINA IONVM, Atticorum & vicinorum. De Sibyllis, Atlante, Orione, Lino, Orpheo, Musæo, Homero & Hesiodo.

CVm à diluuio Noæ sint anni ad Troianum bellum circiter mille, consentaneum est, filium Noæ Iaphet et eius posteros aliquandiu retinisse doctrinam à patre traditam, quam & Sem retinuit, præsertim ante longinquas peregrinationes & bella. Occupauit autem posteritas Iauan Ioniam, vbi extincta doctrina patrum de filio Dei, tamen plus fuit literarũ, disciplinæ ciuilis, & artium quàm alibi. Sed Ethnici nihil recitant vetustius Sibyllis, quas fuisse multas credibile

credibile est. Nomen enim significat Vatidicam, ΣΙ-ΟΣ Deus, ΒΟΛΗ consilium. Sic appellatæ fuerunt mulieres, quæ habuerunt sua quædam vaticinia siue accepta à pijs maioribus, siue quoquo modo Dæmonum præstigijs sparsa. Citantur carmina Sibyllarum, quorum aliqua existimo retenta esse ex doctrina patrum, vt sunt quæ congruunt cum Decalogo, de fugiendis Idolis, homicidijs, adulterijs, incestis libidinibus, furtis & mendacijs. Hæc carmina cum posterior ætas negligeret, rursus dicuntur à Phocylide aliqua ex parte collecta esse, & eius nomine in populo deinde repetita.

Sciant autem iuniores, aliud doctrinæ genus esse Legem, aliud Euangelium, id est, promissionẽ de filio Dei: Ac gentes amantes disciplinam, quia lex naturæ nota est ex naturali iudicio, multas honestas sententias de moribus tradiderunt. Sed credibile est, has quoq; multa legis picta à patribus accepta retinuisse. At doctrina de filio Dei apud Ethnicos extincta fuit. Quòd autem Lactantius citat quosdam Sibyllinos versus de Christo, si non falsò tribuuntur Sibyllis, consentaneum est, acceptos esse à patribus tunc, cùm adhuc doctrina de filio nota esset.

ATLAS dicitur ex Lybia doctrinam de cœlestibus motibus & stellis in Græciam attulisse, cuius auditorem fuisse Orionem in Bœotia scribitur, à quo pulcherrimo Sideri nomen inditum est, quia Græcis annum ordinauit. Et consentaneum est, metas anni

descriptas esse ab ortu & occasu Orionis, Pleiadum & Syrij. Quia maximè conspicuæ sunt hæ stellæ inter minores. Nomen Orionis, vt ego existimo, est ab ὥρα, quod significat differentias temporum anni, Ver, Æstatem, Autumnum, Hyemem. Grammatici deriuant ab ὄυρον, id est, ab vrina, quia Cosmicus occasus in Nouembri ciet sæuas tempestates. Vnde Virgilius inquit: Sæuus vbi Orion hybernis conditur vndis.

LINVS quo tempore fuerit, inde intelligi potest, quia Herculem literas et Musicam docuit, quem cùm obiurgaret, adolescens iratus tabulam in qua literas pinxerat, capiti Lini illisit, quo ictu Linus mortuus est. Scribunt hunc ex Phœnicia doctrinas in Græciam attulisse. Reliqui habentur pauci ipsius versus, quorum hic celebratissimus est: ῥᾴδια πάντα θεῷ τελέσαι, νόῳ ἀνιώυτορ οὐδέν.

ORPHEVS Lini auditor, fuit comes Argonautarum. Scripsit bellum Titanum, & expeditionem Argonautarum. Scribitur discerptus esse à mulieribus in Thracia, superstitione aliqua, quia mutauerat leges.

HOMERVS vixit post bellum Troianum, cùm essent exacti anni centum & quinquaginta, & ante conditam Romam annos circiter centum & quinquaginta, Non procul abest ab Esaiæ tempore. Eius carmen ostendit Principum familias eius ætatis, & pingit imagines variarum personarum, consiliorum, & mirabilium euentuum in vita. Quæ imagines sunt exempla & commonefactiones de multis magnis rebus.

Simul etiam dulcedo carminis Homerici ostendit, in Ionica gente excellentem fuisse linguæ suauitatem, et magna doctrinarum studia.

HESIODVS vixit, cùm anni centum post Homerum exacti essent, aliquanto ante tempus exilij Babylonici. Fuit Sacerdos templi Musarum in Helicone. Nam Ascra Hesiodi patria ad radices montis Heliconis sita fuit. Scribit Pausanias, eius carmen ad hunc suo tempore in plumbeis tabulis in eo templo seruatum esse. Est autem partim concio de moribus, partim anni descriptio, seu, vt nos nominamus, Calendarium. Ac talem fuisse Ethnicorum Sacerdotum doctrinam apparet, videlicet præcepta de moribus, & qualemcunq; anni descriptionem, sumptam ab ortibus & occasibus stellarum. Vetustas & alium librum Hesiodi habuit, Astrologicum videlicet, quem Plinius citat, in quo plurium stellarum descriptiones fuisse apparet, quàm in eo libro, qui adhuc extat. Fuit igitur vetus sapientia Græciæ particula legis, de moribus, cùm natura nota, tùm accepta à patribus. Item inquisitio herbarum & remediorum, consideratio stellarum, & qualiscunq; anni descriptio. Et in his doctrinis præcipuam partem à Phœnicibus & Ægyptijs accepit, ad quos multi nauigarunt.

Hesiodum scribunt senem interfectum esse ab hospitibus, seu errore, seu prædæ causa. Considerentur autem multorum excellentium virorum tristes interitus, quorum apud Ethnicos sæpè causa fuit confirma-

tio

tio Idolorum, vt mortis Orphei & Hesiodi. Etsi autem fit mentio multorum aliorum vatum & scriptorum, in hac antiquitate primæ Monarchiæ, tamen eos omitto: Vicunq; enim ex horum monumentis, quos recensui, intelligi potest, quæ fuerit vetus Græciæ sapientia, quod considerandum est.

Simul autem necesse est mente cogitare, quid interfit inter Ethnicorum & Ecclesiæ sapientiam, & vbi, & quæ interea fuerit Ecclesia Dei. Amiserunt enim Gentes doctrinam de promissione Mediatoris, & paulatim Lex apud Ethnicos obscurata est, & magni furores in excogitandis Idolis & libidinibus recepti sunt.

DE INITIO VRBIS ROMÆ.

ANno Mundi 3212. anno primo septimæ Olympiadis, die 21. Aprilis, videlicet quo Palilia celebrabantur, vrbem Romam condere cœperunt Romulus & Remus, nati ex Rhea Syluia, Numitoris Regis Albani filia. Plutarchus initium collocat in annum tertium sextæ Olympiadis. Etsi autem exigua differentia est, vnius nempè anni, tamen potius sequimur Dionysium Halicarnassensem. Fuit autem annus primus septimæ Olympiadis, annus 10. Achas Regis Iuda, qui proximè antecessit Ezechiam, suntq; ab initio vrbis Romæ ad natum Christum ex virgine, anni septingenti & quinquaginta.

Quæ fuerit forma primæ gubernationis Regiæ, quæ

quæ vrbis incrementa, quæ legum & Magistratuum mutationes inciderint, quanta fuerit ciuium virtus, quæ bella, quàm varij motus domestici, donec ea vrbs Monarchiam orbis terrarum adepta est. Ac deinde quomodo luxu, bellis ciuilibus, & fatali orbis mutatione rursus amiserit & virtutem & imperium, ex integris historijs cognoscendum est. Quia in lectione considerandum est, magna imperia diuinitùs constitui, ne fiant infinitæ dissipationes hominum assiduis vastationibus & latrocinijs, sed aliquo modo societas generis humani conseruetur, & aliquantisper familiæ in ijsdem sedibus maneant, sint leges, coniugia, procreatio & educatio sobolis, iudicia, disciplina, artes, præcipuè verò, vt & Ecclesia habeat hospitia. Simul autem Deus per imperia & punit latrocinia & alia scelera, & prohibet, ne iniusti reges & gentes latiùs grassentur.

Constituit autem Deus imperia mirabiliter. Etsi enim armat virtute aliquos insignes duces, tamen in tanta infirmitate humana experiuntur hi ipsi, humana consilia & vires humanas non sufficere ad constituenda & retinenda imperia: Sed fatentur omnes non furiosi, veram esse vocem Danielis: Deus transfert & stabilit imperia.

Persica potentia complexa erat florentissimam partem orbis terrarum, & erat instructa ingenti multitudine & robore hominum, & diuitijs ingentibus. Hanc autem potentiam euertit adolescens, natus in horridis

horridis montibus Macedoniæ, quod fieri non potuit, nisi DEO & armante Ducem & gubernante euentus.

Quid mirabilius est, quàm vrbem Romanam, cùm esset tam turbulenta, & quassaretur subinde domesticis discordijs, & sæpè ab externis hostibus vinceretur, tamen Monarchiam potitam esse? Sed Deus subinde aliquos Duces dedit, virtute præstantes, et euentus gubernauit, Camillum, Fabios, Scipiones etc. Voluit enim Regum tyrannides punire, & in ea vrbe collocare imperij arcem, sicut scriptum est: Propter iniuriam regnum à gente in gentem transfertur. Et magnam opulentiam ac potentiam comitantur luxus, superbia, discordiæ, & alia scelera, quæ pœnas & mutationes Imperiorum attrahunt, sicut dictum est: Nam cætera regna luxuries vicijs odijsq; superbia vertit. Intuentes igitur Imperia cogitemus de iustitia Dei, punientis scelera, & de bonitate eius, conseruantis aliquam societatem generis humani, & ordinem, vt colligi Ecclesia possit, & veris gemitibus petamus, vt det nobis salutaria imperia, et caueamus, ne nostris furoribus turbentur.

Initiò Roma gubernata est à Regibus annos 244. teste Liuio, quem in Romana historia sequi rectissimum est. Apud ipsum etiam rerum gestarum series legenda est, & considerandum, creuisse potentiam foris militari labore, & disciplina: domi verò modestia & iusticia gubernationis, & ordinum ac onerum distinctione. Postea propter Tyrannidem & libidines pulsam esse familiam Regiam, sicut sæpissimè causæ mutationũ in imperijs libidines fuerunt, iuxta dictum vniuersale: Omnis anima quæ fecerit abominationes has, eradicabitur. Hic breuiter nomina Regum adscribemus.

ROMVLVS regnauit annos triginta octo.

NVMA annos quadraginta tres.

TVLLIVS HOSTILIVS triginta duos. Hic deleuit Albam, & ciues Romam migrare coëgit. In his fuit & familia IVLIA, ab Iulo orta, quæ regnum Albæ tenuerat. Ideo dixit Homerus, Æneæ posteritatem regnaturam esse, & nati natorum, & qui nascentur ab illis.

ANCVS MARTIVS annos viginti quatuor.

TARQVINIVS PRISCVS annos triginta septem.

SERVIVS TVLLIVS quadraginta quatuor. In huius senectam incidit initium Persicæ Monarchiæ vt mox dicemus. Sed breuitatis causa hîc omnium Regum Romanorum nomina recitamus.

TARQVINVS SVPERBVS viginti quinq. Hic expulsus est regno propter filij scelus, qui Lucretiam per vim compresserat. Id exemplum notum sit inter libidinum pœnas.

DE

CHRONICORVM DE SECVNDA MONARCHIA.

IN fine primæ Monarchiæ DEVS etiam in regno Babylonico summos reges Nebucadnezar, & eius filium, ad Ecclesiæ societatem ingentibus miraculis vocauit. Quia volebat his testimonijs ostendere, quæ & vbi tunc erat vera de Deo doctrina, & vera Ecclesia. Cùm autem tertius à Nabogdonosor restitueret Idola, & blasphemias caneret contra verum Deum, excussus est ex regno, & Monarchia à Chaldæis ad Persas translata est.

Hac translatione Deus simul & puniuit blasphemum Regem, & Ecclesiam exulantem reduxit in patriam, ne, si finis non esset dissipationis, gens Iudæa funditùs periret, quam voluit Deus habere certam sedem & politiam, vt sciretur, quæ & vbi esset vera de Deo doctrina & Ecclesia, & vbi vellet nasci, conspici, & audiri Messiam.

Legatur autem apud Danielem historia de causa translatæ Monarchiæ, de blasphemijs Baldassari, & de manu scribentis in pariete tria verba, quæ significant, circumactis periodis regnorum deficere autoritatem, & mox sequi discordias, quæ sunt exitiosæ Imperijs. Quomodo autem congruant appellationes regum Persicorum à Græcis recitatæ, ad Danielem & Esdram initiò breuiter dicam.

Græci Persicos Reges sic numerant:

CYRVS

CYRVS regnauit annos viginti nouem.
CAMBYSES annos septem, menses quinq.
DARIVS filius Histaspis, annos triginta sex.
XERXES annos viginti.
ARTAXERXES Longimanus, quadraginta.
OCHVS annos viginti sex.
ARSAMES annos quatuor.
DARIVS vltimus, annos sex.

Apud Danielem Darius Medus nominatur ante Cyrum. Iosephus hunc Darium inquit esse Cyaxarem filium Astyagis, quod consentaneum est. Nam & Xenophon Cyrum Cyaxari adiungit. Ordo igitur hic est apud Metasthenem.

DARIVS & CYRVS simul regnarunt annos duos.

Postea CYRVS solus annos viginti duos.

ARTAXERXES Assuerus annos viginti.

DARIVS Artaxerxes Longimanus annos triginta septem.

DARIVS Nothus, annos Nouendecim.

ARTAXERXES Mnemon quinquaginta quinq.

OCHVS annos viginti sex.

ARSAMES annos quatuor.

DARIVS vltimus annos sex.

In hoc catalogo Metasthenes pleraq, nomina cum Græcorum enumeratione congruunt. Duo autem

omissi sunt, Cambyses & Xerxes, quia Cambyses regnauit viuente patre. Cùm igitur non liceret extra regnum proficisci regem cũ exercitu, nisi domi prius rege creato. Cyrus ducturus exercitũ in Scythiam, filium Cambysen creat regem Persarum. Ita anni Cambysis, qui regnauit absente patre, attribuuntur Cyri annis. Post Cyrum hic nominatur Artaxerxes Assuerus, qui est Darius filius Histaspis, quem scribit Herodotus habuisse coniugem filiam Cyri Atossam, & nominat inter concubinas Aristonam, quam ait valdè dilectam fuisse à Dario. Hanc consentaneum est fuisse Esther, cuius historia est in Biblijs.

Post Darium filium Histaspis nominant Græci Xerxen, qui celebratissimus est propter magnitudinem exercitus, quam duxit in Græciam. Videtur autem ideo hic omissus, quia eo discedente domi regnauit filius Artaxerxes Longimanus, cui familiaris fuit Esdras. Et post bellum Xerxes statim interfectus est, cum fratrem interfecisset, & haberet incestam consuetudinem cum eius coniuge & filia.

DE CYRO PRIMO
rege Persico.

CVm imperia diuinitùs constituí & trãsferri certum sit, sicut Daniel inquit: Deus transfert regna et stabilit, sciamus etiam Principes aliquos excellenti sapiẽtia et virtute à Deo ornari, & singularibus motib. regi, vt sint felices in gubernatione, et salutares generi

generi humano, prosint Ecclesiæ, muniant honestam societatem hominum, legibus, iudicijs, pœnis, disciplina, commertijs multarum gentium. Tales Principes diuinitùs instructos excellentia virtutum & felicitate nominant Græci viros Heroicos. Suntq; & in historijs & in quotidiana vita considerandæ discrimina gubernatorum heroicorum, mediocrium, & Tyrannorum, vt opera Dei discernantur ab operibus diaboli, & vasa misericordiæ à vasis iræ, et vt beneficia diuina grati celebremus, & furores Tyrannicos detestemur. Et multæ insignes admonitiones sunt in singulorum historijs. Quanta virtutum præstantia est in Samsone, Hercule, Dauide, Alexandro? Hi tamẽ et tetros lapsus habent, & in horribiles calamitates inciderunt. Hæc spectacula nos admonent de nostra infirmitate, de modestia, ne ruamus extra metas, & de inuocatione Dei, vt ardenter petamus nos à Deo regi & iuuari. Multæ liberationes in periculis iustorum, in vocatione susceptis, & subitæ euersiones florentis potentiæ superborum, qui mouent bella non necessaria, manifesta testimonia sunt præsentiæ Dei. Vt, Cræsus fiducia potentiæ infert bellum Cyro, gerenti iustum bellum aduersus Tyrannum Babylonicum, qui Gobriæ filium occiderat, & in alios crudelitatem exercuerat.

Sic igitur hæ historiæ legantur, vt mentes simul præsentiam Dei, & multa opera diuina considerent. Cyrus expositus, vt fãe moreretur, diuinitùs seruatur,

quocunq; modo id factum est. Postea optima disciplina Persica ad virtutem assuefactus est. Cumq; velim omnibus notissimos esse libros Herodoti et Xenophontis, non inseram eorum narrationes huic breui commemorationi. Danielem familiarem fuisse regnanti Cyro manifestum est. Arbitror autem & tunc, cum rexit Persiam. Daniel, præses in Susis, fuisse eius auditorẽ Cyrum adolescentem, & ab eo didicisse veram de Deo & de Messia doctrinam, & prædictiones Esaiæ, in quo nomen Cyri expresse positum est.

Inter disciplinæ exempla recitat hoc Xenophon, quod docet, leges anteferendas esse proprijs opinionibus. Exercebant iudicia adolescentes, & postea sententiarum rationem Magistro reddebant. Venerant autem in iudicium duo, quorum alter procerior detraxerat tunicam longiorem breuiori adolescenti & ei curtam tradidit. Cyrus audita vtriusq; oratione, iussit procerum tenere longam tunicam, alterum curtam. Propter hanc sententiam plagas accepisse Cyrus traditur, quia iusticia est æqualitas, non quæ nobis videtur, sed quam lex ordinat. Hæc autem facit hanc æqualitatem, vt suum quisq; teneat, & prohibet furta & rapinas.

Egressus ex adolescentia fuit socius regis Cyaxaris, qui à Daniele nominatur Darius Medus, & magna bella gessit annos amplius viginti, antequam cepit Babylonem. Nã rex Assyrius Medis bellum intulerat, et hic socium habebat Crœsum. Nominat autem regem

regem Assyrium Herodotus Labynitum, qui existimatur esse Baldassar apud Danielem. Quia verò res Lydorum & Ioniæ Græcis notiores fuerunt, bellum Ionicum copiosius descriptum est. Fuit autem eo tempore florentissima Ionia, & vrbibus, ingenijs & artibus ornatissima. Sed à Cyro & Harpago multæ magnæ vrbes deletæ sunt, fueruntq; tantæ calamitates, vt multitudo nauigijs ex vrbibus fugiens vltrò se in mare demerserit. Apparet autem libidinum confusiones causam fuisse tantarum pœnarum.

Eo tempore Phocea Ionica vrbe circumsessa ab Harpago, ciues deserta patria nauigarunt in Occidentem, & Maßyliam in littore Gallico condiderunt, vbi longo tempore Ionicam linguam & doctrinas retinuerunt, & iusticiæ, ac disciplinæ laude excelluerunt. Nomen est ab ἁλίς, id est, naue piscatoria, et μάσσειν, id est, alligare vel quærere, quòd propter commoditatem portus eum locum nauigantes elegerint.

Capto autem Crœso peperciisse hac occasione Cyrus scribitur: Cùm in rogum impositus ter clamasset: O Solon. Cyrus miratus, cur in extremo articulo vitæ hanc vocem sonaret, iussit eum liberari. Ibi Crœsus interrogatus, narrauit suum & Solonis colloquium, qui dixerat, Neminem ante vitæ finem beatũ esse iudicandum, quia singulis ante mortem tristia multa accidere possent. Hæc cogitantem ait se deplorasse suam stultitiam, quod confisus præsenti potentia, bellum Cyro intulisset, tunc non cogitans fortunæ in-

constantiam, cùm quidem & oraculo rectè monitus esset, se beatum fore si sese nosset. Quo cum indicasset, se moneri, ne quid moueret: tamen ab adulatoribus incitatum se esse, qui oraculum sic interpretati essent, vt potentiam suam cogitaret maiorem esse Cyri potentia, & permotum esse, vt bellum moueret. Hæc cum Cyrus audiuisset, seruauit eum, & inter viros honoratos & amicos secum habuit.

Nominatur ergò Crœsus inter exempla inconstantiæ fortunæ. Sed causa magis consideranda est. Errore mouetur, vt bellum non necessarium moueat, ita calamitatem attrahit. Docet igitur, ne res magnas sine necessitate moueamus, sed simus memores nostræ infirmitatis, & necessaria faciamus, sicut præceptum est: Subditus esto Deo & ora eum, &c. Item: Commenda Deo viam tuam &c.

Notæ sint & memorabiles sententiæ in hac historia: Apud Herodotum inquit Solon pag. 6. versu vltimo, πᾶμ ἐσὶ ἄνθρωπον συμφορή, id est, Homo hoc totum quod est, est obnoxium multis calamitatibus & aduersis casibus. Apud Xenophontem Oraculum recitatur: σαυτὸν γινώσκομ, ἐυσεβέων μοῖρα πρόσθε.

Post bellum gestum aduersus Ionicos & Lydos Cyrus Babylonem cœpit obsidere, quam cum occupasset, tenuit iam duo maxima regna, Lydium et Babylonicum, & ante celluit potentia omnibus regibus generis humani. Etsi igitur res magnas gessit Cyrus ante

ante occupatam Babylonem, tamen initium Monarchiæ Persicæ constitutum est hac victoria, qua summam arcem imperij Babylonem cepit. Et anni septuaginta exilij Iudæorum hoc anno, capta Babylone, finiti esse scribuntur. Hic nominatur annus primus Cyri, scilicet Monarchiæ, post captam Babylonem, in 2. lib. Paralipom: & primo libro Esdræ.

Cùm autem Cyrus victor, domitis duobus præcipuis regibus, Asiam teneret, sciretq; sæpè gentes Scyticas in Asiam infusas esse, & magnas vastationes fecisse, vt Asia tuta esset, bellum Massagetis, qui vicini erant Mari Caspio, intulit. Fuisse autem Massagetas Gothorum stirpem nomen indicat, quod à Getis compositum est, & Mes. Fuerunt autem Mes & Geter posteri Sem, vt Geneseos testatur. Ab illis Getas esse consentaneum est. Et vicini in illa regione fuerunt Massagetæ, Sueui & Alani.

In hoc bello dum abest Cyrus, interea domi Cambyses regnat annos sex. Ita miscentur anni Cyri & Cambysis. Et quanq; Cyrus primo anno Monarchiæ post captam Babylonem lætissimum edictum de restituendis Iudæis in patriam, & de instauratione templi & politiæ Iudaicæ ediderat, tamen postea filius Cambyses prohibuit reditum, quia bellum illaturus erat Ægyptijs, & metuebat, ne Ægyptijs Iudæi se adiungerent. Ita nouis consilijs diabolus impediuit reditum Iudæorum, & Ecclesiæ instaurationem. Fuerunt itaq; in luctu pij, præsertim post quàm Cyrus interfectus est.

Herodotus scribit, Persicum exercitum à Massagetis ingenti prælio victum esse, & simul in acie Cyrum interfectum esse, ac postea cadaueri caput præcisum esse, quod Tomyris regina in vtrem plenum sanguine coniecit, addito hoc verbo cum contumelia & exprobratione crudelitatis: Quia sanguinem sitijsset, ibi humano sanguine saturaretur. Antea enim Cyrus & exercitum Massagetarum trucidauerat, & filium Reginæ ceperat.

Etsi autem inquit Herodotus, dissimiles esse sermones de Cyri morte, tamen vtrinq; magnos exercitus trucidatos esse consentaneum est. Et fieri potest, vt Cyrus quanq; Deum rectè inuocauit, et fuit veræ Ecclesiæ membrum, ac hæres vitæ æternæ, didicerat. n. à Daniele veram doctrinam: tamen vt Iosias, moto non necessario bello, cladem acceperit, & inter exempla propositus sit, quæ monent, non solum impios & iniusta mouentes, à Deo euerti, vt Pharaonem, Saulem, & alios innumerabiles, sed etiam electis, cùm in fastigium venerunt, metuendos esse aduersos casus, præsertim si fiant segniores, vt multorum præstantissimorum hominum sua quædam sunt errata, quæ comitantur pœnæ, vt Aaronis, Salomonis, Osiæ, Iosiæ. Et vniuersaliter vult Deus omnes sanctos agnoscere infirmitatem humanam, & obtemperare, cùm aut puniuntur propter certos lapsus, vt Dauid, Salomon, Osias & alij multi: Aut singulari consilio Dei onerantur cruce & ærumnis, sicut scriptum est: Humiliamini sub

sub potenti manu Dei. Item: Oportet nos similes fieri imagini filij Dei.

Narrat autem Xenophon, Cyrum placidè mortuum esse, & eius orationem recitat, qua ante mortem filios hortatur ad iusticiam & ad concordiam. Et addit commemorationem de immortalitate animæ, & de præmijs & pœnis sequuturis post hanc vitam. Ac iudicij diuini & signum et testimonium esse affirmat, horrendos pauores conscientiæ, qui sunt vindices scelerum, etiamsi quis humana iudicia effugerit.

Etsi autem magnum decus est, quod Deus Cyrum ad imperij fastigium vocauit, & prudentia, iusticia, fortitudine, & alijs virtutibus, & felicitate in rebus gerendis instruxit: tamen hoc longè maius bonum fuit, quòd pectus eius ad agnitionem & inuocationem veri Dei & Messiæ flexit, & eius imperium voluit esse salutare Ecclesiæ. Hæc sunt summa bona gubernatoris, quia politiæ debent esse hospitia Ecclesiæ, & ministerium Euangelij & disciplinam tueri, iuxta dictum: Reges erunt nutritores tui. Et Psalmus inquit: Aperite portas principes vestras, aperiamini portæ mundi.

Optandum autem erat, plura de Cyro in Daniele extare, sed legamus quantum tradidit antiquitas, & virtutes Cyri diligenter in Xenophonte contemplemur. Nusquam iracitur in tota historia, non certat ambitione, cedit Cyaxari, ait se non effusè lætatum esse, οὐδ' ἐυφραίνεσθαι ἐκπεπλαμένως. Diligentia

tanta fuit vt nõ daret mãdata incertis, vt negligẽs paterfamilias dicit: Eat aliquis ad aquam ferendam: Ligna aliquis secato: sed nominatim certis mandata dedit, & nomina meminit. Iussit præconium fieri in bellis, vt parceretur Agricolis, & quàm minimum belli esset, σμικρότατον τὸ πολέμου μέρος. Iubet sic vincere, vt possessores maneant in suis possessionibus. Reprimi vult armatos hostes, & seruari populum pacis cupidum.

DE ECCLESIA.

ANNI supra ex Moyse & historijs Propheticis ordine sumpti sunt.

Anni ab initio Mundi vsq; ad destructionem Ierosolymæ 3355.

Adde 70. exilij Babylonici vsq; ad captam Babylonem à Cyro, & vsq; ad edictum Cyri de restitutione templi, anno mundi 3425.

Vt autem semper in serie temporum considerandum est, quæ & vbi fuerit Ecclesia, quæ habuerit testimonia, pericula, liberationes, certamina: Ita nunc tempore Monarchiæ Persicæ eadem consideranda sunt. Dictum est autem supra, fuisse Ecclesiam annis 70. in exilio & tristi seruitute in Chaldæa, in qua tamen Deus ornauit eam illustribus testimonijs & ingenti gloria, liberatione virorum trium, qui in flammas coniecti fuerant, & alijs miraculis. Ac recens ante edictum Cyri Daniel inter Leones seruatus est.

Nunc

Nunc lætissima reductio in patriam sequitur. Quandoquidem autem accesserunt multæ miseriæ, tamen Monarchia Persica vsq; ad hoc tempus minus aspera fuit erga Ecclesiam, quàm aliæ Monarchiæ. Cyrus anno primo post captam Babylonem edidit decretum, quo concessit Iudæis reditum in patriam, & dedit mandata de instauratione templi, & attribuit reditus. Fuitq; Dux populi Iudæorum Zorobabel, nepos regis Ieconiæ. Deinceps enim sine regio nomine Duces ex stirpe Dauid populo Iudæorum præfuerunt. Et fuit summus Sacerdos Iesus, filius Iosedek. Hos duos ductores magna multitudo comitata est, vt scriptum est in libro Esdræ. Hi reuersi in Iudæam rursus condere vrbem Ierosolymam cœperunt, & fundamenta templi iecerunt.

Hæc lætissima initia turbant partim à vicinis Samaritanis, partim aulicis calumnijs. Cùm enim pater Cyrus bellum aduersus Massagetas gereret, & Cambyses domi regnaret, inchoata ædificatio templi edicto Cambysis prohibita est. Et consentaneum est, calumniatores in aula hac vsos esse occasione, quòd cum bellum illaturus esset Cambyses Ægyptijs, disputatum est, Iudæos ex Ægyptia stirpe esse, & cauendum esse, ne Iudæi cum Ægyptijs se coniungerent. Ita à Cambysis tempore vsq; ad secundum annum Longimani instauratio impedita est. Et nunc rursus noua consolatione populus per Haggæum & Zacchariam confirmatus est.

Et si

Etsi autem eductio ex Ægypto glorioſior eſt, & manifeſtis miraculis magis ornata, quia Deus voluit oſtendere teſtimonia de Lege, tamen non minus difficile fuit, diſſipatas familias colligere, & inermes per tot inimicas gentes ducere, et inter hoſtes rurſus extruere vrbem, & collapſam Rempublicam reſtituere poſt annos ſeptuaginta, quàm olim fuerat cum valido exercitu alienam terram occupare. Vtraq; rẽ oſtendit Deum mirabiliter ſeruare & regere Eccleſiam, & velle peti & expectari diuinum auxilium, ſicut & in hac ipſa reſtitutione conſolatur Zachariam, anxium de defenſione multitudinis, mulierum, puerperarum, infantum, ſenum, imbecillium familiarum, cùm nondum haberent tecta, muros, & præſidia, inquiens: Non in exercitu, non in robore, ſed in Spiritu meo, dicit Dominus. Item: Ego ero murus igneus circum eos.

Quo igitur in loco tunc fuerit Eccleſia, & quæ habuerit teſtimonia, oſtendit hæc reductio, in qua multa ſunt miracula. Tempus congruit cum vaticinio Ieremiæ, qui prædixit poſt annos 70. populum rediturum eſſe. Et Danielem fuiſſe Prophetam, à Deo miſſum, recens protectio inter Leones oſtendit. Erant igitur Eccleſia Dei, ipſius auditores, qui profeſſus eſt doctrinam in libris Prophetarũ traditam, & hanc ita illuſtrauit, vt non ſolum dixerit, quale futurum eſſet regnum Meſſiæ, et quæ beneficia, ſed etiam numerum annorum expreſſit, intra quos Meſſias pro genere humano

futuris erat victima. Hæc concio præcipuam Euangelij doctrinam complectitur.

Ac valdè prodeſt omnibus hominibus hanc ipſam concionem notiſſimam eſſe, quæ quidem & perſpicuè refutat Iudæos. Quia cùm affirmet, ſtante politia Moſaica venturum eſſe Meſſiam, non dubium eſt, errare Iudæos, qui nondum veniſſe Meſſiam vociferantur. Sæpè igitur legatur caput nonum Danielis, vbi ſcriptum eſt: Septuaginta hebdomades decretæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt finiatur præuaricatio, & obſignetur peccatum, & fiat propiciatio pro peccato, & adducatur iuſticia ſempiterna, vt compleatur viſio & Prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo & conſiderato: Ab exitu ſermonis, vt iterum habitetur & ædificetur Ieruſalem, vsq; ad CHRISTVM *Ducem, hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum habitata erit, & ædificata platea Ieroſolymæ, & muri, in anguſtia temporum. Et poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur* CHRISTVS, *& non erit populus, & ciuitatem, & ſanctuarium deſtruet populus. Ducis venturi, & finis eius inundatio, & finis belli definita vaſtitas. Et confirmabit teſtamentum multis hebdomade vna, & in dimidio hebdomadis deficient hoſtia & ſacrificium, & erit ſuper alas abominatio vaſtationis perpetuæ, & definita vaſtitas effuſa erit.*

In hoc vaticinio et beneficia Meſſiæ recitantur,

&

& mors Messiæ prædicitur, & tempus aduentus exprimitur. Hebdomades enim intelligendæ sunt annorum hebdomades, vt in Leuitico cap. 25. textus loquitur. Sunt igitur hebdomades septuaginta, anni 490.

Dicit autem Daniel: Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, sic tamen vt in dimidio hebdomadis confirmet testamentum, id est, doceat & testimonia ostendat, & deinde patiatur & resurgat.

Significat autem Daniel, vnde sit inchoanda numeratio, cum ait: Ab exitu sermonis, vt iterum habitetur & ædificetur Ierusalem. Hæc sermonis egressio non intelligatur Cyri decretum, quia tunc ædificatio rursus prohibita & impedita est, vsq; ad Darij Longimani gubernationem. Ad hoc interuallum accommodant aliqui dictum Iohannis 2. Quadraginta sex annis ædificatum est hoc Templum: Sed de eo dicto Iohannis hîc non disputo.

Sumatur autem initium hebdomadum ab eo tempore, cum abolitis prohibitionibus iam processit ædificatio, sitq; initium ab egressione sermonis, de processuro opere, cum Haggæus & Zacharias vaticinantur opus processurum esse anno secundo Longimani, & postea Esdras mittitur anno 7. Longimani.

Concinnius est autem egressionem sermonis de diuino sermone intelligi, qui per Haggæum & Zachariam traditus est. Quanquã adiungi Esdræ missio potest, quæ non longo interuallo sequitur. Sunt autem à secundo anno Longimani vsq; ad mortem vltimi Darij iuxta

rij iuxta Metasthenem, anni 145. Adde iuxta Philonem vsq; ad tricesimum Herodis, quo natus est Christus, annos 310. Adde 30. annos ad Baptismum Christi, ita erunt anni 485. Sunt igitur ad Christi Baptismum 69. hebdomades, & in dimidia vltima Christus publicè concionatus est, ostendit testimonia, passus est, & resurrexit. Ita in Pentecoste proxima post resurrectionem Christi finis est hebdomadum Danielis. Nam postea Iudaica politia reiecta est. Templum à Deo damnatum est, & magis magisq; prophanatum, donec tota gens sub Tito dissipata, & Templum funditùs deletum est.

Hæc computatio tantum quinquennio differt à Functiana, qui orditur Hebdomadas à septimo anno Longimani. Nec absurdum est, adiungere Esdræ missionem ad Haggæi & Zachariæ vaticinia. Et si Ptolomæi numeros sequaris, ab Alexandri morte vsq; ad Augustum, inuenies à morte Alexandri ad natum Christum annos 324. quibus si addes Persicos annos regni Alexandri post Darium, tamen incurrent hebdomades in annos Christi.

DE STVDIIS DOCTRINArum in Græcia.

PRIMI in Græcia doctores, qui vel de natura rerum, vel de moribus, vel de historijs scripta monumenta ediderunt, plerunq; carminibus vsi sunt, vt

Linus

Linus, Orpheus, Homerus, Hesiodus. Fuerunt igitur primi scriptores Poëtæ. Deinde alij Doctores orti sunt, qui complexi sunt omnes artes, Arithmeticam, Geometriam, doctrinam de motibus & effectibus cœlestibus, Physicam, de qualitatum actionibus in materia corporum, & de remedijs morborum. Harum doctrinarum partem veteres Ionas à suis parentibus Iaphet & Iouan accepisse consentaneum est. Sed magis coluerunt Arithmeticen, Geometriam, doctrinam de motibus & effectibus cœlestibus, & artem Medicam Phœnices & Ægyptij. Horum eruditi consuetudine Thales & Pythagoras, circiter Cræsi & Cyri tempora excitauerunt maiora studia harum doctrinarum in Europa, & cœtus discipulorum familiariter docuerunt.

THALES vixit Mileti, & ordinauit annum Ionicis ciuitatibus, & Atticæ, rectè monstratis Æquinoctiorum temporibus & interuallis, & descripsit Meteora carmine.

PYTHAGORAS natus in Samo adijt Ægyptum, & inde attulit suam Philosophiam Tarentum. Ab his duobus diuersa genera Philosophiæ orta sunt. Ionicum à Thalete, quod fuit minus obscurum, & magis Physicum. Alterum Italicum à Pythagora, qui cũ Romæ regnaret Seruius Tullius, docuit in vltima ora Italiæ, magna Græcia, fuitq; doctrina obscura, plena ænigmatum, & ad vsum communem minus accommodata. Et quia arcanos congressus & suos quosdam

dam ritus Pythagorici habuerunt, propter Tyrannorum suspiciones deleti sunt.

DE SOLONE.

CROESI tempore & Solon fuit, ciuis Atheniensis quem cum seditio Athenis orta esset propter crudelitatem fœneratorum, qui cogebant debitorum filios et filias sibi in seruitutem addici aut vẽdi, vt vsuræ numerarentur, ciuitas consentiens elegit, vt legum & iudiciorum acerbitatem mitigaret, & vsuras moderaretur. Hic primam tulit legem, ne deinceps liceret vllum liberum corpus propter debita aut vsuras in seruitutem trahi. Item: Vt tunc vsuræ, quæ ad id tempus debebantur, omnes remitterentur, & ipse primus remisit quinq; talenta, id est, tria millia Corinthiorum. Hunc modum etiam vsurarum instituit, ne plus peteretur quàm vsura, quæ nominatur centesima, id est, centesimo mense sortem æquans, Postea leges veteres Atheniensium mitigauit, & iudicia constituit.

Nomen autem erat veterum legum, LEGES DRACONIS, sic nominatæ vel ab autore, vel (vt magis existimo) à loco iudicij, cuius signum terribile erat Draco. Fuerunt enim pœnæ multorum delictorum asperiores in illa seueriore antiquitate, sicut Demades inquit: Leges Draconis sanguine scriptas fuisse. Fuit autem aliquarum mitigatio honesta, vt ne darentur in seruitutem filij aut filiæ pro pecunia sum-

pta mutuò. Contra verò aliquarum laxatio turpis fuit, vt de adulterijs, quæ omnia olim puniebantur supplicio capitali.

Ordinauit & annum ac menses, & ad duodecim menses Lunares adiecit Epactas dies vndecim, vt congruerent ad integrum Solis circuitum. Initium anni constituit coniunctionem Solis & Lunæ proximam æstiuo Solstitio. Collegit et in integrum corpus Homeri Poëmata, & in loco publico collocauit, & instituit, vt ordine singuli libri in diebus festis publicè legerentur, & ostendit ad gubernatores pertinere curam conseruandi bona scripta. Antecessit autem Homerus Solonem annos circiter trecentos.

Sapienter actiones Forenses ita distinxit, vt earum ordo penè ad Decalogum congruat. Sunt enim actiones velut exequutio pœnarum, quibus externa delicta contra Decalogum puniuntur. Demosthenes recitat iuramentum iudicum: Feram sententias iuxta leges, ne suffragia feram, vt debita componentur, aut agri aut domus locupletioribus eripiantur, nec reducam exules, nec liberabo damnatos aut reos, nec recipiam munera iudicij causa. Audiam pariter accusatorem & reum, pronunciabo de re, de qua propriè actio instituta est. Hæc & similia multa exempla in historia Solonis continent vtiles commonefactiones, quas prodest passim ex Scriptoribus excerpere.

CAM-

CAMBYSES SECVNDVS
Rex Persicus.

CVm Cyrus senex exercitum extra regnum aduersus Massagetas duceret, filio Cambysi Reginum non ei tribuit, & viuens adhuc Persicæ Monarchiæ regem eum esse iussit. Hic Cambyses Ægyptum addidit regno Persico. Est autem insigne exemplum inconstantiæ rerum humanarum, quòd natus tanto patre, cuius fuit excellens virtus, & haud dubie optima disciplina institutus, tamen mores induit non solum genere & Rege indignos, sed omnino tetros. Motus falsa suspicione iussit interfici fratrem. Duxit vxorem sororem suam, & lacrymantem propter fratris necem, excandescens grauidam interfecit: Hanc domesticam crudelitatem alij furores sequuti sunt. Cùm Prexaspes reprehendisset eius temulentiam, dixit se ostensurum esse, sibi mentem etiam inter pocula integram esse, ac iussit in conuiuium adduci filium Prexaspis, quem collocatum ad limen iussit puerum sinistram manum capiti imponere, & arcum intendit, ac ad cor adolescentis sagittam direxit. Quod cum vulnerasset icto pectore, hærens in corde spiculum patri monstrat, cumq; ridens interrogat, satis ne certam manum haberet? Pater sibi metuens, artem laudat:

Sed talis cum esset Cambyses, aliquantò pòst diuinitùs punitus est. Cùm enim in equum ascenderet, de-

cidens ex vagina gladius ferit ei femur. Ex eo vulnere post paucos dies mortuus est, cùm regnasset annos septem, menses quinq;. Cùm autem vivo patre annos aliquot regnarit, hi anni discernuntur à patris annis. Est autem & ipsius pœna testimonium Regulæ: Omnis qui gladium acceperit. Ac talibus exemplis pœnarum Deus cæteros homines de prouidentia & de suo iudicio commonefacit.

Iustitiæ exemplum de Cambysæ hoc narrat Herodotus. Præsidem Sisamnem, qui pecunia corruptus iniustam sententiam tulerat, interfecit, & toti corpori cutem detraxit, eamq; instrauit tribunali. Postea filium Sisamnis Otanem in eam sedem collocauit, ac iussit eum intuentem patris exuuias iustè iudicare, ne simili supplicio afficeretur.

Sæpè autem dicimus, societatem hominum similem esse gregi, quem etsi passim laterant lupi & vrsi, tamen fidelis pastor à cæteris pecudibus eos depellit. Sic etsi grassantur Diaboli, Tyranni & alij scelerati in genere humano, tamen Deus ceu fidelis pastor sua dextra cœtus aliquos protegit, iuxta illud: Nisi Dominus custodierit ciuitatem, &c. Et grassantes Tyrannos & latrones tollit. Quanquam igitur & ipse Cambyses Tyrannus est, & mox punitur, tamen quædam in gubernatione diuinitùs iusta fiunt, ne dissipetur vniuersa societas generis humani.

DE

DE DARIO TERTIO Rege Persico.

CVm abesset Cambyses in Ægypto, Magi aliquot conspiratione facta regnum à familia Cyri ad sese transferre conati sunt, & vnus ex Magis Regem se nominauit. Sed re prodita, Magi à septem Principibus interficiuntur. Postea deliberatio instituitur de forma gubernationis. Et sunt orationes tres apud Herodotum dulcissimæ, de optimo statu.

Otani placet non creari Regem, sed suadet, vt certis legibus Principes & ciuitates fœdus faciant de communi defensione, & singuli suam libertatem atq; æqualitatem retineant: Quia vnum armare summa potentia nequaquam tutum sit. Ipsa enim magnitudo potentia etiam in bonis mentem deteriorem efficit. Cumq; cupiditas incitata est, quia facultas est delinquendi, crescit audacia, & ruit in omnia scelera. Ac Tyrannos, inquit, delectari malorum familiaritate, & calumnijs optimum esse ducere mouere leges patriæ, vi rapere aliorum coniuges, interficere ciues sine iudicio.

Hanc sententiam refutat Megabyzus, dicens: Vulgi tyrannidem minus tolerabilem esse vnius tyrannide: Quia vulgus sit sine sapientia, ac ruat in negocia incitatum, vt rapida flumina. Suadet igitur constitui paucorum optimorum virorum principatum, & addit tutissimam rationem: Consentaneum est, optimorum virorum optima consilia esse.

Darij tertia sententia fuit, quæ suasit regem creari, quia etiam inter paucos non sit diuturna concordia. Et in magnis imperijs hoc accidere, vt propter discordias Principum, tandem necesse sit ad vnum summam potentiam transferre. Rectius etiam esse, patrias leges non abolere, quæ Regium statum constituissent.

Hanc Darij sententiam cum cæteri quatuor approbassent, decretum est, vt Rex crearetur. Et ne certamina orirentur, sed vt electio Deo commissa videretur, conuenit, vt manè Principes in suburbio equis insidentes conuenirent, & cuius equus primus hinnitum ederet, oriente Sole, is Rex esset. Darius autem cum domum rediisset, hæc decreta narrat suorum equorum curatori Oebari, & interrogat: an arte rem iuuare posset? Ille verò inquit, se consilium inuenturum esse. Ac noctu in eo loco, in quo Principes manè conuenturi erant, equum Darij ad equam admittit. Manè igitur desiderio equæ primus edidit hinnitum Darij equus. Sed tamen accessit cœleste signum, fulgur & tonitrua sereno cœlo, quod iudicatur esse faustum. Desilientes igitur ex equis omnes Principes, Persico more Darium adorant, Regem salutant, & ei fausta precantur.

Regnauit autem annos triginta sex, vt Græci numerant. Initio regni, Babylonchi, quæ à Persis defecerat, post longam obsidionem vicesimo mense recepit, astutia Zopyri, qui cùm sibi nares & aures præci-

præcidisset ipse, Babylonem venit cruenta facie, simulans, se à Rege hac contumelia affectum esse, quod hortator fuisset relinquendæ obsidionis, vehementer accusans Regiam sæuitiam. Hæc credentes Babylonij, perficiunt eum exercitui, qui primùm, vt ei plus fideret esset, leuibus prælijs vicit Persas, aliquantò post autem vrbem Dario tradidit. Ita secundò à Persis Babylon capta est.

Tanto autem in honore postea Zopyrus apud Darium semper fuit, vt cum Darius pomum punicum in manu teneret, dixerit, se non optare maiorem thesaurum vllum, quàm vt tot haberet Zopyros quot grana sint illius pomi, significans, Regibus nihil vtilius esse fidelibus amicis. Recepta Babylone Darius aliquantò post mouit bellum Scythicum. Vt enim Cyrus à suo regno Barbaricas gentes, quæ ex Arctoa regione in Asiam infundebantur, arcere conatus est, ita & Darius infusas iam in Asiam ejicere & longius remouere volebat. Nominat autem Herodotus vicinas gentes Thraciæ ad Bosphorum Getas, Cimmerios, & vlterius Sauromatas, quæ nomina obseruanda sunt, quia ab his Cimmerijs nostros Cimbros ortos esse, & à Getis Gottos, non dubium est. Ac hodie Gottica nominatur regio, vicina Colchicæ, & sunt in Taurica Gotti, linguam Germanicam retinentes. Ac tunc quidem Dario Getæ sese dediderunt, sed Scythas non vicit, ac factis aliquot prælijs rediit in Ioniam. Postea

quia Persica Monarchia Macedoniam attingebat, vicini potentiores hanc etiam suo imperio adijcere conabantur, præsertim cum ibi & venæ Metallicæ uberrimæ sint. Missi sunt ergo legati Persici ad Amyntam regem Macedonicum, qui petierunt, vt terram & aquam traderet Dario. Amyntas metuens potentiam Persicam placidè respondet, & Persas in conuiuium vocat. Hic Barbari superbè petierunt etiam nobiles mulieres adduci, & inter conuiuas collocari, qui ebrij iam & basia dabant honestis mulieribus, & attrectabant sinus. Hæc cum iustè ægrè ferrent pater Amyntas, & filius Alexander filius patrem hortatur, vt ex conuiuio discedat, dormiturus. Qui cum abijsset simulabat hilaritatem Alexander, ac aliquantò pòst hortatur, vt concedant mulieribus, vt aliquantisper surgant, & ait, mox redituras esse. Quibus dimissis iubet adolescentes nobiles totidem induere earum vestes, & gladios sumere abditos sub vestibus, & cum Persæ eos attrectarent, ipsos confodere. Hæc ita facta sunt, & lasciuiæ ac petulantiæ pœnas Legati iustas dederunt. Fuitq; hic Alexander proauus Alexandri Magni.

Aliquantò pòst & Ionicum bellum sequutum est. Defecerant enim à Dario Iones in littore Asiæ, & incenderant Sardis, qua in re & auxilia Athenienſium habuerant. Fuit autem defectionis præcipuus suasor Istiæus, qui cum esset in Persiam vocatus, ibi intellexit Darium velle Ionas in Phœnicum regionem transferre,

ferre, & Phœnices in Ioniam collocare. Vt igitur tutò significaret hanc rem suæ genti, hoc consilio vsus est: Nuncio radi capillos capitis iussit, deinde literas, quas voluit, inussit, significantes Aristagoræ, Capitaneo in Asia, vt bellum moueret. Cumq; rursus creuissent capilli, mittit eum ad Aristagoram, & iubet radi capillos capitis, & aspici caput. Intellecto igitur consilio mouit bellum Aristagoras, sed oppressa seditione magna cum difficultate Aristagoras interfectus est, & postea Istiæus cruci affixus.

Erat hoc tempore exul apud Darium Hippias Pisistrati filius, qui Athenis tyrannidem tenuerat. Et cum frater Hipparchus interfectus esset propter libidines, & postea Hippias sæuitiam in ciues exerceret, pulsus est Athenis. Profectus igitur ad Darium, petiuit, se in patriam reduci. Eò autem facilius impetrauit exercitum, quia Darius iratus erat Athenienſibus propter societatem Ionicam. Quare misit Darius centum millia peditum, & decem millia equitum, qui cum Athenis non plus duobus nostris milliaribus abessent, deliberatio erat in vrbe, an obsidio toleranda esset in vrbe, aut an dimicandum esset acie cum hostibus. Suadet igitur Miltiades, vt dimicetur, qui exercitum decem millium ciuium, & mille Platecenses educit, & magno impetu adortus hostes, ac multis Persis in prima acie trucidatis, reliquam multitudinem Persicam fugere cogit.

Aiunt ante aciem terribiles sonitus auditos esse

& visa spectra, quæ Atheniensis postea dixerunt fuisse speciem Panos, qui terrorem tantum Persis incusserit, vt fugerent. Inde Panici terrores postea dicti sunt de subitis consternationibus.

Hippiam Pisistrati filium interfectum esse in eo prælio scribunt Cicero ad Atticum et Iustinus. In Suida verò legitur, vndecunq; ea narratio sumpta est, profligato exercitu Persico, fugisse Hippiam in Lemnum, et ibi morbo extinctum esse inter magnos cruciatus, cum amisisset visum, & ruptis venis sanguis copiosè per oculos flueret. Perierunt ergò ambo filij Pisistrati Tragicis exemplis, etsi Hipparchi sapientiam laudat Plato, citans eius versus, inscriptos statuis Mercurialibus: μνῆμα τόδ' Ἱππάρχου· σοφὸς δικαίοις φρονῶν. Item: μνῆμα τοῦδ' Ἱππάρχου μισόφιλον ἀπάτας.

Miltiadis verò interitus exemplum est vsitatæ ingratitudinis hominum. Cùm enim præcipuè ipsius consilio & fortitudine Persicus exercitus profligatus esset, cumq; Lemnum adiecisset ad Atticæ ciuitatis imperium, postea infeliciter tentata pace, ab inimicis accusatus est, & publicè damnatus, vt quinquaginta talenta, id est, triginta millia coronatorum penderet. Ac ductus in carcerem, ibi aliquantò pòst mortuus est.

Postremò de Dario filio Histaspis hoc addo. Hic Darius filius Histaspis est maritus Esther, quem Historia sacra nominat Assuerum, cuius tempore quan-

tis in periculis & miseriis fuerit Ecclesia, cogitandum est. Nam & in Iudæa adhuc erat impedita ædificatio templi, & Haman per calumniam impetrauerat edictum de tota gente Iudæorum delenda. Sed mirabiliter Deus protexit Ecclesiam, patefactis calumnijs & sceleribus Haman. Nomẽ Esther significat absconditam. Fortassis sic nominata est, quia non prodijt in publicum, ne formæ instruerentur insidiæ, aut quia Ecclesia tunc duriter oppressa fuit. Apud Herodotum alterè coniunx Darij præcipuè dilecta nominatur Aristona, quod videtur esse nomen Esther, sicut nomen Vasti est Atossa.

Philo historiam Iudith etiam refert ad tempus Darij filij Histaspis, & narrat hunc Arphaxat seu Arbacem fuisse Assyriorum ducem eo tempore, quo à Cyro absente, cùm à Tomyre exercitus eius trucidatus esset, & Chaldæi & Assyrij defecissent. Etsi autem de tempore historiæ Iudith disputare nolim, tamen existimo eam antecessisse excidium Ierosolymæ & Persicam Monarchiam, cum adhuc Assyrij, Medi & Chaldæi inter sese bella gererent, & nondum decem tribus prorsus abductæ essent. Non enim vno anno omnia Israëlitarum oppida capta sunt. Et textus narrat, Iudith fuisse ex stirpe Ruben, fuitq; Dothaim vrbs, cuius in ea historiâ fit mentio, vicina Samariæ. Significat autem Iudith confessam. Bethulia, virginem Dei. Doth legem.

XER

CHRONICORVM
XERXES QVARTVS
Rex Persarum.

GRæci Xerxen proximè post Darium filium Histaspis numerant. Metasthenes & Philo omisso Xerxe proximè post Darium filium Histaspis collocant Longimanum, qui & Darius & Artaxerxes Longimanus nuncupatur. Existimo autem præteritum esse Xerxen à Metasthene & Philone, quia Xerxe discedente ex regno necesse fuit regem alium nominari. Itaq; scriptores isti, qui Occidentis historias prorsus omittunt, tantũ Longimani mentionem faciunt, qui interea domi regnum tenuit, cùm Xerxes in Græcia bellum gereret. Et consentaneum est, Xerxen post bellum Græcum non diu superstitem fuisse. Cùm enim interfecisset fratrem Masisthem, cum eius coniuge & filia fuerat ei incesta consuetudo, breui pòst, & ipse ab Artabano interfectus est. Nos tamen Xerxis historiam breuiter recitauimus, quæ luculenter ab Herodoto descripta est.

Initiò in historia Xerxis memorabile exemplum est modestiæ. Frater Xerxis Artabazanes, maximus natu, sine seditione cessit iudicio patris de regno. Sed pater hanc habuit sui iudicij causam, quia Xerxes natus erat ex filia Cyri Atossa regnante Dario, Artabazanes autem, antequam pater regnaret, ex alia coniuge natus erat. Prælatus est igitur Xerxes propter Atossæ potentiam, cuius & propter patrem magna erat

erat apud Persas autoritas. Scribunt autem fratres interea non mutasse mutuam beneuolentiam, ac vsitato moro inuicem alterum alteri munera misisse.

DE BELLO XERXIS.

CVM Darij exercitus Hippiam reducturus Athenas, pulsus esset, Darius maiori apparatu bellum inferre Græcis decreuit. Sed dum colligit exercitum, moritur. Filius igitur Xerxes in ipso gubernationis initio cupidus gloriæ, & instructus exercitu, cum haberet incitatorem Mardonium, hoc bellum mouit dissuadente Artabano patruo Xerxis. Exercitus dicitur fuisse decies centum millium hominum, quantum exercitum non legimus vllum Regem duxisse, nisi Tamerlanum Tartarum, qui recens ante annos ferè ducentos, regnante Baiazete Turcico Tyranno, peruastauit Asiam à Tanai vsq; ad Ægyptũ & ad Parthos, & captum Baiazetem in cauea circũduxit. Hunc scribunt duxisse quater centum millia equitum, & sexcenta millia peditum.

Ductus est autem Xerxis exercitus trans Hellespontum anno septimo regni Xerxis, & intra biennium Persæ quatuor prælijs victi tota Græcia expulsi sunt. Primum terra ad Thermopylas victi sunt. Deinde mari duobus prælijs ad Artemisium & ad Salaminem. Quartò ad Plateas, cum post fugam Xerxis Mardonius in Græcia mansisset. Pugna enim ad Thermopylas facta est circiter Solstitium æstiuum, cùm

cùm instarent Olympia. Postea decimo mense Mardonius Athenas combussit, videlicet circa Aprilem anni sequentis. Et ad Plateas esse pugnatum constat die quarto Augusti.

Etsi autem non sine magnis cladibus tanta multitudo vinci potuit, tamen exemplum insigne est humanæ infirmitatis, quòd tantus exercitus tam breui tempore pulsus & trucidatus est. Ipse verò Xerxes parua Cymba fugit post pugnam ad Salaminem. Vult enim Deus non suscipi bella non necessaria cupiditate gloriæ & fiducia humanæ potentiæ. Regula est enim: Necessaria mandata diuinitùs facienda esse, & petendum esse à Deo auxilium, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, id est, vocationem tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Ac narrat Herodotus, Mardonium Thebis in conuiuio ante pugnam ad Plateas, cum diceretur, mirum esse tam exiguum numerum Persarum reliquum esse, dixisse: Quod Deus decreuit, non posse ab hominibus mutari, neq; probabilia suadentibus homines obtemperare. ὅτι δεῖ χρὴ ὡς ἓν θεὸν, ἀμήχανον ἀποτρέψαι, μηδὲ οὐδεὶς τοῖς δὲ λέγουσι πιστὰ πείθεσθαι θέλει.

Postquam exercitus Xerxis trans Hellespontum ductus est, quarto mense videlicet circiter tempus Olympiorum, circiter tempus Solstitij æstiui pugnatum est ijsdem diebus in mari ad Artemisium in Thessalia, non procul à Pagasis, & alibi in terra in faucibus, vbi aditus est ad Phocensem regionem ex

Thessalia, quarum nomen est, à calidis aquis, Thermopylæ: pugna naualis ad Artemisium non magna fuit, sed quia fuit lex, erexit Græcorum animos ad defensionem, & ad curam instituendæ classis. Pugnam verò ad Thermopylas omnes ætates admiratæ sunt. Ibi enim cum exiguus exercitus custodiret fauces, trecenti Lacedæmonij, quadringenti Thebani, & ex alijs locis Græcis circiter tria millia: Phocenses primi, deinde alij discesserunt ante pugnam, sed manserunt soli ibi Lacedæmonij, Thebani & Thespienses. Hic paruus numerus trucidauit viginti millia in exercitu Xerxis, sed ipsi simul interfecti sunt, Lacedæmonij & Thespienses omnes præter duos. Nec alia similis pugna extat in historijs, præter Helueticum factum ad Basileam, tempore Synodi, cum Papa in Germaniam misisset Delphinum Gallicum cum exercitu Armoriatorum, qui cum magnam crudelitatem in Alsatia exercuissent, ad Basileam accesserant, ibi à tribus millibus Helueticorum millia hominum viginti in Gallico exercitu trucidata sunt, sed simul Heluetij victores occubuerunt, cumq; reliquiæ Gallici exercitus fugerent, Germania illo terrore liberata est.

Post pugnam in Thermopylis Mardonius exercitum in Græciam duxit, cumq; Phocenses & Thebani se ei adiungerent, misit Legatos ad Athenienses, qui hortarentur, vt certis conditionibus se Persis dederent. Sed tanta fuit magnitudo animorum, vt non sint admissæ vllæ conditiones deditionis. Cũ autem

tem ciuis quidam Athenienſis, quem Herodotus Lycidam nominat, Demoſthenes Cyrſilum, ſuaſor eſſet accipiendi conditiones, cæteri ciues Athenienſes lapidibus eum obruerunt. Necarunt & mulieres Atticæ uxorem eius lapidibus. Tantus fuit ardor animorum in defenſione patriæ, quia barbaros ſciebant abolitis legibus & diſciplina Græciæ crudeliter imperaturos eſſe, & coniuges, filios, filias & facultates erepturos, quibus uellent. His malis ſeruitutis mortem anteponendam eſſe ſtatuerunt, ut nunc Turcica tyrannis ingentia mala ſecum adfert. Etſi igitur pœna Lycidæ atrocior fuiſſe uidetur, tamen palàm iniuſta conſilia dantes punire iuſtum eſt.

Pugna ad Salaminem inſulam celebratiſſima eſt, in qua Græca claſſis, nauium 378. toto die prælians, Perſicam, quæ multò maior fuerat, ita diſſipauit, ut plurimæ naues Xerxis ſubmerſæ ſint, & trucidata magna pars exercitus naualis, & reliquiæ fuga euaſerint. Fuitq; tanta clades Perſici exercitus, ut Xerxes poſt paucos dies poſt hoc prælium paruo nauigio fugiens redierit in Aſiam. Relictus eſt igitur Mardonius cum exercitu in Græcia, dimicaturus in terra, & ingenti prælio ad Plateas victus eſt, & Græcia toto bello Perſico liberata eſt. Mardonium uir Spartanus interfecit, coniecto lapide in caput eius. Hic fuit exitus eius uiri, qui præcipuè hortator fuerat ſuſcipiendi huius belli.

Sunt

Sunt autem exempla in hac hiſtoria conſideratione digna plurima. Primùm, ne quis fiducia potentiæ res non neceſſarias moueat, quia Deus ſubitò magnam potentiam delere poteſt, ut hoc bellum ante biennium finitum eſt. Ad Thermopylas dimicatum eſt menſe Iunio, & iiſdem ferè diebus ad Artemiſium pulſa eſt claſſis Xerxis. Deinde ad Salaminem uicit Græca claſſis die 16. Martij. Poſtea trucidatus eſt Mardonij exercitus die 4. Auguſti. Traiecit autem Xerxes in Europam, in Vere anni ſuperioris, & poſt Salaminiam pugnam fugit, quare non multò plus integro anno fuit in Europa.

Deinde conſideretur ſtudium concordiæ tuendæ propter communem ſalutem, quod in Athenienſibus inſigne fuit, qui ſtatim initio ſummam imperij Lacedæmonijs ceſſerunt. Poſtea ante pugnam ad Plateas, cum Arcades ante ipſos collocari uellent, aiunt, ſe non moturos eſſe ſeditionem loci cauſa, ſed ubicunq; collocentur, ſe fore uiros fortes. Ipſe etiam Themiſtocles dixit, ſe uicisſe ſocios patientia, celeritate hoſtes.

Tertiò, in hac breuitate temporis conſideretur, quantum proſit celeritas, ne detur ſpacium perterrefactis hoſtibus ſeſe rurſus colligendi. Sicut Iulius interrogatus, quomodo tantas res perfeciſſet, reſpondit: Μηδὲν ἀναβαλόμενος. Et reprehenditur Annibal, quod poſt captam Capuam non obſedit urbem Romam.

Quartò exempla præſtantium uirorum in hac

historia intueamur, qui post victoriam elati successibus facti sunt aut negligentiores, aut insolentiores. & Tragicos exitus habuerunt, vt discamus hæc dicta: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item: Abominatio est coram Domino, quicquid est sublime coram hominibus.

PAVSANIÆ Spartani, qui Dux fuit ad Plateas, tanta fuit modestia in victoria, vt cum eum adhortarentur quidam, vt capita Persicorum Ducum interfectorum affigeret cruci, sicut Persæ caput Leonidæ regis Spartani simili contumelia affecerant, respondit, se mortuos nulla contumelia affecturum esse, ac satis sibi esse, si iusta faciens & dicens Spartanis suis placeat: fecit & alia modestè. Remisit captiuam nobilem ad suos. Sed idem Pausanias cum postea Byzantium Græci occupassent, factus superbus, & crudelis, rapuit filiam præcipui ciuis Byzantij, & hanc noctu in subita consternatione interfecit. Id cum fecisset, ex statua editus est hic versus pœnam præmucians: σῶχε δίκης ἄσορ, μάλα κακόμ ἀνδρα σάσιν ὕβρις.

Deinde cum Persis fœdera facere conatus est hac conditione, vt daretur sibi vxor filia Xerxis, & vt adiutus Persicis auxilijs Rex Græciæ fieret, eamq; Persico imperio subijceret. Reuocatus igitur ex Byzantio, cum Ephori eum deprehensuri & in carcerem ducturi essent, fugit in templum. Ibi cum audissent Ephori ipsum fatentem crimen, inclusus fame periit. Et

Et mater Alcithea, cum muro fores obstruerentur, primùm lapidem in ea obstructione locauit. Hic exitus Pausaniæ fuit eo tristior, quod ostendit, tantam esse imbecillitatem naturæ hominum, vt non solum fortuna sit instabilis, sed virtus etiam, quæ durabilior & firmior esse debebat in præstantibus viris, sæpè extinguatur. Agnoscamus igitur & naturæ infirmitatem & Diaboli tyrannidem, & petamus auxilium à filio Dei, iuxta dictum: Ina est perditio, tantum in ME auxilium Israël.

Adeò excelluit sapientia Themistocles, vt præcipuè ipsius consilijs Græcia fuerit victrix Persarum. Quare his verbis laudatus est à Thucydide: Erat Themistocles præcipuè dignus admiratione præ alijs, quia acie mentis suæ non præmonitus, nec diu considerans, in rebus subditis optima consilia habebat, & de futuris, quid euenturum esset, rectissimè coniiciebat. Et quæ in præsentia in manibus habebat, explicare poterat, & quæ non norat, non destitit inquirere. In obscuris autem rebus, quid melius aut deterius esset, omnium maximè prospiciebat, & vt in summa dicam, Naturæ viribus & celerrima deliberatione optimè id eligebat, quod maximè profuturum erat.

Tanta cum fuerit sapientia, & cum optimè meritus esset, tamen ex tota Græcia expulsus est. Ac primùm ei iniusta odia Lacedæmoniorũ nocuerunt. Postea & apud ciues accessit inuidia, quia minus modestè viuebat. Exul autem ad Persas accessit, et promisit

se ducem fore contra Græcos. Cum autem rex ei exercitum & pecuniam, vt Græciæ bellum inferret, decreuisset, desperatione rei tantæ, ac præcipuè metu Cimonis, omisit expeditionem, & mortem sibi consciuit, hausto seu Taurino sanguine, seu veneno, cum quidem vixisset annos quinq; & sexaginta. Hic fuit exitus tanti viri, qui cùm excelluerit sapientia, stulte tamen se adiunxit infidis hostibus, & longè maiora viribus suis promisit, & sese in tantum periculum adduxit: vt mortem sibi consciscere mallet, quàm expectare tristiorem exitum, cum metueret fore, vt vel à Græcis, vel à Persis interficeretur. Adeò infelix est sapientia humana, cùm à Deo deseritur, iuxta hæc dicta. Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum à Deo. Item: Scio Domine, quod non est hominis via eius. Item in Epistola Iacobi: Si quis indiget sapientia, petat à Deo, &c.

Cùm Lacedæmonij fugientem ex Græcia sequerentur, vt ipsum interficerent, fugit primùm ad Admetum regem Molossorum, qui cùm ei inimicus esset, monitus ab vxore Admeti, factus est ei supplex, hoc singulari ritu, quem docuerat eum regia coniunx: Cùm domum veniret Admetus, in vestibulo ad aram Themistocles tenens manibus filiolum Admeti, & patri ostendens, propter eum orat se supplicem recipi, sibi parci, nec dedi se hostibus. Hic ritus propter filium petendi iudicabatur esse sanctissimus. Dedit igitur ei Admetus aliquantisper tutum hospitium: Sed cùm

cum timeret Græcos, qui poscebant eum sibi dedi, curauit eum in Asiam transuehi.

Duo autem viri celebrantur in eo bello, qui ad cæteras virtutes, modestiam & iusticiam adiunxerunt, ARISTIDES & CIMON, qui & res magnas & vtiles patriæ gesserunt, & cum essent in omni officio iusti & moderati, placidos habuerunt exitus.

Fuit Xerxis exitus tragicus, qui post bellum reuersus in Asiam, cum fratris vxorem & filiam amaret, fratrem interfecit. Sequuta est igitur pœna incestas libidines & crudelitatem, iuxta diuinas regulas: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Aliquantò enim post Xerxes ab Artabano interfectus est.

ARTAXERXES LONGIMANVS
Quintus Rex Persarum.

ARtaxerxen Longimanum supra diximus in Oriente regnum tenuisse, absente Xerxe. Græci ergo numerant eum post Xerxen. Dictus est Longimanus, quod dextra longior fuerit quàm sinistra. Laudatur eius bonitas, quàm etiam ostendit in munificentia ampliſsima erga Ecclesiam. Quare Iudæi tradunt eum fuisse filium Darij & Esther. Fuerat autem impeditus reditus Iudæorum sub Cambyse & Dario filio Histaspis, vt consentaneum est propter Ægyptiaca bella. Sed pacato Oriente, Artaxerxes

Longimanus renouauit edictum Cyri, & iussit perfici ædificationem Ierosolymæ & templi. Ac anno sexto regni Artaxerxis Longimani templi ædificatio absoluta est.

Cùm igitur apud Haggæum & Zachariam nominatur Darius, pleriq; hunc Artaxerxen Longimanum intelligunt, qui & anno septimo regni sui misit Esdrã cùm magna multitudine Iudæorum, & cùm ampliſsimis donis Ierosolymam, ad instaurandam politiam.

Cogitemus autem; quàm difficilis instauratio fuerit, cùm vicini bellis eam impedire conarentur, et multi Iudæi reuersi ex longo exilio legem & mores patrios obliti essent, & difficulter Oeconomias instituerent. Sed hæc incommoda leniit Deus, qui Artaxerxis animum ita flexerat ad tuendos & iuuandos Iudæos, vt non videatur vnquam in genere humano alius Monarcha erga Ecclesiam munificentior fuisse. Dedit etiam gubernatores sapientes & felices, Haggæum, Zachariam, Esdram, Nehemiam & alios, fuitq; inter præcipuos Esdræ labores Propheticorum librorum collectio, & studiorum doctrinæ instauratio. Quia Ecclesiæ fundamentum est doctrina Prophetica, diuinitùs tradita.

ANNO vicesimo Artaxerxis missus est Nehemias ex Babylone Ierosolymam, qui & sumptibus & autoritate adiuuit ædificationem murorum, & vsuras prohibuit, quibus opes à locupletioribus exhauriebantur. Ita Deo iuuante paulatim certa sedes Ecclesiæ in Iudæa restituta est, & in magno imperio Persico nota fuit, vt multi inde doctrinam petere possent. Et mediocris in Iudæa pax fuit, vsq; ad Tyranni Ochi tempora.

RES GRÆCÆ.

SCribit Thucydides hunc Artaxerxen mortuum esse anno septimo belli Peloponnesiaci, quòd Græciam grauissimè adflixit. Nam & diuturnum fuit, duravit enim annos septem & viginti, etsi breues inducias aliquantisper habuit, & multæ ciuitates partim funditùs deletæ sunt, vt Platea, vrbs Corcyreorum, vrbs Meliorum: partim tristi seruitute oppressæ sunt, cùm grassarentur perpetuæ cædes in vrbibus, vt Mitylene, & ipsa vrbs Attica, & bella ex bellis noua subinde orta sunt.

Anni à fuga Xerxis vsq; ad initium belli Peloponnesiaci sunt quinquaginta. Hoc tempore maximè floruit Græcia, & præcipuè creuerat Athenarum potentia, quam Demosthenes inquit tenuisse Principatum inter Græcos annos tres & septuaginta, numerans videlicet annos à Cimonis victorijs vsque ad Lysandrum Lacedæmonium, qui obsessas Athenas deditionem facere coëgit. Erat autem commune fœdus Græcorum, ne qui alijs bella inferrent, sed vt controuersiæ communi iudicio dirimerentur. Sed inciderunt inter Megarenses & Athenienses de luco incẽso contentiones, propter quem Attica ciuitas edictum

proposuit in Megarenses, vt à portu Attico abstinerent, ne liceret eis ingredi in terram Atticam. De hac iniuria cum Megarenses apud Lacedæmonios quæsti essent, petunt Lacedæmonij, vt edictum illud tollatur. Pericles fatetur, causam ipsam non magni momenti esse, sed exemplum non tolerandum esse. Postea Lacedæmonios maiora imperaturos esse, si nunc in re parua cederent. Hac exaggeratione rem adducit ad bellum, vt suspiciones & astutiæ, ac virulentæ interpretationes sæpè sunt causa magnorum bellorum. Ita ab exigua causa bellum diuturnum & exitiale toti Græciæ ortum est, sicut Pindarus inquit: Parua scintilla sæpè magnam syluam comburit.

Secundo belli anno sæua & inusitata lues Athenis, & in vicinia grassari cœpit, quæ corpora inflammata sic vrebat, vt membra putrefacta intra paucos dies deciderent, in alijs capita, in alijs brachia, in alijs pedes, & accedebant furores, in quibus alij sese præcipites in puteos abijciebant, alij alijs modis sese perdebant, & extinguebatur memoria etiam in his, qui conualescebant. Huius pestilentiæ fit mentio apud Hippocratem, qui tunc vixit, & dicitur hoc consilio eam à Thessalia depulisse, incensis syluis, cùm flatus ventorum ab Attica adferebant contagia. Nec tàm sæua lues descripta legitur alijs temporibus, nisi anno post natalem Christi 1089. quo anno Sigisbertus narrat talem pestilentiam in Lotharingia grassatam esse.

Denun-

Denunciarunt magnas calamitates Eclipsis Solis initio belli facta, quæ medio die tenebras fecit, vt stellæ conspicerentur: Et cometa, qui arsit sexaginta diebus: Et oraculi versus, ἦλθε δωρικὸς πόλεμος, καὶ λοιμὸς ἅμ' αὐτῷ, vbi dubitatum fuit, Pestis ne, an Fames significaretur. Sed concurrerunt omnia. Legatur autem integra historia apud Thucydidem et Xenophontem, quia insignis commonefactio est de ira Dei aduersus hominum scelera, & de stultis hominum consilijs, qui bella non necessaria mouent odijs aut cæca ambitione, vt initio in bello mouendo Pericles magis odio Megarensium, quàm alijs causis motus est. Postea Alcibiades bellum intulit Siciliæ, tantum stulta & iuuenili ambitione. Hæc cum legimus, commonefiant animi & de timore Dei, & de modestia, vt dicitur: μεγάλα δικαίων καὶ τὰ πρόντα οὐ φέρειν, μανομένων οἵδε τρόποι.

DE VRBE ROMA.

TEmpore Artaxerxis Longimani & Romæ insignis mutatio facta est. Scribendarum legum causa Decemuiri creati sunt, quæ historia tota apud Liuium legenda est. Occasionem consilio Legum scribendarum præbuerunt, & sæuicia Fœneratorum, Nobilitatis superbia, quæ iudicia eludebat.

DARIVS NOTHVS SEXTVS
Rex Persarum.

Nox fuit filius Artaxerxis Longimani, sed vt dicitur, maritus sororis ipsius. Regnauit annos 19. vt numerant & Mathastenes & Græci. Huius tempore missa est in Siciliam classis Attica, cũ exercitu quadraginta millium hominum, ducibus Alcibiade & Nicia. Hic totus exercitus trucidatus est, præter paucos, qui fuga clapsi sunt. Fuerat autem suscepta hæc expeditio præcipuè Alcibiadis ambitione, qui populo persuaserat, Athenas tota Sicilia potituras esse. Nec causa bellimecessaria erat, nèc par erat Attica potentia simul domestico & externo bello, sed cupiditate & cæca spe incitati homines sæpè iniusta & maiora viribus mouent, iuxta dictum: Μάταιοι μάταια λογίζονται, διὰ ἐπιθυμίας. Et Pindarus inquit: Hominum membra alligata esse imprudenti spei: Δέδεται ἀνοιδῆ ἐλπίδι γυῖα. Tales causæ cùm pœnam & magnas calamitates attraxerint, hoc exemplum monet, vt modestè necessaria faciamus, nec stulta ambitione moueamus res non necessarias.

Dignum memoria & hoc est, quòd captiui Athenienses multi dimissi sunt, propter hoc solum officium, quòd Siculis communicauerant Tragœdias Sophoclis & Euripidis. Tantus honos ab ingeniosis hominibus habitus est bonis scriptis.

ARTAXERXES MNEMON Septimus Rex Persarum.

Ne

Ne inter fratres de regno certamina orirentur, Darius Nothus ante suam mortem filium natu maximum, Artaxerxen, Regem constituit. Tradidit autem secundo filio, Cyro, sine regio nomine gubernandam Lydiam & Ioniam. Sed post mortem patris, Cyrus siue à matre incitatus, quæ oderat coniugem Artaxerxis, siue alioqui ardens cupiditate dominationis, bellum fratri intulit, & magnum exercitum ex minore Asia aduersus fratrem vltra Euphraten duxit. Interea & Artaxerxes contraxit magnum exercitum, & cum Cyro dimicauit. In eo prælio Cyrus fratrem vulnerauit, & partem exercitus eius loco pepulit. Sed aliquantò pòst cum paucioribus irrumpens in medios hostes Cyrus interfectus est. Ita frater, qui sine iusta causa bellum mouerit aduersus fratrem & regem, quanquàm multæ in eo magæ virtutes fuerunt, et robore exercitus antecelluit, diuino iudicio superatus est, & inter exempla referendus est, de quibus regulæ concionantur: Quia gladium acceperit, gladio peribit. Qui potestati resistunt, punientur &c. Virtutes eius à Xenophonte, cuius titulo extat historia huius libelli, honorificè describuntur: Iusticia in imperio, Fides in pactis, Modestia, & Munificentia erga Principes & Respublicas, Fortitudo in dimicando, Comitas erga amicos. Nec mirum erat, inquit, superare eum omnes magnitudine donorum, cum ditissimus esset. Sed liberalitati addere comitatem & singularem delectum, mirandum est.

Sæpè

Sæpè lagenas semiplenas misit amicis, iubet vt hodie cum amicis biberent, quia diu nullum melius vinũ habuisset. Laudat autem semiplenas misisse, vt significet de eo misisse, quo ipse fruebatur & delectabatur, & nihil ei sine amicis suaue esse. Sic & auseres semesos ait amicis eum misisse.

Post Cyri mortem capta est in castris Aspasia, mulier Ionica, quam Cyrus magis amauit, quàm cæteras concubinas. Adeò enim & forma & ingenio antecelluit, vt nominata sit σοφὴ καὶ καλὴ. Hanc captam Artaxerxes valdè amare cœpit. Cùm autem filium Darium regẽ creasset, & consuetudo esset, vt die quo pater filium regem renunciauerat, liceret filio donum petere à patre, quodcunq; vellet, idq; patrem largiri oporteret, filius Aspasiam petiuit. Etsi dolebat eam pater à se abduci, dedit tamen, nec multò pòst rursus eripuit. Inde inter patrem & filium orta simultate, filius incitatus & adiutus à Tiribazo, constituto tempore cum armatis irrumpit in cubiculum patris, vt eum interficiat, sed præmonitus pater effugit insidias, & ibi Tiribazus & cæteri comites armati à patris satellitibus interficiuntur, filius Darius capitur, & postea re iudicata in Principum consilio (quia pater solus de filio Rege statuere noluit) interficitur. Hæc pœna secuta est incestas libidines. Duxit autem pater vxorem filiam Atossam. Et cùm iam Ochus filius regnum appeteret, fratrem Arseman ipse interfecit. Alteri fratri tantum incussit terrorem, vt ipse

ipse sibi mortem consciuerit. Hic aditus fuit Ocho ad regnum, qui postea cum filijs perijt, & Cyri posteritas prorsus extincta est. Et calamitas filiorum Mnemonis, incesta consuetudine polluti, ostendit peccata in semine, postea in sobole puniri. Græci tribuunt huic Artaxerxi Mnemoni annos quadraginta.

RES GRÆCÆ.

CVm Atticus exercitus in Siciliam venisset, non multò pòst Alcibiades reuocatus est Athenas ad iudicium, qui metuens factionis contrariæ potentiam, non redijt in patriam sed hostibus se adiunxit, ac Spartam venit, ibi trium consiliorum autor fuit, videlicet, vt mitterent Lacedæmonij Ducem Gylippũ Syracusanis, & bellum in Attica instaurarent, munita Decelea oppido, vbi assidue exercitus esset oppositus Atticæ. Deinde vt Chijs & Lesbijs & alijs, qui defecerant ab Athenienſibus, opem ferrent. Ipse etiam nauigans in Ioniam, ciuitates socias Atheniensium coëgit, vt adiungerent se Lacedæmonijs. His causis valdè diminutæ sunt vires Atticæ ciuitatis, vnde & magnæ discordiæ ciuium domi ortæ sunt. Sed nunquàm diuturna est beneuolẽtia erga transfugas, præsertim cùm eorum creuit potentia. Et videbant Spartani principes, maiorem esse apud ciuitates autoritatem Alcibiadis, quàm suam, ideo inuidebant ei, & eum metuebant. Quare Ephori miserunt literas ad Duces, vt interficerent Alcibiadem. Quod ipse resciscens,

sciscẽs, animum Thissaphernis Persici Ducis, qui stipendia dabat, à Lacedæmonijs alienauit. Cumq; amicorum literæ spem reditus in patriam ei facerent, ostendit Thissapherni, vtiliorem ei classem Atticam fore, & superba & auara imperia Lacedæmoniorum in odium adducebat. Ac aliquantò pòst ad exercitum Atticum, qui in Samo erat, proficiscitur ipse quoq; vbi honorificè exceptus est. Erat autem hic exercitus Athenas nauigaturus, vt statum quadringentorum, qui recens in discordia ciuium constitutus erat, destrueret: eam ad rem ducem esse Alcibiadem voluit. Sed Alcibiades imperium accipere noluit, videns ciues cum ciuibus dimicaturos esse. Ita tunc seruauit patriam, quia imperium contra 400. non accepit, ac potius hortando ac precando vnà cum Thrasybulo perfecit, ne iratus exercitus Athenas accederet. Postea rursus Athenis concordia facta, publico decreto Alcibiades reuocatus est. Sed non mox rediit Athenas. Vidit enim, necessario tunc occurrendum esse Lacedæmonijs, qui aliquot prælijs in mari, non procul à Cizyco vicerant Atticam classem. Et Mindarus, dux Laconicæ classis, ibi erat cũ sexaginta nauibus. Aderat ibi & Pharnabazus dux Persicus, cum copijs pedestribus. His occurrit Alcibiades, & consilium viribus addens, parte classis suæ occultata, magno prælio vicit Mindarum & Pharnabazum, in quo Mindarus interfectus est, & literæ Spartam plenæ desperationis missæ sunt. Rursus igitur adiunctæ sunt Athenien-

sibus vrbs Cyzinea & aliæ multæ. Et in alijs locis victæ sunt hostium naues, & Lecedæmonijs rursus ereptum est imperium maris. Postea & Byzantium accessit, quod aliquandiu Athenienses obsederant. Ibi cum Clearchus dux Laconicus truculentus, frumentum diuideret militibus, ereptum ciuibus, quorum familiæ fame periebant, Anaxilaus ciuis de patriæ deditione cum Alcibiade pacisciter. Qui absente Clearcho acceptus intra vrbem, dimicauit cum præsidio, & milites partim interfecit, partim cepit. Ciuium verò nullus interfectus est, nullus ex patria pulsus, nulla facultatum direptio facta est.

Anaxilaus postea Spartæ propter deditionem vrbis accusatus cum honestissima excusatione vteretur, absolutus est, cum diceret, bella gerenda esse cum hostibus, non cum natura rerum. Et iniustum esse tristiora facere defensores aduersus ciues, quàm facerent hostes captis vrbibus. Hic Clearchus postea à Persis interfectus est. His tantis rebus gestis, liberata patria in maximis periculis domesticis & externis, recuperato imperio maris, occupatis multis vrbibus, partis victorijs insignibus. Alcibiades cum iam patriæ gratior eius reditus esset, rediit modestè Athenas, comites habens viginti naues. Et modestiam ac metum hac re significauit, quod non egressus est ex nauì, nisi prius conspecto fratris filio, & alijs amicis.

Tertiò

Tertio mense post reditum centum naues ad Andrum duxit, vbi prælio vicit Andrios & Lacedæmonios. Deinde reuersus in Samum, Antiocho gubernatori suo tradidit exercitum, proficiscens ipse cum paucis nauibus ad Hellespontum, vbi pecuniam colligeret. Discedens autem mandauit gubernatori, ne cum duce Lacedæmoniorum Lysandro dimicaret. Sed cum gubernator temerè contra mandata pugnaret, Athenienses victi sunt. Hic rursus inimici Alcibiadis nacti occasionem criminandi eum, quòd abesset voluptatum causa, perfecerunt, vt imperium ei abrogaretur. Discedens igitur ab exercitu, postea tanquam in priuata vita degit in possessionibus suis ad Hellespontum, vbi sibi arces aliquot extruxerat. Ita nec longo tempore post reditum fuit in patria, nec multum patriæ profuit. Nec tamen ociosus fuit in illo secessu, sed vicinam Thraciam populatus est, & vt præda locupletaretur, & vt Græcos colonos ibi defenderet.

Non multò pòst Athenienses magno prælio victi sunt à Lysandro ad Ægos Potamos, vbi tria millia Atheniensium cum viui capti essent, postea crudeliter interfecti sunt, antequam pugnam, Alcibiades, in vicino loco habitans, cum vtramq; classem considerasset, præmonuit Athenienses, ne dimicarent. Deleto Atheniensium exercitu in mari, Lysander mox Athenas obsidione cingit, & post sextum mensem dedita vrbe Lysander triginta viros, qui nominantur triginta

triginta Tyranni, vrbi perfecit, inter quos Critias fuit sæuissimus, qui consilium dedit, vt Alcibiades interficeretur, quia tantum in eo consilij & industriæ esset, vt Athenas iterum liberaturus videretur, si viueret. Quare Lacedæmonij ad Pharnabazum scripserunt, vt eum interficeret. Missi igitur aliquot milites, domũ incenderunt, in qua erat Alcibiades, & erumpentem odorti, cùm multi essent, & vndiq; telis peterent, tandem eum ibi interfecerunt. Cadauer eius Timandra concubina sepelijt. Hic fuit exitus Alcibiadis, cuius fuit excellens ingenium, fortitudo, industria, & felicitas in præliando tanta, vt semper ea pars, cui adfuit, vicerit. Fuitq; erga eum beneuolentia populi eximia, quia alienus fuit à crudelitate, & erga plurimos beneficus & liberalis. Sed in hac naturæ præstantia etiam hæc vitia fuerunt: Fuit inquietus, nimis magna appetens, nimis auidus popularis beneuolẽtiæ, impatiens iniuriæ, inconstans et diuersarum partium. Ac propter has causas dictum est, non potuisse duos Alcibiades sustinere Græciam. Gessit res magnas terra mariq; in multis locis, sed inutiles sibi & alijs. Est què tota eius historia commonefactio, vt cogitemus ne quidem excellentem virtutem vtilem esse nobis & alijs, nisi Deus consilia, dextras & euentus gubernet. Petamus igitur, vt faciat nos Deus organa salutaria, & sui officij metas quisq; intelligat.

CAPTÆ ATHENÆ à Lysandro.

QVOD Thucydides inquit, in seditione omnes formas rerum malarum esse: ἐμ δὲ στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ὀφθῆναι, id conspici potest in bello intestino Græcorum, quod nominatur Peloponnesiacum, quod fuit plenum tristissimorum exemplorum. Multæ vrbes funditùs deletæ sunt, multi ciues interfecti, & extincta naturali storgẽ sæuiciam exercuerunt cognati in cognatos. Tam horrendis pœnis ostendit Deus iram suam aduersus Idola et libidines. Vt autem prædictum erat, hoc bellum duraturum esse tres Nouenarios, ita accidit. Anno septimo & vicesimo huius belli, vicit Lysander Atticã classem ad Ægos Potamos, & captiuorum Athenienſium tria millia post prælium nouo exemplo crudelitatis interfecit. Postea statim Athenas terra mariq; obsidere cœpit. Cũq; iã magna multitudo in vrbe fame mortua esset, consilijs Theramenis res eò deducta est, vt fieret vrbis deditio, sexto mense obsidionis. Valdè contenderant Thebani & Corinthij, vt Athenæ funditùs deterentur. Sed Lacedæmonij cõtra senserunt, non delendã esse vrbem, ante hoc bellũ sæpè benè meritam de tota Græcia in reprimendis Barbaris. Scribitur autem, deditionem factam esse die septimo Martij, quo die ante annos septem & septuaginta consilio & virtute Athenienſium ad Salaminem Persæ victi sunt. Qua consideratione cogitemus instabilitatem rerum humanarum, et consideratione causarum nos ad veri Dei agnitionem & ad modestiam hortemur. Bellorum enim variæ vices

uices sunt, quia punit Deus scelera in vtraq; parte. Tandem verò grauioribus & vltimis pœnis opprimuntur ij, qui iniustæ bella mouerunt, seu odio, seu cupiditate maioris potentiæ. Initium huius belli fuit ortum ab Athenienſibus, qui adiunctis Corcyrcis potentiam augere conabantur, & Lacedæmonios contemnabant. Acceßit & odium in Pericle aduersus Megarenses. Venit igitur in triſtem seruitutem Atticæ ciuitas. Et vt intelligi posſet, ſingulari exemplò ſuperbiam punitam esſe, ad cantum tibiarum muri euersi sunt, & naues crematæ.

Scriptores nominant hanc Athenarum deditionem finem belli Peloponneſiaci, quia cæteri Græci aliquantiſper quieuerunt, cum potentia Lacedæmoniorum formidabilis eſſet, & aſpera eſſent imperia. Nec multò pòſt Ageſilaus exercitum in Aſiam duxit. Atticarum verò calamitatum nondũ finis fuit. Nã triginta Tyranni, de quibus mox dicetur, plures ciues intra octo menses trucidarunt, quàm decennio ab hoſtibus interfecti fuerant, vt narrat Xenophon. Poſtea recuperatio libertatis mirabiles caſus habet. Nunc annos annotabimus.

Captæ ſunt Athenæ.

2. Anno Artaxerxis Mnemonis.

27. Anno menſe ſexto, ab initio belli Peloponneſiaci:

77. Anno à Salaminia victoria.

19. Anno ante captam Romam à Gallis, vt Polybius scribit.
Anno Mundi 3563.

DE TRIGINTA Tyrannis.

VT autem victores Lacedæmonij vbiq; potentiam plebis diminuebant, & Oligarchias constituebant: Ita & Athenis formam gubernationis mutarunt, & triginta viris Athenienſibus dederunt ſummam poteſtatem, & addiderunt Laconicum præſidium. Hi triginta initio ſuo conſilio, ſine cognitione, turbulentos ciues, quos fuiſſe ſeditionum autores notum erat, interfecerunt. Nec id ægrè tulit populus, quia nemo ignorabat fuiſſe ſeditioſos, & neceſſe erat, palàm ſeditioſos è medio tollere. Sed immoderata potentia non diu manet intra iuſtas metas. Aliquantò pòſt igitur hi triginta viri etiam honeſtos ciues, quos metuebant aut oderant, expulerunt ciuitate, aut interfecerunt. Et vt ſe munirent maiore præſidio, catalogum ſcripſerunt tria millia ciuium, quos delectos ex cæteris exiſtimabant ſibi fore fideles & cum his bona damnatorum, & multorum aliorum partiebantur.

Erat inter hos triginta THERAMENES, qui vt erat aſtutus, et antea mutationes quasdam rexerat, & arte deduxerat rem ad deditionem, vt vrbs ſeruaretur. Hic cogitans hanc ſæuitiam non poſſe diuturnam eſſe, & ſciens præſtantiam virtutis in Thraſybulo exule, fuit hortator moderationis. Metuens igitur Critias, qui inter triginta crudeliſſimus erat, ne, vt erat artifex Theramenes, contra hunc ſtatum aliquid moliretur, accuſat eum apud collegas, et petit eum interfici. Theramanes ſe excuſat, & reſpondet, ſua conſilia non contraria huic ſtatui, ſed potiùs ſalutaria eſſe, quia iniuſta ſæuitia non poſſit eſſe diuturna. Et noſſe ſe inquit magnitudinem animi & conſilij in expulſo Thraſybulo, qui nactus exulum multitudinem, non ſit omiſſurus conſilia recuperandæ patriæ.

Deniq; lex tuebatur Theramenem recens lata: Ne collegæ aut illi, qui in Catalogo ſcripti erant, ſine iudicio interficerentur. At ego, inquit Critias, ne hic lege ſe tueri poſſit, nomen eius deleo, & eum condemno. Tacent Collegæ, quia vident armatos ex Catalogo circumſtare. Et cum ad Aram confugeret Theramenes, imperat lictoribus Critias, vt eum ab ara abſtrahant, & interficiant. Abſtractus ducitur ad bibendum venenum. Quòd cum exhauſiſſet, & aliquantulum, quod reliquum erat, effudiſſet, iocans inquit: Hoc propino Criticæ. Hic exitus eſt Theramenis, interfecti ſæuicia Collegæ propter moderata conſilia.

Fuerat autem & antea mutationum in Republica & autor, & diſſolutor callidus, ſeu vt Reipublicæ, ſeu vt ſibi cõſuleret, vt in Comedijs exagitatur, quòd

arte solitus sit se ex periculis euoluere, & se ad occasiones inflectere. Inde & Cothurnus nominatus est. Et Aristophanes in Ranis ait, cùm venit in discrimen, arte eluctatum esse: πέπωκεν ἔξω κακῶν οὐ χίος, ἀλλὰ κῶος, alludens ad ludum talorum, Non vnitas, sed senio victor. Accidit autem hoc in ciuilibus dissensionibus, vt moderati à vehementioribus opprimantur, vt dici solet: ὅφις ἄρ μὴ φάγῃ ὄφιν, μή ποτε χυλὸς ἔται δρῦν.

DE THRASYBVLO & ἀμνηστίᾳ.

ETSI autem post hanc cladem nec potentia prior Athenarum, nec virtus, nec autoritas restituta est: tamen vtcunq; Deo ita volente seruare vrbem, primùm exules oppressis triginta Tyrannis recuperarunt patriam, & veterem formam gubernationis restituerunt Duce Thrasybulo. Aliquantò post & CONON eripuit imperium maris Lacedæmonijs, & rursus ædificauit muros Athenienses. Horum duorum virtus in restitutione patriæ præcipua fuit.

Post interfectum Theramenem Critias & aliqui eius Collegæ maiorem sæuiciam exercuerunt, & scribitur, iussisse eos filias quorundam interfectorum saltare in cruore parentum, quæ se præcipites ex illis locis deiecerunt. Cùm igitur Thrasybulus sciret, ita in odio esse Critiam & Collegas, adduxit septuaginta in Atti-

Atticam, & oppidum Phylen occupauit. Qua re cognita, in ipsa vrbe multi ciues recusant militare cum Tyrannis. Accersunt igitur Tyranni Spartanum Regem Pausaniam, qui audiens scelera triginta Tyrannorum, & intelligens, Thrasybulum velle societatem cum Lacedæmonijs inuiolatam esse, non impediuit eius reditum in patriam. Thrasybulus itaq; dimicans cum exercitu Tyrannorum, trucidauit Critiam, & quosdam eius collegas, & præconium fecit, se non gerere bellum cum ciuibus, sed velle, vt patria veteribus legibus regatur. Ita in vrbem redijt Thrasybulus cum cæteris exulibus, & leges veteres, ordinem Magistratuum & iudicia restituit.

Sed vt ciuitas tranquilla esset, decretum factum est de ἀμνηστίᾳ, id est, vt obliuio esset veterum iniuriarum. Et quia multi tenebant res alienas quoquo modo translatas, alij hæreditatibus, alij emptionibus, alij dotibus, alij aliter, & repetitio paritura erat noua bella, sanctum est, ne lites mouerentur de præsentibus possessionibus, sed vt in posterum nihil contra leges fieret. Hæc ἀμνηστία restituit Athenarum tranquillitatem. Sic in dissensionibus ciuilibus sæpè decursum est ad ἀμνηστίαν, vt futuræ paci consuleretur, vt censuit Romanus Senatus interfecto Iulio Cæsare. Et in alijs historijs sæpè dicitur: Pacem faciant singuli ἔχοντα σὰ ἔχουσι. Hæc exempla meminisse vtile est.

PAVSANIAS postea in vrbe Sparta accusatus, quòd non defendisset triginta Tyrannos, se excusauit, quòd iniusta crudelitas sociorum non fuerit approbanda aut adiuuanda, & satisfuerit Atheniensis retineri in societate Lacedæmonijs promissa. Ibi pares calculos tulit, quo more significatum est, eum absolui. Et docet exemplum socios iniustam crudelitatem exercentes, non defendendos esse. Sicut, etsi socij erant Constantinus & Licinius, tamen Constantinus defendit Ecclesiam contra Licinium. Socij Lacedæmoniorum & Thebani erant, cum Thrasybulus in patriam rediret. Et mandauerant Lacedæmonij, ne Thebani exulibus Atticis præberent hospitium. Sed Thebani prorsus contrarium edictum proposuerunt, se non impedire exules Atticos, gerentes arma contra triginta Tyrannos, ac mandare se, vt nulla domus clausa sit exulibus Atticis. Sed fuerunt hæc exempla diuini iudicij, contra iniustam & attrocem sæuitiam, sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

IMPERIVM LACONICVM.

TEnuerunt imperium Lacedæmonij annos nouẽ & viginti, post victoriam Lysandri ad Ægos Potamos, vsq; ad pugnã Leuctricam, quæ facta est initio Olympiadis centesimæ secundæ, cum Helice & Bura biennio ante terræ motu absorptæ essent, anno quarto

quarto Olympiadis centesimæ primæ, vt disertè inquit Pausanias. Fuit autem aliquantisper tranquilla Græcia, donec Agesilaus rex Spartanus & Lysander duxerunt exercitum in Asiam, qui cum domi pax esset, adijcere imperio suo Asiæ partem, & Persicam potentiam debilitare conabantur. Ac initiò Agesilao lætissima fuerunt, magnis aliquot prælijs Tissaphernem vicit, propter quas clades iratus Artaxerxes, Tissaphernem interfici iussit, & successorem misit Tithrausten.

Interea in Græcia tumultus orti sunt inter Phocenses & Locros. Cumq; Thebani defenderent vicinos Locros, accusantur à Phocensibus apud Spartanos. Remiserat autem Lysandrum Agesilaus in patriam propter æmulationem. Etsi autem Spartani alioqui Thebanos oderant, tamen magis eos accendit Lysander, qui & natura inquietus erat, & scribitur in senecta propter adustam atram bilem, factus iracundior. Hic Thebanis magis quàm cæteri irascebatur, propterea, quòd Athenienſibus exulibus hospitium præbuerant, contra edictum Spartanorum. Decretum igitur faciunt Ephori, vt Thebanis bellum inferatur. Hi ab Athenienſibus auxilium petunt, qui antea in Sparta petiuerant, ne bellum inferretur Thebanis, sed vt iudicio controuersia inter Phocenses & Locrenses dirimeretur. Postea cum Thebani auxilium peterent, Thrasybulus memor beneficij Thebanorum suasor est, vt iuuarentur, & accedunt auxilia

aliarum ciuitatum. Ita rursus in Græcia ex leui causa ingens bellum, & exitiale Lacedæmonijs ortum est. Duxit partem exercitus Laconici Lysander. Is in oppugnatione Haliarti erumpentibus Thebanis extra oppidum in pugna interfectus est. Hic exitus est Lysandri, qui Athenas ceperat, cuius virtute Spartani imperio potiti fuerant. Sed superbiam pœna sequuta est. Scribitur enim huic primo omnium Græcorum diuinos honores habitos esse.

Erant autem tàm læti successus Agesilai in Asia, vt procedere in regnum Persicum cogitaret. Sed Spartans crescente potentia Thebanorum reuocant cum missa Scytala. Hic tanta fuit modestia Agesilai, vt relicta maxima spe occupandi Persicum imperium, mox in patriam redierit. Hæc modestia in tanta potentia ita prædicatur, vt longè omnibus ipsius victorijs anteferatur. Tanta autem fuit de eius iustitia, fortitudine & modestia opinio, vt Lacedæmonij summum ei imperium, & exercitum in terra, & classes in mari commendauerint. Et scribit Theopompus, fuisse eum summum virum suæ ætatis.

Cùm autem in Asia triennio fuisset, & multas vrbes Persis ereptas, imperio Laconico adiecisset, & socijs iustè & moderatè imperasset, discedens reliquit sui dissimiles, auaros & crudeles Harmostas. Classi autem præfecerat Pisandrum vxoris fratrem.

Erat eo tempore CONON, exul Atheniensis apud Euagoram Regem Cypri, qui cum octo nauibus fugerat

fugerat ex pugna ad Ægos Potamos. Hic & Euagoræ & regis Persici pecunia & nauibus instructus, mittitur contra Lacedæmonios, cum Persæ viderent nimium crescere potentiam Laconicam in Asia. Hic Conon magno prælio ad Cnidum vicit Laconicam classem, & interfecit Pisandrum. Hac clade accepta Lacedæmonij rursus maris imperium amiserunt, & paulatim ciuitatum defectio sequuta est.

Hæc clades annunciata est Agesilao in ipso reditu, & ad hanc alia clades accessit. Cum enim in Bœotiam in ipsa Solis Eclipsi peruenisset ad vrbem Coroneam, cum Thebanis & eorum socijs dimicans vulneratus est. Ac scribit Xenophon, tam acre prælium fuisse, vt nullum suo tempore fuerit acrius. Ex eo prælio cùm multi in templum vicinum fugissent, iussit parci templo, & dimitti incolumes omnes, qui eò confugerant. Concessit & Thebanis petentibus cadauera interfectorum ad sepulturam. Adeò non indulsit iræ, quanquàm vulneratus erat.

Iam verò in Asia inclinatione facta Laconicæ potentiæ, redijt Athenas Conon, & patriæ donans quinquaginta talenta, id est, triginta millia coronatorum, muros ea pecunia resici curauit, à Lysandro euersos. Ita THRASYBVLI & CANONIS virtute paulatim Athenæ rursus erectæ sunt. Nec multò post reditum Canonis, cum Lacedæmonij classem repararent, missus est Thrasybulus ad impediendos Lacedæmonios, qui Byzantium recepit, et res multas feliciter

liter gesſit. Sed cùm ad Aſpendũ milites eius populati eſſent agros, Aſpendij irritati noctu erumpentes ſubitò tumultu & Thraſybulum in ſuo tentorio, & milites aliquot interfecerunt. Hunc breui honeſtiſſimo teſtimonio ornat Xenophon liu. 4. Θρασύβουλος μέν τοι μάλα δοκῶν ἀνὴρ ἀγαθὸς εἶναι οὕτως ἐτελεύτησεν.

Vt autem Lacedæmonij rurſus creſcentem potentiam Athenienſium et refectionem murorum impedirent, accuſant Atticam ciuitatem, & nominatim Cononem apud Tiribazum Regem Perſicum, ac monent, periculoſam fore potentiam Athenienſium regno Perſico, præſertim cùm & Euagoram Perſæ metuerent. Mittunt igitur Athenæ Legatos ad Tiribazum placandum. In his & Conon fuit. Hunc Tiribazus contra ius gentium captum in Perſiam ducit, vbi in carcere ſeu nécatus eſt, ſeu morbis extinctus. Accuſator autem fuerat Antalcidas, Spartanus Legatus. Is deinde à rege Perſico, quia bello Thebano Lacedæmonij impares erant, impetrauit edictum, quo Rex pacem Græcis omnibus impetrat, & bellum minatur ijs, qui non ſint obtemperaturi. Ac ſimul mandat Thebanis, vt arma deponant, & ciuitatibus priſtinam libertatem reddant. Quia verò Lacedæmoniorum conſilio hæc pax impetrata fuerat, & adhuc magna erat ipſorum potentia, & Ageſilai præcipua auctoritas, Lacedæmonij ſe oſtenderunt fore huius edicti regij defenſores, quod celebri appellatione nominatur

natur pax Antalcidæ. Iurant igitur Græcæ ciuitates omnes, ſe obtemperaturas eſſe. Sed aſtutè Lacedæmonij huius pacis prætextu ſuam potentiam rurſus confirmare conati ſunt. Occupant fraude Cadmeam Thebarum arcem. Ibi & coniuges & filias honeſtorum ciuium rapiunt, & Thebis expellunt, quos volunt. Ideo Pelopidas & Epaminondas, & alij exules, fœdere clàm facto, magna prudentia & fortitudine erumpunt in arcem, & eijciunt inde Laconicum præſidium, aliquot viris interfectis.

Dederant autem hoſpitium Thebanis exulibus Athenienſes, qui & poſtea eos iuuant contra exercitus Laconicos. Tandem rex Spartanus Cleombrotus cum exercitu in Bœotiam veniens, non procùl ab oppido, cui LEVCTRA nomen erat, cum Thebanis dimicat. Ibi interfecto rege Cleombroto & mille Spartanis, quorum præcipua erat nobilitas, & dilapſis eorum ſocijs, victores fuerunt Thebani.

Ac locum tantæ cladis voluit Deus teſtem ſeu monitorem eſſe de ſua ira. Nam aliquantò ante pugnam quidam ex Spartana nobilitate hoſpitaliter excepti in Leuctris à Scedaſo, poſtea redeuntes, abſente patre, filias eius duas, vi ſtupratas, interficiunt, & in puteum abijciunt. Pater deinde Spartam profectus, ac petens ſceleris autores puniri, deriſus eſt. Et narrantur alia exempla crudelitatis & libidinum, quibus in imperio Spartani & iram Dei irritarunt, & voluntates ciuium à ſe alienarunt.

Cum

Cùm igitur Deus in eo ipso loco puniuerit Lacedæmonios, qui sceleris vestigium fuerat, voluit homines & de magnitudine perpetrati sceleris, & de iudicio diuino commonefieri. Denunciata fuit antea pœna oraculo, quod recidat Pausanias. Id his versibus reddidi:

Leuctra mihi sunt curæ, & mors tristissima, gnatæ
Occisæ Scedasi qua periere duæ.
Hic atrox fiet pugna & sæuissima cædes,
Fatalis quando venerit illa dies.
Quam prius haud quisquam norit, quã Dorica pubes
Amittet robur, militiæq; Duces.

Facta est autem pugna Leuctrica,
Anno Artaxerxis 32.
Anno 29. post pugnam Lysandri ad Ægos Potamos.
Initio anni secundi Olympiadis vicesimæ & secundæ, die quinto Iunij.
Anno ante initium regni Alexandri tricesimo sexto, quod omnium scriptorum consensu collocatur in annum primum Olympiadis centesimæ & vndecimæ.

Etsi autem vsq; ad Leuctricam cladem numerantur anni principatus Spartani, tamen non mox processerunt Thebani in Laconicam, sed Lacedæmonij nunciata clade multa grauiter fecerunt, & profuit hæc Agesilai moderatio ad leniendam tristitiam. Vsitatum

tatum fuit apud Spartanos, vt qui ex acie fugerant, iudicarentur infames. Qui quidem ab alijs ciuibus discernebantur vestitu & barba, ac licebat cuilibet prætereuntem verberare, nec licebat eis vxores ducere. Cùm autem multi nobiles & fortes viri ex fuga domum redijssent, & essent qui vsitatum morem de his, qui fugerant, seruari vellent, accessit ad concionem Agesilaus, & iussit, vt sinerent leges eo die dormire, quia calamitas accidisset, non ignauia ciuium, sed iniquitate fortunæ. In posterum autem ab eo die leges seruandas esse. Hac ἐπιθεκείᾳ reuersos ciues infamia liberauit.

Cùm igitur mitteretur Archidamus, filius Agesilai cùm exercitu Laconico in Bœotiam, accersunt Thebani Iasonem Phereum ex Thessalia, cuius tanta erat virtus & autoritas, vt existimaretur in Asiam traiecturus esse, vt bellum Persis inferret. Is cùm venisset ad Thebanos, hortator fuit eis, ne dimicarent cum Lacedæmonijs, qui irritati nunc & cautiores & firmiores futuri essent. Et cùm vtrisq; dissuaderet prælium, perfecit, vt certis conditionibus pacem facerent. Ita sine prælio Lacedæmonij domum redierunt, Et Iasonis verba recensentur apud Xenophontem: Solet Deus ex paruis magnos facere, & ex magnis paruos.

Hic Iason domum reuersus fraude interfectus est: Cumq; in Thessalia contra Tyrannos aliquæ ciuitates à Thebanis auxilium peterent, profectus eò Pelopidas,

lopidas, postea à Tyranno Alexandro Phereo captus est, cuius tanta fuit sæuitia, vt homines viuos insueret Viſorum pellibus, & canes contrà eos incitaret. Ac in prima expeditione Theſſalica, cùm Pelopidam fraude captum esse Epaminõdas audiret, profectus eò cum exercitu, tantum incussit Alexandro terrorem, vt redderet ipsi viuum & incolumem Pelopidam. Ita fide & virtute amici Pelopidas tunc seruatus est. Sed postea reuersus in Theſſaliam Pelopidas in acie dimicans à Tyranni exercitu interfectus est. Tyrannus verò postea domi à coniugis fratribus, faces tenente coniuge, dormiens trucidatus est.

Interea dum Thebani occupati sunt motib. Theſſalicis, & ipsi & Lacedæmonij, & aliæ ciuitates ostendunt, se pacem Antalcidæ non violaturos esse. Mantinei exules freti hac pace conueniunt, & patriam Mantineam instaurare conantur, Fuerat autem Mãtinea præcipua vrbs Arcadiæ, condita à filio Lycaonis, cuius nomen fuit Mantineus: quæ cum vicina esset Laconicæ, & tamen (vt gens Arcadica inquieta fuit, & mercede militare consueuerat) sæpè adiungere se hostibus Lacedæmoniorum, & velut arx esset hostilium copiarum, à Lacedæmonijs euersa fuit. Quare cum viderent, non sine periculo vicinię eam instaurari, Ageſilaus impedire instaurationem conatus est. Accersit igitur gens Arcadica Thebanos. Ita nouum bellum in Græcia accensum est, in quo Sparta penè funditùs perijt: Nam Epaminondas, quem propter

pter ipsius virtutem socij libenter sequebantur, exercitum in Laconicam duxit quadraginta millium virorum, & vastata Laconica & multis oppidis occupatis ad Spartam accessit, nec tamen fluuium Eurotam, qui niuibus intumuerat, transijt. Ac tantus terror incussus est Spartanis, vt seruos armarent, promissa eis libertate. Cumq; speciem iusti exercitus, sex millia armatorum in vrbe Ageſilaus haberet, disposuit eos certis locis, quia Sparta sine mœnibus erat. Ea res deterruit Epaminondam, ne oppugnationem tentaret. Nec Ageſilaus, etsi conuitijs prouocabatur ad dimicandum, tunc iudicabat ex vrbe exercitum educendum esse. Steterunt autem ambo in contrarijs ripis Eurotæ, Ageſilaus & Epaminondas, sese mutuo contuentes, & alter alterius virtutem admirantes, & fortunæ vices cogitantes. Erat enim triste spectaculum, cum anni sexcenti essent ab Heraclidarum regno in Laconica, nec vnquam in ea conspecti essent hostiles exercitus, nec incendia & populationes ab hostibus ibi factæ essent, nunc totam regionem vri & vastari: Ac vt Athenæ ante triginta annos deditione facta imperium & libertatem amiserant: Sic Spartæ nunc penè similem calamitatem esse. Ipse etiam Ageſilaus exemplum fuit inconstantiæ rerum humanarum, qui & florentissimam patriam acceperat, & formidabilis fuerat regi Persico, & suæ ætatis propter virtutem laudatissimus Dux fuerat, nũc senex patriæ videt incendia, & ciuium funera. Profuit tamen pa-

triæ animi robore & consilio. Non enim deseruit vrbem & ciues armauit. Et cum exercitum Epaminondas propius vrbem adduxit, emissis equitibus, & ex insidijs adortus hostiles copias terrorem eis incussit, ne procederent.

Commoratus autem Epaminondas ad vrbem Spartam quatriduo, cum & dilabi Arcades ad prædam videret in regione opulenta, in qua spolia ex multis gentibus congesta erant, discessit inde ad alia oppida occupanda, fuitq; in Laconica tres menses. Interea Lacedæmonij ab Athenienſibus auxilium petiuerunt, facta commemoratione mutuorum beneficiorum, & orantes, ne hos qui in maximis Græciæ periculis fuissent, velut πρόπατορα Athenienſium, deleri sinerent: Ibi cum ciuitas Attica, vt sæpè alias, oblita offensionum, vellet Græciam saluam esse, decreuit, vt misso exercitu Lacedæmonij defenderentur. Misit & Dionysius Siculus pater viginti Triremes, in quibus fuisse Celtas & Iberos narrat Xenophon. Et quidem postea plurimum profuisse Lacedæmonijs Celtas inquit.

EPAMINONDAS.

POstquam verò discessit ex Laconica Epaminondas, Spartani propter societatem Athenienſium, et instructi auxilijs ex Sicilia missis, paulatim oppida sua recipiunt. Hos cum reprimere Arcades conarentur, nondum finis fuit belli. Cumq; Agesilaus propter

pter senectam ducere exercitum non posset, missus est filius Archidamus cum Spartanis copijs & auxilijs Celticis aduersus Arcades, quos ita vicit, vt magna hostium multitudine interfecta, & nullo Spartano amisso, nominata sit illa pugna ἀδακρυς μαχή. Neque tamen Arcades tumultuari desierunt. Cumq; noua fœdera fecissent cum Eleis & alijs, & deinde Arcades ipsi inter sese disiuncti essent, vt semper fuit genus hominum inquietum & rapax, vt pars (Mantinei videlicet) defecisset ad Lacedæmonios, alij à Thebanis auxilium peterent, & Messanæ instauratio Thebanis curæ esset, rediit Epaminondas in Arcadiam, ducens ex Bœotia & Eubœa & Thessalicis equitibus mediocres copias, quas accessione sociorum in Arcadia auxit. Iam & Lacedæmonij mediocres copias habebant, quia equites Athenienſiũ, & pars Arcadum, Mantinei & Achei ad eos accesserant. Eduxit igitur Agesilaus exercitum ad Mantineam. Hic Epaminondas sperans se nactum occasionem rei magnæ perficiendæ, videlicet occupandæ Spartæ, quia exercitus inde aberat, omisso prælio iter suscipit versus Spartam. Sed re indicata à Cretenſi milite, Agesilaus redit Spartam cum filio Archidamo & pautis alijs. Quo cum Epaminondas venisset, acerrima pugna repulsus est. Hic rursus senis Agesilai virtute patria seruata est, non vt antea, sine prælio. Scribit enim Xenophon, diuinitùs factum esse, ut Thebani, quia antea Lacedæmonios vicerant, & ignem

spirabant (his enim verbis vtitur: πῦς πνέοντες) nunc tam paucis cesserint. Nam Archidamus paucissimos ex vrbe educens, cum interfecisset aliquot Thebanos in prima acie, tantum reliquis terrorem incussit, vt fugerent. Adeò nec fortunæ nec virium magnitudini confidendum est, sed cogitandum est dictum: Victoria à DOMINO. Vterq; autem dux in maiore admiratione fuit, alter propter consilium oppugnandæ vrbis, alter propter celeritatem reditus, & defensionem patriæ.

Regressus autem Epaminondas, etsi videbat, se non sine periculo dimicaturum esse, tamen quia pugnandum esse statuerat, non procul à Mantinea castra locat, ibi intentus in occasiones, adortus est hostes præter ipsorum opinionem, & arte aciem ita instruxit, vt robur hostilis exercitus pelleret. Eo in loco cum ipse prælium cieret, & cedere hostes cogeret, vulnus accipit. Quia autem propter vulnus Ducis milites non sequuti sunt hostem cedentem, minus magna strages facta est. Epaminondas viuens relatus in castra, non prius spiculum ex vulnere euelli permisit, quàm interrogauit, vtri vicissent. Cum victores Thebanos esse diceretur, spiculo euulso patriæ gratulans placidè mortuus est. Hic est exitus Epaminondæ, qui non solum propter iusticiam, fortitudinem, modestiam & fidem erga amicos valdè laudatur: sed etiam quia doctrinas à Lysidе Pythagorico didicit, quarum studijs in eius pectore magis confirmatus est amor iustiçiæ & modestiæ.

Cùm autem post Epaminondæ mortem vtriq; se pro victoribus gererent, THEBANI & STARTANI, eaq; ex re passim noui motus orirentur, inquit Xenophon in fine suæ historiæ: Confusio & perturbatio maior fuit in Græcia post Epaminondæ pugnam, quàm fuit antè. Tales bellorum exitus sæpè sunt, vt hoc decennio vidimus bella ex bellis nata esse, sicut Pindarus inquit: Facilè est cuiuis mouere vrbem, sed in tranquillum sistere sine Dei auxilio nemo potest. Præcipua tamen fuit tunc potentia Thebanorum, qui non multò post Epaminondæ mortem contra Phocenses, qui templum Delphicum spoliauerant, bellum mouerunt, Olympiadis centesimæ quintæ anno quarto, quod nominatur BELLVM SACRVM, eius sæpè fit mentio in Oratoribus. Pertinet autem historia belli sacri ad Ochi tempora, vt postea dicam. Nunc breuiter eius mentionem feci, vt series Græcorum bellorum facilius mente comprehendi possit, & consideretur, semel motis imperijs, non facilè pacem restitui posse. Captis Athenis sequuta est recuperatio, quam adiuuerunt Thebani. Inde Spartani Thebanos adorti, rursus amiserunt imperium. Postea in bello sacro Thebani attraxerunt Macedones. Aliquantò pòst ab Alexandro Thebæ funditus deletæ sunt, & horribiles pœnæ per omnes Græciæ populos vagatæ sunt, ac simul extincta est vbiq; vetus doctrina ac

disciplina, & perpetua latrocinia in Græcia fuerunt. Has ruinas gentium intuentes cogitemus de causis, & similibus omnium temporum miserijs, & petamus, vt filius Dei sit vmbraculum Ecclesiæ suæ, sicut texit in Ægypto domos sanguine agni conspersas.

RES ROMANÆ.

ANNO ab vrbe Roma condita trecentesimo & sexagesimo quinto, vrbs Roma à Gallis capta & incensa est, Olympiade nonagesima nona, regnante in Persia Artaxerxe Mnemone, anno vicesimo post captas Athenas à Lysandro, vt Polybius scribit. Integra verò historia apud Liuium legatur, vt res Romanæ aliæ. Hîc tempora tantùm insignium euentuum annotamus. Sed quia illa Celtarum expeditio in Italiam non breuis fuit, & magnarum mutationum & multorum prælierum causa fuit, aliquid & de gente, & de occasione expeditionis addam.

Veteres Græci regionem ad Alpes sitam, versus Oceanum Septentrionalem & Occidentalem vno nomine Celticam nominarunt, videlicet totam oram ab Oceano Occidentali ad Harcyniam vsq. Deinde ab Harcynia versus Orientẽ vno vocabulo Sarmatas nominarunt: Etsi vicinas aliquas Alpibus distinguunt, vt Boios, Noricos & inde Pœnios, Mysos. Inquit igitur Herodotus, oriri Istrum in Celtis & Pyrene, quod

ne, quod hodie nominatur, auff der Bar/ & dirimere mediam Europam.

Nomen verò κέλτος est à γαλάτης. Et scribit Apianus, se nihil de origine nominis aut gentis verisimilius reperisse, quàm hoc, quòd Poliphemo in Sicilia duo sint filij ex Galatæa, quorum alteri fuit nomen γαλάτης, alteri Ἴλυρος. A Galata ortos esse γαλάτας, vnde postea factum est nomen Celti. Nos verò scimus eandem esse vocem Galli & wallen. Significat igitur reuera Galli peregrinatores seu migrantes. Et quidem vocabuli origo Ebræa est.

Multæ autem & diuersæ gentes consederunt in vtraq; ripa Rheni, & in illa vlteriore regione versus Oceanum occidentalem, & versus mare Ligusticum. Nam & Massilienses fuerunt Ionum colonia. Et Vienna in Gallia Cretensium colonia est. Fuit enim eodem nomine vrbs Cretæ, vt scribit Stephanus, dicta, quòd ibi Otus & Ephialtes Martem ceperint. Qua narratione significatum est, bella ibi fratrum istorum virtute sedata esse, vnde postea reliquiæ in Gallia consederunt. Magnam Galliæ partem & Lygies tenuerunt, quos Stephanus inquit ex Tarso venisse. Tarsus autem dicitur à Tarsis filio Iouan.

Consedisse autem in ora Septentrionali Galliæ Senonas certum est, qui fuerunt ex nostra gente Teutonica, quæ nomen habet ab Ascane Tuiscones. Et nõ dubium est, vicinas gentes in Italiam & postea in

Græciam duxisse exercitus mixtos ex Teutonibus & Gallis.

De expeditione in Græciam postea dicemus, in qua Brennus post Alexandrum centum & quinquaginta millia peditum, & viginti millia equitum, & quadringentos in Græciam duxit, de quibus scribit Callimachus, dicere Apollinem, suam & regis Ptolemæi communem fore victoriam, se ad Delphos fulmine interfecturum esse Celtas. Sed regem Ptolemæum interfecturum esse Celtas ad lacum Sarbonidem, id est, Asphaltiten. Postea enim, cùm in Asiam attracti essent, Ptolemæus Euergetes multos interfecit ad Asphaltiten.

Ex his narrationibus apparet, & magnum robur harum gentium fuisse, & magnam multitudinem ex patria eductam esse. Sed expeditionem in Græciam antecessit Italica, cui occasionem præbuit pœna libidinis. Tenuerunt Italiæ oram ab Alpibus ad Tibrim usq; tres gentes: Heneti ad sinum Adriaticum: Ligures contrarium littus ad occasum: Media ora, quæ & vbertate soli & amœnitate longè excelluit, fuit Tyrrhenorum, quorum appellatio antiquissima est. Vlterior Italiæ pars nominata est Ausonia, ab Ausone filio Vlyssis & Calypsus. Fuerunt autem Tyrrheni Lydorum coloni. Lydi autem ab Ægyptijs orti sunt. Et fuisse tetras libidinum confusiones in Tyrrhenis, narrat Timæus, qui circa hæc tempora vixit.

vixit. Occasio autem, qua Celtæ & Senones in Tyrrheniam adducti sunt, hæc fuit.

Adolescens nobilis Clusinus, LVCVMON, tutoris coniugem rapuit. Tutor hoc iusto dolore incensus, imitauit Celtas, vt sedes quærerent in ea parte Italiæ vberrima, & scelus Lucumonis punirent. Ita cùm Deus vniuersæ Gentis Tyrrhenæ scelera punitурus esset, egressi ex horridioribus locis Celtæ & alij, Tyrrhenos oppresserunt. Et credibile est, non fuisse breuem & subitam expeditionem, sed paulatim plures exercitus ex Gallia & Teutonicis gentibus eò infusos esse.

Ab his affirmant veteres Scriptores Græci & Latini, conditas esse vrbes, Senas à Senonibus, Mediolanum, Veronam, & alias quasdam. Qua autem occasione Romam attracti sint, narrat Liuius, apud quem integra historia legatur.

ARTAXERXES OCHVS PERsarum Rex octauus.

REgnauit annos sex & viginti, ac regnum occupauit necatis duobus fratribus. Huius gubernatio cum plena fuisset crudelitatis aduersus domesticos, externas nationes, & aduersus Ecclesiam in Iudæa, quæ mediocrem tranquillitatem et quasi Halcyonia habuerat, tandem ipse à quodam suo Duce interfectus est. Initio gubernationis Sidonem proditione ce-

ne cepit, ibi cùm supplices interfecissèt, irati Sidonij ipsi vrbem incenderunt. Ac perijsse ibi quadraginta millia hominum scribitur. Postea Euagoram Cypri regem, de quo extat Isocratis oratio, cum fuisset eius socius, interfecit.

DE SÆVITIA OCHI ADVERSVS Ecclesiam.

RECuperauit Ochus & Ægyptum. Cumq; in vicinia Iudææ bellum gereret, seuitiam in Iudæos etiam exercuit, quibus ad id tempus à Longimano vsq; Deus tranquillitatem dederat, vt instaurari vrbes, templum, doctrinæ studia, & totus ordo gubernationis possent. Sed tanta est humanæ naturæ infirmitas, vt in rebus secundis lætitia afferat negligentiam in frenandis cupiditatibus. Cœperunt igitur iam fratres de summo sacerdocio certare. Summus Sacerdos erat Iohanna. Hunc vt frater eius Iesus excuteret, petit à Vagose Persico præside auxilium, & conatur vi occupare templum. Ibi à fratre Iohanna frater in templo trucidatur. Talia peccata irritarunt iram Dei. Venit igitur Ierosolymam Vagoses, & ingressus templum, inde spolia auexit. Cui cum diceret Iohanna, impiè eum facere, respondet præses Persicus, illum verò magis impiè fecisse, qui ibi fratrem occidisset.

Postea Ochus & annuas pensiones templo eripuit

puit, donatas à Cyro & Longimano, & induxit tributa populo Iudæorum. Occupata etiam præfectura (id enim significat ἀποδασμὸν) multa oppida deleuit, & multas familias procul transtulit in Hircaniam ad mare Caspium. Rursus igitur Ecclesiam exercuerunt magnæ calamitates, vsq; ad Alexandrum Magnum, qui veniens Ierosolymam, vt postea dicetur, restituit Iudæis αὐτονομίαν & pacem, & tributa remisit.

RES MACEDONICÆ.

NON dubium est, nomen Macedo factum esse à Kittim, vt veteres dixerunt μακέτης. Fuit autem Kittim filius Iauan. Et libri sacri affirmant, Alexandrum ortum esse à Cittim. Ac sæpè fit mentio huius vocabuli. Significat autem Kittim percussores. Cùm autem deinceps in historia Mundi rerum Macedonicarum præcipua sit commemoratio, vtile est iuniores scire, quantum de origine Regum Macedonicorum traditum est.

Vetustas adfirmat, Reges Macedonicos ab Hercule ortos esse. Et hanc seriem tradidit Herodotus:

HERCVLES.
HYLLVS.
CLEODEVS.
ARISTOMACHVS.
TEMENVS.

PERDICCA. Hic primus in Macedonia Rex factus est.

ARGÆVS.

PHILIPPVS.

ÆROTVS.

ALCEDAS.

AMYNTAS.

ALEXANDER, qui cùm esset in castris Mardonij, indicauit Aristidi, præliaturum esse Mardonium.

PERDICCAS & ALCETAS fratres.

ARCHELAVS natus ex patre Perdicca & ancilla Alcetæ, nothus. Interfecit auunculum Alcetam & eius filium Alexandrum, & germanum fratrem, Perdiccæ filium. Tenuit regnum annos 24. Gessit bella cum Thracum populis. Tandem interfectus est ab Adolescente nobili, quem per libidinem contumelia affecerat. Est & de eo versus traditus: τεύχωρ ὦς ἑτέρῳ τι, ἑῷ κακὸρ ἄπατι τεύχα.

Archelai filij fuerunt, ORESTES, ARCHELAVS & PAVSANIAS, & ordine regnum annos octo tenuerunt. His extinctis redijt regnum ad legitimos hæredes, videlicet ad Amyntam filium Alcetæ, interfecti ab Archelao.

AMYNTAS, cum regnasset annos sex, reliquit filios tres, ALEXANDRVM PERDICCAM

CAM & PHILIPPVM. Cumq; patri Amyntæ successisset Alexander, natu maximus, interfectus est à Ptolemæo Aloríte. Hunc non multò pòst interfecit Perdiccas, quem deinde in prælio cœperunt Illyrici. Post hunc tertius frater Philippus, qui tunc obses aliquantisper Thebis fuerat, celeriter in patriam rediens, fratri in regno successit. Fuerat autem adolescens ductus Thebas à Pelopida, qui pacem fecerat inter Ptolemæum Aloriten, & fratrem Philippi Alexandrum. Vixit autem Philippus Thebis apud patrem Epaminondæ, quem habuit exercitiorum socium, & exemplum virtutis. De morte autem Philippi postea dicemus. Prius enim pertexenda est posteritas.

Philippo nati sunt ex Olympiade, ALEXANDER MAGNVS & CLEOPATRA: Item ex matre Thessala, THESSALONICE, quæ nupsit Cassandro, interfecta à filio Antipatri, quem deinde interfecit frater ipsius Alexander. Hunc postea Demetrius interfecit.

Ex Cleopatra, Sobrina Attali, natus est Philippo filius PHILITTVS, quem Olympias vnà cum matre æneo vasi inclusum, & in ignem coniectum interfecit.

Postea interfecit Cassander Olympiadem, & Roxanen, coniugem Alexandri, & filium eius Alexandrum, & Barsenen alteram coniugem Alexandri, & eius filium Herculem. Antigonus verò iussit inter-

interfici Cleopatram, germanam sororem Alexandri Magni.

Tales pœnæ vagatæ sunt per Philippi & Alexandri posteritatem, qui magna gloria à Deo ornati, facti sunt insolentes, voluerunt sibi tribui diuinos honores. Alexander etiam crudelitatem in amicos exercuit. Cogitemus autem hæc tristia exempla in tantis viris & nobilissimis familijs proposita esse, vt alios homines de modestia commonefaciant.

Nunc ad Philippi historiam redeamus, qui inter Reges præcipuos recensetur, quia consilio & fortitudine excelluit, & paruis copijs magnos exercitus vicit. Laudatus est in oraculo, in quo duo describuntur Philippi, quorum priorem ait fore victorem multarum gentium, & felicem Regem: Posteriorem uerò, videlicet illum, qui cum Romanis bellum gessit, regni euersorem. Versus extant in Achaicis Pausaniæ.

In Macedum populis clarissima regna tenebunt
Argiua de stirpe, bonum damnumq́, Philippi.
Horum qui prior est, gentes vrbesq́ domabit,
Sed veteris regni perdet decus omne secundus,
A populis victus, quos mittent vesper & ortus.

Initiò autem regni vicit Athenienses, qui Argæo regnum tradere conabantur. Deinde facta pace cum Athenienſibus vicit Pœonas & Bardyllin regem Illyriorum, trucidatis in prælio septem millibus Illyriorum, ac victor recepit oppida, quæ regno Macedonico

nitò Illyrij ademerant. Deinde cepit Amphipolin, & Pydnam, & oppidum Crenidas, vbi venæ auri erant quod auxit, & nominauit Philippos. Ex ijs venis quotannis Philippus reditum habuit mille talenta, id est, sexcenta millia coronatorum.

In ea vrbe postea Ecclesiam Paulus collegit, ad quam extat Epistola scripta ad Philippenses. Fuit autem antea nomen vrbis Δάσδω, vnde prouerbium est, δάσδος ἀγαθῶν. Postea accersitus Philippus in Thessaliam contra Tyrannos, ciuitatibus libertatem restituit, & eas sibi fœderibus adiunxit.

Circa id tempus ortum est bellum SACRVM in Græcia, cuius sæpè fit mentio, quia magnarum calamitatum causa fuit, & præcipuè potentiam Macedonicam auxit. Inchoatum esse Pausanias scribit anno quarto Olympiadis centesimæ quintæ, & durauit annos continuos decem. Interuallum est autem inter pugnam ad Mantineam & belli sacri seu Phocensis initium, anni quindecim. Tanta erant odia intestina Græcorum, nata ex superioribus bellis, vt diu quiescere non potuerint, & attraxerint externa auxilia & seruitutem.

Occasio autem belli sacri hæc fuit: In iudicia Amphyctionico damnati erant Phocenses, & Thessalis et Thebanis petentibus, vt magnam mulctam penderent. Hanc mulctam cum dare nollent, quia et agri eis adempti erant, Lacedæmonijs etiam eos incitantibus, qui et ipsi magnam mulctam debebant, Philomelus

lus Phocensis collecto exercitu columnas Amphyctionum euertit, in quibus decreta mulctæ scripta erant, & agros consecratos recipit, aurum & argentum aufert ex templo, Addit & alteram causam: Phocenses veteri more defensores esse Delphici templi, id ius eripi ipsis à Thebanis queritur. Vt igitur opem ferrent iudicio Amphyctionico & templo, vicini Locri, Thebani & Thessali bellum Phocensibus inferunt. Philomelus victor tribus magnis prælijs, quarto victus sese de rupe præcipitem deiecit. Hic primi ducis Phocensium exitus fuit.

Secundus Dux fuit Onomarchus, qui cùm in somno vidisset, sibi in templo datum esse Colossum, vt altiorem faceret, sperauit suam potentiam maiorem fore. Sed tandem post multa prælia suspensus est. Ita Colossum auxit.

Suppeditabant autem Delphici thesauri pecuniam ad conducendos & alendos exercitus. Nam æstimatio auri & argenti, quod initio huius belli in Delphico templo fuit, scribitur fuisse decem millia talentorum, id est, sexaginta Tonnarum auri. Vicit igitur Onomarchus Bœotios, & cepit vrbem Coroneum. Vicit & duobus prælijs Thessalos, & cum his Philippum Regem Macedonum, quem accersiuerant Thessali ad belli societatem, & multos Macedones trucidauit. Sed tertio prælio in Thessalia Philippus vicit Onomarchum, trucidatis sex millibus hostium, & captum Onomarchum affixit cruci.

Necato

Necato Onomarcho Dux Phocensium factus est Phayllus, cui Lacedæmonij pedites mille, Athenienses quinq; millia, & quadringentos equites, & Thessali hostes Philippi duo millia. Sed tribus prælijs victus Phayllus à Bœotijs, ipse postea vrbem Aryeam in Locris cepit, & direptam funditùs deleuit. Sed cum phthisi mortuus esset, dux Phocensium factus est Phallæcus, Onomarchi filius, cui Mnaseas propter adolescentiam Dux additus est. Sed Bœotij Mnaseam non multò pòst incautum oppressérunt & interfecerunt.

Postea cùm Phocenses tres munitas vrbes in Bœotia tenerent, Orchomenum, Coroneam & Corsias, ex quibus facilè erat populari vniuersam Bœotiam, Thebani nec pecunia nec viribus soli diutius belli molem sustinere potuerunt. Petunt igitur ab Ocho pecuniam qui mittit eis trecenta Talenta, id est, centum millia & octoginta millia coronatorum. Accersunt & Philippum Regem Macedonicum Thebani, qui magnum exercitum Macedonum & Thessalorum adduxit in loca vicina Bœotiæ, vbi Phocensium dux Phallæcus erat cum exercitu. Sed cùm Phallæcus non auderet dimicare, petiuit à Philippo pacem, qui concessit ea conditione, vt relicta terra Phocensi & Bœotia transiret in Peloponnesum. Ita sine prælio Philippus finem belli fecit, Phocenses in seruitutem redacti sunt, omnia oppida destructa sunt, & multitudo in villas distributa est, & agri eis traditi sunt, sed

ita, vt quotannis penderent sexaginta talenta, id est, triginta & sex millia coronatorum. Iudicium Amphyctionum restitutum est, & decretum, vt Philippus ibi & successores Reges Macedonici duo suffragia haberent. Phocensibus ademptum est ius suffragij. Decretum est etiam, vt Philippus Græcorum Dux nommaretur. Finito igitur bello Philippus in Macedoniam rediit, parta non solum victoriæ gloria in causa iusta & speciosa, quòd templum & iudicium Amphyctionum defendisset, sed etiam moderationis in victoria.

Phallæcus postea in Creta militans in quadam oppugnatione fulmine ictus perijt, & incensis machinis multi eius milites igni perierunt. Pausanias scribit, finem belli Sacri fuisse anno primo Olympiadis centesimæ octauæ, ac fuisse eum annum belli decimum. Fuitq; hic annus Ochi regis Persarum decimus nonus.

ARSAMES REX PERSArum Nonus.

OCHI crudelitatem & pœnæ ipsius et regni interitus sequuntur, iuxta Regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ochus interfectus est à principe Bagoa, qui cum regnum in se transferre non posset, Regem fecit Arsamen Ochi filium. Qui cum annos quatuor regnasset, etiam ab hoc ipso Bagoa

Bagoà interfectus est metuente filium, propter necem paternam. Hic finis fuit familiæ Cyri, in cuius consideratione deploranda est miseria humana, quòd etiam talium posteritas citò degenerat, in quibus fuit vera agnitio Dei, & excellens virtus. Fuerunt autem in regno Persico reges Deum rectè colentes: Darius Medus, Cyrus & Artaxerxes Longimanus. Hi laudantur in libris Danielis & Esdræ.

Interfecto Arsame Bagoas ad principem Armeniæ regnum transtulit, qui non fuit ex posteritate Cyri, ac nomen ei tribuit Darij. Hic Darius vltimus ab Alexandro victus & regnum & vitam amisit, vt postea dicemus.

Nunc ad res Macedonicas redeamus. Cum Philippus Macedo finem belli Sacri seu Phocensis fecisset, anno primo Olympiadis centesimæ octauæ, & pace cum omnibus Græcis facta redijsset in Macedoniam, postea multas vrbes in Thracia occupauit. Expulit etiam ex Eubœa Tyrannum Calliam, de quo dicit Æschines, fuisse eum mutabiliorem Euripo maris, cui vicinus fuit. Cum autem Athenienses crescentẽ eius potentiam metuerent, & eum irritarent, & vicissim ipse debilitare potentiam ipsorum conaretur, tandem rediit in Græciam Olympiade decima. Sunt igitur anni inter belli Sacri finem, de quo diximus, & postremum aduentum Philippi in Græciam, circiter nouem. Fuitq; occasio postremi aduentus hæc aliena à causis prioris belli, in qua tamen etiam prætex-

tus religionis ostensus est, vt sæpè homines prauis cupiditatibus Religionem prætexunt, quia videri volunt, se iustis & magnis causis ad bella mouenda cogi. Hanc iusticiæ simulationem grauiores pœnæ sequuntur. Et Deus sinit homines in tales furores ruere, vt Idolomaniæ puniantur.

Fuit oppidum in Locris, AMPHISSA, quod campum duorum milliarium Germanicorum consecratum occupauerat, & tradiderat suis ciuibus, ut ibi villas extruerent, & colerent agros. Hunc campum tum restitui templo Delphico Amphictyones iussissent, armis etiam euertere villas conarentur, concursu Amphissensium repressa est turba, quam Amphictyones adduxerat. Defenderunt autem & Thebani Amphissam, quia Locri Thebanis amici erant. Fit igitur decretum Amphictyonum, de accersendo Philippo rege Macedonico, præsertim cum iam & ipse in consilio Amphyctionum duo suffragia haberet. Ac Demosthenes inquit, quosdam pecunia corruptos astutè perfeciſſe, vt illud decretum fieret, vt eo prætextu Philippus accersitus Græciam opprimeret. Ego odio Thebanæ potentiæ decretum illud à pluribus factum esse existimo.

Vocatus igitur Philippus exercitum adduxit in Græciam mense Februario. Ac primum Amphissenses punit. Erant vtriq; in metu: Thebani, quia Amphissenses defenderant, & Athenienses propter Eubœam. Mittunt igitur legatos ad Philippum, ac petunt,

tunt, ne pacem, quæ in fœderibus antea vtrimq; promissa erat, violet. Interea Philippus vrbem Phocensem Elateam vi capit, & totam regionem Phocensem occupat. Cùm autem iam & Græciæ partem occupasset, & cæteri in metu essent, suasor fuit Demosthenes, vt Athenienses & Thebani se coniungerent ad Græciæ defensionem. Et mense Maio decretum factum est, vt Philippus armis reprimeretur, & facta est cum Thebanis societas. Postea die septimo mensis Iulij ad Cheroneam vrbem Bœotiæ pugnatum est, fuitq; tanta virtus Græcorum, vt diu anceps prælium esset, ac multis vtrimq; cadentibus trepidaueris Philippus, donec adolescens Alexander equites à fronte ad latus duxit, & in medium exercitum Græcorum irrupit. Ibi inclinatio facta est. Interfecti sunt autem ciues Athenienses mille, & capta duo millia, multo plures verò Thebani & interfecti & capti sunt. Ac præsidium Thebis impositum est. Erat autem inter captiuos Athenienses DEMADES orator, qui Athenienſibus pacem impetrauit, & obtinuit, vt captiui sine precio redderentur.

Post victoriam Philippus conuocatis Græcarum ciuitatum legatis Corinthum, ibi Dux Græcorum contra Persas nominatus est, & constituta pace Græciæ in Macedoniam redijt, ac translaturus bellum in Asiam, misit eò partem exercitus. Sed cum commoratur domi, & ostentat regium splendorem cum alijs spectaculis, tùm verò etiam sacrificio, in quo suam statu-

am inter Deorum statuas collocauit, in spectaculo quodam à satellite Pausania interfectus est, non diu post quàm ad Cheroneam vicit Athenienses & Thebanos, sicut Oraculum prædixerat, victorem breui pòst morituru esse: Flet victus, sed victor mortuus est: κλαίει ὁ νικηθείς, νεκρὸς ὁ νικήσας ἀπόλωλε. Ita rex præstantissimus consilio & fortitudine, adhuc ætate florens, (tantum enim vixit annos sex & quadraginta, vt in Arcadicis apud Pausaniam narratur) interfectus est, cùm & inter Deos coli vellet, & obscœnis voluptatibus se dederet. Quæ delicta Deus horribilibus exemplis punit etiam in hac vita. Deinde & per coniuges & filios vagatæ sunt pœnæ, vt supra diximus.

ALEXANDER MAGNVS.

EXtincto Philippo filius ALEXANDER ex Olympiade, quæ nobilitate alias coniuges antecelluit, regno Macedoniæ potitus est. Ac prodest meminisse tempus initij regni Alexandri, quia multa inde tempora post eum sumuntur.

Olympiadis centesimæ vndecimæ anno primo cœpit regnare Alexander, cuius temporis propter certitudinem sæpè fit mentio. Fuit autem annus à condito mundo 3628. A reditu Nehemiæ ex Babylone in Iudæam anno 88. Cum in Iudæa Pontifex esset

esset Iaddus, cuius frater Manasses aliud templum contra legem Dei in monte Samariæ, qui nominatur Garizim propè Sichem condidit. Ita nunc non diu post reditum ex Babylone ambitio & discordiæ Pontificum in Iudæa turbabant & politiam & doctrinam, & legitimos cultus, Quòd eò magis mirum est, quia hæc tempora Nehemias attigit, qui vixit circiter annos 130. Huius tanti viri autoritatem in senecta spreuerunt iuniores, cupidi dominationis.

Supra dictum est, Reges Macedonicos ab HERCVLE ortos esse, paterna origine. Olympias verò, mater Alexandri ex ÆACIDIS est, hac serie.

ÆACVS.

Peleus, vicit Centauros.

Achilles, filius Pelei, dolo interfectus à Paride.

Pyrrhus interfectus ab Oreste propter Hermionen, filiam Menelai.

Molossus Rex Epiri & Pielus, nati ex Andromacha, olim Hectoris coniuge.

A Pielo scribitur ortos esse sequentes reges in Epiro, vt narrat Pausanias in Atticis.

Tarymbam.

Alcetam. Ex hoc

Neoptolemus & Arymbas.

Olympias Neoptolemi filia, mater fuit Alexandri Magni, & soror Alexandri Epirotæ. qui cùm in Italiam traiecisset, vt Tarentinis opem ferret contra Brutios, in Brutijs perijt.

Arymbæ filius fuit Æacides, pater Pyrrhi, qui Pyrrhus postea cum Romanis bellum gessit.

Natus est igitur Alexander Magnus ex duabus familijs in Græcia præstantissimis, videlicet ex Hercule & Æaci posteritate.

DARIVS VLTIMVS
Rex Persarum.

REgnauit annos sex. Cœpit enim regnare eodem anno, quo Philippus mortuus est, à Bagoa, qui Ochum & Arsamen veneno sustulerat, accersitus ad regnum propter opinionem virtutis. Cum enim Artaxerxes bellum gessit cum Cadusijs, & quidam Cadusius prouocaret vnum ex Persicis Ducibus ad monomachiam, hic Darius Cadusium victor occidit. Quare Armeniæ gubernatio ei commendata est. Etsi autem vocauerat eum ad regnum Bagoas, tamen vt semper in metu sunt homicidæ, hunc quoq; metuens, veneno tollere Darium conatus est. Sed re indicata Darius Bagoam venenum, quod in eo conuiuio Regi daturus erat, bibere coëgit. Ita Bagoas extinctus tandem scelerum suorum pœnas dedit.

Cùm autem sciret Darius, iam à Philippo missos esse exercitus in Asiam, mittit & ipse exercitus, & classis ducem facit Memnonem Rhodium, cuius peritia fuit excellens, & in Græcia mortuo Philippo concitauit

citauit contra Alexandrum ciuitates. Demosthenes etiam, vt fuit inquietus, belli suasor fuit, cui aduersatus est Demades, qui ait, se reprehendisse Demosthenis decretum, quod fuerit tantùm ὀνόμασι καλὸν, & fuisset exitiosum Reipublicæ, si Athenienses obtemperassent. Inquit etiam Æschines, à Demosthene adeò spretum esse Alexandrum, vt nominarit eum μαγγάνῳ.

Cùm igitur multi in Græcia florentem Persarum potentiam intuerentur, & considerent auxilijs Persicis, hortatores fuerunt defectionis a Rege Macedonico. Thebani igitur præsidium Macedonicum ex arce deiecerunt, & decretum fecerunt, vt qui Græciæ libertatem defensuri essent, se cum ipsis coniungerent. Hæc noua belli causa fuit Alexandro.

Post mortem Philippi gentes bellicosæ, vicinæ Macedoniæ res nouas moliebantur, Illyrij & Triballi. Horum sedatis tumultibus Alexander initio regni Syrmum quoq; regem Getarum, à quo Syrmium postea nominatum est, coëgit pacem petere. Ibi cùm cognouisset Thebanos bellum mouisse, celeriter in Græciam redijt, & cùm aliquot prælia circa Cadmeam & in portis Thebanis facta essent, infusi milites Alexandri intra portas, ceperunt Thebas, vbi magna cædes in ipsa vrbe facta est. Interfecta sunt sex millia hominum, capta & redacta in seruitutem triginta millia. Vrbs Thebana funditus deleta est, quam tamen postea Cassander restitui iussit. Et de exulibus,

qui effugerant, decretum est, ne vsquam eis in Græcia hospitium præberetur. Sed Athenienses memores veteris beneficij, cum contra Lacedæmoniorum decretum Thebani ipsis hospitium præbuerant, nunc receperunt exules, nec eos expulerunt. Hanc gratitudinem postea Alexander comprobauit.

Anni sunt autem ab eo tempore, quo captæ sunt Athenæ à Lysandro, sexaginta, nec sunt plures. Tam exiguo tempore primùm Athenæ & imperium amiserunt, & captæ sunt. Postea Sparta amisso imperio durissimè afflicta est. Nec multò pòst vrbs Thebana funditùs deleta est. Fuitq; annus tertius post luctuosam pugnam ad Cheroncam. Ita cum floruisset Græcia sapientia & virtute, postea laxata disciplina, cùm petulantia iuniorum & ambitione bella non necessaria moueret, magnorum scelerum pœnas dedit, sicut & hoc tempore Turcicam tyrannidem attraxit idolorum cultu, libidinibus & odijs domesticis.

Dignum verò memoria est factum Timocleæ matronæ Thebanæ, à qua cum posceret quidam ex Alexandri ductoribus, quidquid habebat auri et argenti, & illa corpori metueret, dixit se monstraturam quo abiecisset. Educit igitur militem ad puteum in hortum, & ait, ibi occultatum esse: Cumq; oculi militis ad puteum conuersi essent, ipsa eum impellit, & in puteum præcipitat. Postea ad Alexandrum adducitur Matrona, qui audiens eius narrationem, & nobilitatem familiæ, iussit eam cum filijs & filiabus liberam

ram esse. Reges enim vt aliarum virtutum, ita & pudicitiæ defensores esse debent.

Post Thebarum excidium ab Athenienſibus petiuit Alexander, vt dederent Oratores, Demosthenē & Lycurgum, qui bellum suaserant. Et censuit Phocion, sicut olim Erechtei filiæ factæ essent victimæ pro patria: Ita ipsi quoq; ad hostem accederent, ac se interfici paterentur, vt patria tranquilla esset. Hìc Demosthenes recitauit Apologum de lupis, qui pastoribus pacem offerebant, ea conditione, si canes dederent. Sed cùm populus dubitaret, Orator Demades ad Alexandrum profecturum se esse promisit. Huic populus dat mandata, vt pacem petat. Item, vt petat, ne cogantur exules Thebanos expellere. Quæ omnia Demadis legatione impetrata sunt. Hæc Alexandri moderatio in victoria excellens virtus fuit, & opus Dei, qui incenderat eum singulari impetu, ad faciendam imperij translationem, & puniendam sæuitiam & luxum Persarum, sicut Siracides inquit capite 10. Propter iniusticiam regnum à gente in gentem transfertur.

Pace constituta in Græcia communi decreto nominatus est ALEXANDER Dux Græcorum contra Persas, & secundo anno duxit exercitum in Asiam, vbi quæ prælia facta sunt, quæ vrbes quanto labore captæ sint, quanta victoris magnitudo animi, iusticia & modestia initio fuerit, discendū est ex integris historijs. Modestiæ testimonium ingens

est,

est, quod cum Darij coniugem, filios & filias cepisset, curauit vt regio more alerentur, & nulla contumelia afficerentur. Quod Persicus nuncius narrans Dario, his eum verbis ornat: Alexandrum & in prælijs acerrimum & victoria clementem esse, Δεινὸν μαχόμενον, χρηστὸν δὲ κρατήσαντα.

Quarto anno cùm Asiam & Ciliciam magno labore domuisset, Tyrum post longam obsidionem septimo mense cepit, vbi septem millia hominum in oppugnatione interfecta sunt, duo millia postea strangulata sunt, tredecim millia in seruitutem redacta sunt. Hæc calamitas ab Esaia prædicta est, qui Capite 23. inquit: Venturos esse euersores Tyri ex terra Cittim.

Inde Alexander ad Iudæam accessit, cui iratus erat, quia Iudæi in obsidione Tyri responderant, se memores magnorum beneficiorum, quæ à regibus Persicis acceperant, nihil facturos esse contra eos. Cùm autem Tyro capta Alexander in Iudæam venisset placaturus eum IADDVS summus Sacerdos ornatus veste Sacerdotali, cum cœtu Sacerdotum & Seniorum processit ei obuiam, & pacem petiuit: Ibi Alexander de equo descendens summum Sacerdotem reuerenter salutat, & pacem promittit. Duces admirantes interrogant, cur tanto honore hunc Sacerdotem exceperit? Quibus respondet, se in Macedonia ante bellum dormientem vidisse talem speciē Numinis, ornatam simili veste, vocantem eum in Asiam, & iubentem, vt bellum contra Persas moueret, & dextram porrigentem, tanquam ductricem. Eius speciei cum viderit hunc Sacerdotem similem esse, existimare se hunc populum Deo curæ esse, seq; ab huius populi Deo adiutum esse, quare ei parcere & benefacere decreuisset. Postea hospitaliter exceptus tributa ab Ocho Tyranno imposita remisit, compescuit etiam vicinos in Samaria, qui aduersus Iudæos tumultuabantur. Credibile est etiam, narrasse Sacerdotes Alexandro Danielis prædictionem, qui ante annos 200 vaticinatus fuerat, Regem Græcum potiturum esse imperio Persico. Et non dubium est, de hac tanta generis humani mutatione sapientes multa collocutos esse.

Narrat enim & Diodorus, Seleucum scripsisse, Chaldæos Sacerdotes prædixisse sibi Alexandri meritum, & partitionem regni inter quatuor Duces. Hæc existimo ex Daniele sumpta esse.

Præcipuè vero in hac historia consideretur exemplum, quòd in tanta mutatione generis humani DEVS Ecclesiam, cum nulla habuit humana præsidia, clementer texit, & fuit mediocris Ecclesiæ tranquillitas sub Macedonicis Regibus, ferè vsq; ad Antiochi Epiphanis tempora, vt postea dicemus.

DE ÆGYPTO.

REgnum Ægyptium, ut suprà dictum est, inter prima & pulcherrima regna generis humani fuit:

&

& quanquam bella gesſit cum Chaldæis & Assyrijs, tamen vsq; ad Persica tempora, annos circiter mille, semper retinuit proprios Reges, & veterem regni formam. Cambyses verò & deinde Darius regno Ægyptio potiti sunt. Postea cum sub Dario Notho defecisſet, difficili bello recepit eam Ochus, & magnam ibi crudelitatem exercuit. Fuit autem vltimi Darij tempore præfectus ibi Mazabes, qui cum sciret, Ægyptios odisſe Persicum imperium, & quia ad arcendum Alexandrum imparatus esſet, venienti ex Syria dedidit seſe & Ægyptum sine certamine. Ita vetuſtum & opulentum regnum Alexander occupauit, & fortunam sapienter moderatus est. Non mutauit veterem formam gubernationis, sed veteri more Monarchas fecit, & quidem Ægyptios. Nec vni ex suis commendauit vniuersi regni gubernationem, sed præsidia imposuit diuersis locis, & his ductores præfecit, pacis tuendæ causa. Ac scribit Arrianus, additos esſe duos inspectores, quos nominauit EPISCOPOS. Quæ omnia sic constituta sunt, ne si vnus esſet summus gubernator, Regem se faceret. Et dicit Arrianus, Romanos Alexandri consilium postea in Ægypti gubernatione sequutos esſe. Ita vetus doctrina in eo regno conseruata est inde vsq; à Ioseph ad Mahometica tempora, annis plus duobus millibus. Scribitur & reditus Alexandro indicatos esſe sex millia Talentorum, id est, sex & triginta tonnas auri.

DE PRÆLIO AD ARBELA.

COnstituto regno Ægypti ex vrbe Memphi, quæ nunc est Alcarium, rediit Alexander in Syriam, anno sexto postquam regnare cœperat. Cūq; Tyrum redisſet, mulris rebus in Asia ordinatis, celeriter duxit exercitum aduersus Darium. Cumq; ad Arbela in Assyriam veniſſet, victima fuerunt Alexandri & Darij castra. Ibi mense Augusto, vt Plutarchus recitat, Eclipsis Lunæ conspecta est, cuius & alij scriptores mentionem fecerunt, qui & eodem mẽse, die vicesimo sexto pugnatum esſe dicit. Quo in prælio profligatus est ingens Darij exercitus, interfectis nonaginta millibus hominum. Fuerunt in acie Darij cum Scythis Dai & Sacæ, vt aliarum gentiũ nomina omittam. Acies ita instructa fuit, vt Alexãder in medio esſet cum Thessalis equitibus, Clitus teneret dextrum cornu, Parmenio sinistrum. Vbi etsi multi interficiebantur à Scythicis et Bactrianis equitibus, tamen Alexander rectà ad Darium accesſit, mediam aciem tenentem, quo pulso & fugato, postea opem tulit Parmenion, vbi acerrima pugna fuit.

Darius pulsus fugit per loca ardua & aspera in Medos, sed Alexander rectà accesſit ad Babylonem & Susa, quæ vrbes vltrò deditionem fecerunt. Postea duxit partem exercitus in Medos, vt Darium persequeretur, quem Bessus præfectus Bactrianorum, cum intelligeret Alexandrum propè esſe, interfecit.

Etsi autem Alexander post necem Darij mox in eum locum venit, ubi tanti regis corpus vidit iacere cruentum & sine honore, tamen non vidit viuentem Darium: Sed ipse Regio honore sepeliri eum curauit. Bessem vero interfectorem comprehensum iussit discerpi, alligatum duabus arboribus inflexis.

Hic fuit exitus regis Darij, qui etiam est insigne exemplum inconstantiæ rerum humanarum. Et quidem tota mutatio imperij, deletis tot vrbibus, & trucidatis tot exercitibus, plena est multorum horribilium exemplorum, quæ sunt commonefactiones de iudicio Dei, qui non leuiter mutat imperia propter multa magna scelera hominum, vt sæpè dictum est: Propter iniusticiam mutantur regna.

DE TERTIA MONARCHIA.

MOrtuo igitur Dario, anno ætatis suæ quinquagesimo, cum regnasset annos sex, translata est Monarchia à Persis ad Alexandrum, cum Persæ tenuissent eam annos ducentos & paulò amplius. Estq; initium Græcæ Monarchiæ annus Alexandri septimus.

Extincto Dario anni aliquot consumpti sunt in expeditione Indica, in qua primum peruenit ad Taxilen, qui regnum habuit non minus Ægypto et ubertate agrorum eximium. Is Alexandri fortunæ cedens, ad

ad eum vltrò accessit, inquiens, nihil opus esse bello, malle se beneficijs certare. Si sit potentior se daturum esse munera Alexandro. Si inferior, se gratum fore, si beneficia ab ipso acceperit. Alexander aduersus vltrò cedentem nihil hostile faciendum esse censuit, dedit & accepit regia dona, & regnum eum tenere iussit.

Deinde cum Poro rege Indorum bellum gestum est. Nam is dimicare cum Alexandri exercitu ausus erat. Sed cum captus esset, interrogat eum Alexander, quomodo captum tractare conueniat? Respondit ille: βασιλικῶς. Cumq; interrogaret Alexander, an præterea aliquid peteret, respondit Porus, omnia se complexum esse, cum dixerit βασιλικῶς. Ostendit igitur Alexander, clementiam præcipuè Regiam esse, nec vitam nec regnum ei ademit, tantum pro Rege nominari Satrapam iussit.

Hæc sapienter & clementer facta maximè decebant Regem, ad quem scribens Aristoteles hortatur eum, vt cogitet, Regnum à Deo ipsi datum esse, ad benefaciendum generi humano: πρὸς εὐεργεσίαν, οὐ πρὸς ὕβριν. Hæc ab Aristotele grauissimè scripta sunt, Constituuntur enim regna diuinitùs, vt leges pacem & disciplinam custodiant, & benè sit communi honestæ societati hominum, sicut Paulus inquit ad Romanos 13. Magistratus Dei minister est, tibi ad bonum. Et Danielis præceptum est ad Regem Chal-

dæum: Libera te à peccato iustitia & beneficijs erga pauperes, id est, iniustè oppressos.

Hunc finem certè intelligere & intueri Principes debent. Nec sint imperia similia latrociniorum, quorum finis est, tantum nocere alijs, Nec rectè respondit Alexandro Pirata captus, qui interrogatus, cur in mari latrocinium exerceret? respondit: Cur cùm tu exerceas in terra latrocinium, mihi non idem in mari liceat? Non enim erat latro Alexander, sed Rex legitimum imperium tenens, & gerens bella iusta, in quibus DEVS in eum transtulit Monarchiam, vt Persarum tyrannis puniretur, & restituerentur in genere humano leges & disciplina. Nec de bellis Alexandri plura addam.

Post victorias autem in vita domestica mores ipsius valdè mutati sunt, vt in ipso præcipuè cousp ici possit, quod dicit Herodotus, etiam optimum virum in tanta potentia corrumpi. Et nota sunt dicta: Luxuriant animi rebus plerunq; secundis, &c.

Mirum est autem, non solum corpora hominum & possessiones mutari & deleri, sed etiam sapientiam & virtutẽ in anima, quæ sunt res firmiores, languefieri. Vi minus mirum est, corpus Iulij interfectum esse, quam sapientiam & virtutem excellentem in Hercule extinctam esse, qui furens interfecit filios. Agnoscamus igitur in his horrendis exemplis imbecillitatem generis humani, & sciamus petendum esse à Deo, vt & corporis & animi bona nobis seruet, & cogitemus

mus dictum Ieremiæ: Scio Domine, non est hominis via eius. Et Danielis: Deus dat sapientiam sapientibus.

Tristius est igitur in Alexandro, quod tanta virtus languefacta est, quàm quod corpus immatura morte periit. Ante captam Babylonem fuit modestus, temperans, in imperio iustus, non indulgens iræ, vt in iustam crudelitatem exerceret, sapiens in præficiendis gubernatoribus. Nihil igitur in illo imperio pulchrius erat ipso rege propter virtutem. Postea nihil eo turpius & deformius fuit. Nominari se Deum, & tolidiumis honoribus voluit. Hoc tantum scelus pœnæ sequutæ sunt, certamina in ebrietate, in quibus iratus interfecit Clitum, à quo seruatus fuerat in pugna ad Granicum, & alia multa turpissimè fecit. Adorari voluit. Et Callisthenem Philosophum, natum ex consobrina Aristotelis, qui eum adorari recusauit, in clodi in caueam iussit, & circumduci spectandum, ac tandem interfici, versum addens: Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός, hoc est, Odi sapientem, qui sibi non sapit. Et creuit furor adeò, vt interficeret senem ducem optimè meritum Parmenionem, qui præcipuus inter Duces Philippi & ipsius Alexandri fuerat. Talis est præcipuè aulica beneuolentia & gratitudo. Quare dictum est: Sæuum prælustri fulmen ab arce venit. Et Pindarus inquit. παλαιὰ γὰρ ἔυδει χάρις, ἀμνάμονες δὲ βροτοί, Antiqua dormit gratia, & homines sunt immemores.

Cùm autem Alexander in India reuersus accessisset ad Babylonem, Chaldæi vates dixerunt, morituru esse breui, postquam vrbem ingressus esset. Hoc vaticinio motus æliquot dies extra vrbem commoratus est. Postea Anaxarcho Physico, Epicureo & Cyclopico homine, deridente hæc vaticinia, ingreditur vrbem, & ibi legationes omnium gentium audit, cognoscit controuersias, constituit Prouincias, & Legatos regijs muneribus donat. Postea dedens se voluptatibus, certamina potentium tanta instituit, vt aliqui in conuiuijs subitò extinguerentur. Ipse tantum ad duos Choas processit, id est, octo sextarios.

Tunc autem inter aulicos Colatas familiarissimus ei fuit Thessalus quidam nomine Medius, cuius hoc est dictum: Audacter calumniare, semper aliquid hæret. Ab hoc Thessalo vocatus ad conuiuium, cùm largius bibisset, subitò sensit magnum cruciatum inter scapulas, in eo loco, qui nominatur μετάφρενον, vbi orificium ventriculi alligatum est spinæ dorsi, sicut vsitatum est in eo loco eruditates sentiri. Inde & Febris sequuta est, in qua non abstinuit à vino. Initium febris fuit mense Dæsio, qui cum nostro Iunio congruit, die 18. Cumq; ægrotasset dies vndecim, die vicesimo octauo mensis Dæsij mortuus est.

Sic Alexander, cum in tot prælijs inuictus fuisset, perijt immodico vino, sicut Daniel Macedonicum Regem Pardali similem facit, quæ non capitur ab armatis

matis venatoribus (ipsorum enim iacula sua celeritate eludit) sed sopita vino & Venere.

Est autem & huius Regis interitus insigne exemplum inconstantiæ rerum humanarum, & monet, ne exultantes lætitia laxemus frenos iniustis cupiditatibus, & pœnas attrahamus, sed petamus nos à Deo gubernari, cogitantes, & accidere posse subitas conuersiones, sicut dicitur: Magna momento ruunt, et Deum vindicem esse scelerum.

Vixit annos triginta duos & menses octo. Regnauit annos duodecim, & menses octo. Fuit hic mensis primus Olympiadis centesimæ quartæ decimæ, ante Christum natum annis trecentis viginti quatuor.

Iam sine certo Rege erat maxima pars generis humani, & accidit, quod Demades dixit: Alexandri exercitum ipso mortuo similem esse Cyclopi effosso oculo, ac membra rectore carentia ruitura in mutuam perniciem, sicut interfecto Iulio Romæ accidit, et multa sunt similia exempla. Constantino mortuo filij inter sese dimicarunt. Nunc quoq; postquàm Carolus gubernationem deposuit, Germania, Belgicum, Italia sunt velut Cyclopis corpus amisso oculo. Prædixerat & ipse Alexander, se ducibus suis relicturum esse magnum ἀγῶνα ἐπιτάφιον.

DE SVCCESSORIBVS Alexandri.

Sicut Daniel ex Græco Rege quatuor cornua oriri vidit, ita accidit: Lacerata est enim eius Monarchia in præcipua & maxima regna quatuor. Etsi, vt fit, alia parua regna inter tantos tumultus orta sunt, tamen cultissimam partem generis humani quatuor regna complexa sunt: Ægyptus, Syria, Minor Asia, & Macedonia. Quanquam autem variæ vices et in his regnis fuerunt, tamen Ptolemæus & eius posteritas Ægyptum retinuit, vsq; ad Iulium Cæsarem. Seleucus & eius posteritas Syriam. Antigonus initio Minorem Asiam tenuit. Antipater Macedoniam. Postea deleta Antipatri posteritate Macedoniam tenuerunt posteri Antigoni, donec Romani eam occupauerunt, Rege Perseo capto.

Fuerunt autem inter hos ipsos Duces, Alexandri statim post eius mortem ingentia bella, dum quilibet solus Monarchia se potiturum esse cogitabat.

Prima deliberatio post mortem Alexandri hæc fuit, vt frater Alexandri ARIDEVS Rex esset, et vt expectaretur hæres ex ROXANE, coniuge Alexandri. Et quia PERDICCÆ summa fuit autoritas, hic præcipuus totius imperij gubernator erat, quia in Arideo erat mentis error. Sperans igitur Perdiccas, se imperio potiturum esse, coniugium petiuit Cleopatræ, sororis Alexandri, & Ptolemæo Ægyptum eripere conatus est. Id initium fœderum & bellorum inter Duces fuit. Ibi enim Ptolemæus, & Antipater primum fœdus inter sese fecerunt. Cum igitur

igitur Perdiccas exercitum in Ægyptum duxisset, & ad Memphin vsq; accessisset, cum infeliciter pugnasset, à suis equitibus interfectus est. Nam & antea in odio erat propter crudelitatem, & Ptolemæus propter iusticiam et beneficentiam diligebatur. Ita Perdiccas, qui primus inter Duces bellum mouit, primus interfectus est. Adiunxerat sibi Antipater CRATERVM, cui dedit filiam, nomine Philam, cuius fuit excellens virtus. Sic enim de ea scribit Diodorus: Hæc mulier virtute excelluit, seditiones in castris sedauit, sororibus & filiabus pauperum militum dotes dedit, falsò accusatos homines liberauit periculis. Sæpè & consilijs eius in gubernatione pater vsus est.

BELLVM LAMIACVM.

ANTIPATER & Craterus Atticam ciuitatem rursus mouentem bellum aduersus Macedonas, proximo anno post Alexandri mortem coëgerunt ad faciendam deditionem, exercitu in vicinium adducto. Vt enim sæpè ante multitudo Attica somniãs veterem libertatem & Græciæ principatum, tumultuata est: Ita nunc mortuo Alexndro sperans repressis Macedonibus rursus sese dominaturam esse Græciæ Ætolos & partem Thessalorum sibi adiunxit, & Antipatrum ingressum in Thessaliam vicit, et in vrbem Lamiam fugere coëgit, quam Leosthenes

Dux Atticus obsidione cinxit. Erantq; initia belli Atheniensibus fœlia, Sed cum Dux Atticus Leosthenes ante vrbem lapide ictus in capite vulnus accepisset, & post paucos dies mortuus esset, fortuna mutata est: Antipater enim obsidione liberatus est. Cumq; breui pòst ad eum Craterus firmum exercitum adduxisset ex Asia, magno prælio vicit Athenienses ad CRANONEM, vrbem Thessaliæ. Inde Antipater & Craterus exercitum in Bœotiam ducunt. Ibi multitudo Attica, quæ antea Demosthenis & aliorum inquietorum consilia probauerat, metuens obsidionem, pacem expetiuit.

Mittuntur ergo Legati, Demades, Phocion, & Xenocrates Philosophus, qui semper consilia belli improbauerunt. Hos cum audiuisset Antipater, respondit, se non aliter concessurum esse, nisi ea conditione se dederent, quam Leosthenes ad Lamiam ipsi tulisset, vt suo arbitrio omnia permitterentur. Cogebat necessitas Athenienses quoquo modo pacem facere, permittebant igitur ei omnia, vt statueret de eis quidquid vellet. Sed Antipatri moderatio salutaris fuit vrbi. Præsidium Macedonicum in vrbe collocatum est, & concessum Atheniensibus, vt suis legibus vterentur, sed ita, vt non admitterentur ad Magistratus tenuiores, qui censum non habebant. Et multis ciuibus turbulentis volentibus migrare Antipater agros in Thracia dedit. Pecuniam ne ciuitas Antipatro penderet, impetrauit Phocion.

Nomi-

Nominatim etiam petiuit Antipater, de disibi Demosthenem & Hyperidem Oratores, quorum alter Hyperides, post fugam in Æginta captus est, & cum ad Antipatrum missus esset, lingua ei excisa est, postea truciditus est. Demosthenes cum in fuga successisset in Templum quoddam, Archias ab Antipatro missus egredi eum hortatur. Sed Demothenes incumbens in librum, tanquam scripturus aliquid, venenum ex calamo hausit. Sic extinctus est Demosthenes, anno post mortem Alexandri proximo. Nam pugna ad Cranonem facta est mense Iulio. Athenæ deditæ sunt mensæ Augusto. Demosthenes die decimo sexto Octobris mortuus est, cum non multò ante decreto ciuitatis reuocatus esset ex exilio. Fuerat enim non multò ante mortem Alexandri condemnatus à senatu Areopagitico, quod pecuniam ab Harpalo acceperat, qui cum fuisset custos thesaurorum Alexandri, cum magnis furtis in Græciam fugerat, & Athenis hospitium petiuerat. Is dederat Demosthenis poculum & viginti Talenta, id est, duodecim millia Coronatorum. Sed cum moto bello aduersus Antipatrum Græcas ciuitates passim hortaretur ad societatem Atheniensium, publico decreto reuocatus est. Incidit vrbis deditio in annum 2. Olympiadis centesimæ decimæ quartæ.

Prodest & hoc considerare, quod memorabile iudicium, in quo suasor Æschines accusauit Demosthenem, quòd suasor fuisset belli contra Philippum,

dilatum est in annum decimum Alexandri, in quo iudicio Demosthenes illam luculentam orationem, quæ extat, cui titulus est, pro Ctesiphonte, dixit in magna frequentia hominum, qui ex tota Græcia Athenas venerant, vt huius certaminis auditores essent. Et videtur tempus Demosthenis profuisse, quia Alexander procul in India aberat, & dolor iam non erat recens, & multi seniores recordatione honesti consilij, qualiscunq; fuerat exitus, lætabantur, & rursus ciuitas nouas spes conceperat.

Post mortem Demosthenis non diu superstes fuit Antipater, ad quem profectus Demades orator cum filio, ibi à Cassandro, qui successit Antipatro, trucidatus est, quia deprehensæ erant eius Epistolæ, accersentes Antigonum ad defensionem Græciæ, pendentis tunc, vt ipse scripserat, à veteri & pueri filio, videlicet ab Antipatro. Ita profectione sponte suscepta in Macedoniam, tanquam fato tractus est ad exitium, cum aliquantò ante scripsisset decretum de pellendo Demothene.

Addita est autem crudelitas supplicio, quod filius Demadis in complexu patris prius interfectus est. Postea necatus est pater. Hic fuit exitus summorum Oratorum, quem cogitantes, primum communia pericula Oratorum consideremus, qui plerunq; inter certamina publica, velut inter contrarios fluctus, opprimuntur. Tales enim sunt vices in defensionibus, vt alias aliæ factiones vincãt, vt dicitur: ξωὸς ζωὰ-

λιθ

λιθ νεκὸ τὸν κτανέοντα κατέκτα. Deinde & hoc deplorandum est, quod excellentia ingenia plurima mutilibus contentionibus consumuntur, vt multi summi viri fuerunt velut parricidæ patriæ, vt Pericles, Alcibiades, Demothenes, Demades, et alij multi. Talia exempla intuentes expauescamus, & ardentissimis votis Deum oremus, vt faciat nos vasa misericordiæ, & organa salutaria Ecclesiæ, patriæ & nobis.

DE CASSANDRO.

POST mortem Perdiccæ, Crateri, Antipatri, tunc verò noua & atrox laniena sequuta est. Cassander occupauit Macedoniam, & tenuit eam annis octodecim. Duxit vxorem Thessalonicam, Philippi filiam. Cumq; Olympias mater Alexandri conaretur regnum paruis filijs Alexandri tradere, vrbem Pydnam, in qua erat Olympias, Cassander obsidione cinxit tàm diu, donec multi homines fame morerentur, & milites hominum cadaueribus pascerentur. Coacta igitur fame Olympias deditionem fecit: postea eam Cassander occidi iussit, cumq; milites primi ad eam trucidandam missi reuerentia eius deterriti non fecissent mandata, missi sunt alij, qui eam trucidauerunt. Deinde coniuges & filias Alexandri veneno sustulit: Roxanen, quæ peperit Alexandrum: & Barsenen, quæ peperit Herculem. Etsi autem initio

Cassan-

Cassanter socius fuit Antigoni, tamen cum in Asia Lyciam peteret, Antigonus ei hostis factus est, & vt honesta specie bellum ei inferre posset, accusauit eum apud exercitum, quod interfecisset Olympiadem, coniuges & filias Alexandri. Expulsi sunt igitur Cassandri exercitus ex Asia, & ipse non multò post pthiriasi mortuus est.

Hæserunt & in posteritate maiores pœnæ. Filius Antipater occidit matrem, Alexander alter filius occidit fratrem Antipatrum, & Demetrium filium Antigoni in Macedoniam accersiuit. Hic Demetrius hunc Alexandrum interfecit. Hæc omnia congruunt ad regulam: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hæc tristia exempla historiæ Cassandri commonefaciant nos de ira Dei, & hortentur ad timorem & inuocationem Dei. Hoc tantum laude dignum fecit Cassander, quod reditum Thebanis, & vrbis instaurationem concessit, quam Athenienses & alij Græci adiuuerunt. Id factum est anno vicesimo, postquàm Thebæ ab Alexandro deletæ sunt, videlicet anno octauo post mortem Alexandri.

DE ANTIGONO.

Occisis Cassandri filijs posteritas Antigoni retinuit Macedoniam, vt postea dicemus. Qua in re iudicium Dei consideretur. Rediit enim regnũ ad eos, qui ex Regia stirpe fuerunt. Omnem enim scri-

scribunt, Antigonum filium fuisse Philippi nothum, ac inter Duces antecelluisse cum virtute, magnitudo rerum gestarum ostendit. Ipse etiam in edictis patrem nominat Philippum.

Gessit primum bellum aduersus Eumenem, quem Perdiccas sibi adiunxerat, cum bellum Ptolemæo inferret, Monarchiam ad sese translaturus: Cumq; Eumenes contra Antipatrum & Craterum duxisset exercitus, & Craterus in prælio perijsset, quem Macedones valdè dilexerant, irati exercitus Macedonici ducem faciunt Antigonum contra Eumenem. Ita coniunxerunt se contra Perdiccam & Eumenem, Antipater, Antigonus & Ptolemæus. Hæc prima contraria fœdera facta sunt. Et initium bellorum ortum est à cupiditate dominationis Perdiccæ, qui, vt supra diximus, cum ad Ægyptum accessisset, à suis equitibus interfectus est.

Post triennium Eumene victo secundum bellum gessit Antigonus aduersus Cassandrum ac victor sperare Monarchiam cœpit. Profectus igitur in Syriam prouincias vicinas occupauit, & Seleucum perterrefecit, vt ad Ptolemæum in Ægyptum fugeret. Ita disiuncti sunt Antigonus & Ptolemæus, qui defensionem Seleuci suscepit. Hoc tertium bellum asperrimum fuit, in quo variæ vices fuerunt. Sed cum ingenti pugna nauali ad Cyprum vicisset Demetrius Antigoni filius Ptolemæi classem, captis sedecim millibus militum, & demersis nauibus ducentis, Antigo-

nus

nus sese & filium Demetrium REGES nominauit, & Diademate Regio vti cœpit. Horum exemplum & Ptolemæus imitatus est: & deinde Seleucus, recuperatis suis prouincijs. Sic noua regna ex Alexandri, Monarchia orta sunt, sicut Daniel prædixerat. Pugna ad Cyprum facta est post mortem Alexandri circiter annum sedecimum, videlicet Olympiade centesima & decima octaua, ac breui post conuersa est Antigoni fortuna, vt superbiam pœnæ comitantur. Nam & Cleopatram sororem Alexandri recens interfecti Antigonus iusserat, propterea quod eius coniugium cæteri reges petebant. Cumq; iam potentia summa esset Antigoni, coniunxerunt se aduersus eum cum Ptolemæo & Seleuco Cassander & Lysimachus, quos tamen ita spreuit Antigonus, vt diceret, se dissipaturum esse eos, tanquam agmen auium, quæ spermologi naminantur. Quanquam autem aliquod magnis prælijs Antigonus vicerat, tamen tandem in acie multis vulneribus acceptis extinctus est, cum attigisset annum octogesimum.

Hic fuit exitus Antigoni, qui inter successores Alexandri virtute excelluit, ac donec vixit, minorem Asiam & vicinas regiones vsq; ad Syriam tenui. Postea filius Demetrius amissa Asia regnum Macedoniæ extincta Cassandri posteritate retinuit. Sed cum recuperare Asiam conaretur, & varia fortuna bellum gereret aduersus Seleucum generum, cui Stratonicen filiam suam, natam ex Phile Antipatri filia, vxorem dede-

derat, tandem à Seleuco genere captus est, apud quem captiuus anno tertio mortuus est. cum vixisset annos quatuor & quinquaginta, tantam expertus fortunæ varietatem, vt de eo versus Sophoclis pronunciati sint de Lunæ incrementis & decrementis.

POSTERI FVERVNT REGES Macedoniæ.

ANtigonus secundus natus ex Phile Ancipatri filia, laudatus propter iusticiam & moderationem, Græciæ pacem restituit. Quare à Græcis nominatus est εὐεργέτης. Ex hoc Antigono secundo natus est.

DEMETRIVS SECVNDVS, qui non diu regnauit.

PHILIPPVS, Hoc impubere Tutor regnauit patruelis, cognominatus Dosón. Postea Philippus accepto paterno regno fuit crudelis, & à Romanis victus pacem petiuit. Filium Demetrium falsò accusatum à Perseo fratre, interfecit.

Successit PERSEVS, captus à Romanis.

Hæc exempla congruunt ad Regulam, quæ dicit: Iustitia stabiliri thronum, & regna propter iniusticiam mutari. Hæc de Antigoni posteritate breuiter annotauimus, vt Regum series post Alexandrum ut cunq; considerari posset. Daniel cæteris omissis, de

regi-

regibus Ægyptijs & Syriacis multa vaticinatur, quorum series recensenda est, vt sacri libri intelligantur.

REGES SYRIACI.

SEleucus post mortem Demetrij tenens Babylonē, Syriam & Asiam minorem, bellum gessit cum Lysimacho, in quo tandem Lysimachus anno ætatis septuagesimo quarto interfectus est. Fuitq; in Seleuco tanta regni cupiditas, vt extinctis tot regibus Monarchiam speraret anno ætatis septuagesimo septimo. Bellum igitur gerens cum Ptolemæo κεραύνῳ, primi Ptolemæi filio, fratre Philadelphi, interfectus est septimo mense post Lysimachi mortem. Et hunc Ptolemæum κέραυνον aliquantò post Galatæ interfecerunt, infusi in Macedoniam & Græciam.

Recensui exitus præcipuorum Principum post Alexandrum: Perdiccæ, Crateri, Eumenis, Antigoni, filiorum Cassandri, Demetrij, Lysimachi, Seleuci, quibus omnibus cupiditas dominationis exitio fuit. Et pertinent exempla ad Regulas, quæ iubent quenq; intra metas vocationis manere, & prohibent mouere bella non necessaria, & ostendunt, iniustam cupiditatem dominationis non habere placidos exitus.

Postquàm Antigonus, vt dixi, interfectus est, et Demetrius eius filius captiuus mortuus est, & trucidatus Lymachus, addita est ad regnum Seleuci, videlicet ad Syriam & ad Babyloniam, Asiæ pars, à Tauro

Tauro monte vsq; ad Ioniam, & antea tenuerat Antigonus. Ita deinceps Seleuci posteritas antecelluit potentia cæteros Reges. Ac tempus apud Polybium in secundo libro annotatum est, vbi inquit: Olympias erat centesima vicesima quarta, qua mortui sunt Ptolemæus Lagi filius, Lysimachus, Seleucus & Ptolemæus κέραυνος.

Post Seleucum Rex Syriæ, Babylonis & Asiæ, à Tauro monte vsq; ad Ioniam, secundus ANTIOCHVS SOTER, regnauit annos nouendecim.

ANTIOCHVS THEOS regnauit annos quindecim. Habuit ex Laodice duos filios, Seleucum Callinicum, & Antiochum, cui cognomen fuit Hierax. Postea Ptolemæus Philadelphus dedit Antiocho Theo filiam Berenicen. Mortuo autem marito Laodice filium Seleucum hortata est ad regnum occupandum, & ad capiendam Nouercam. Hanc cum obsidione coëgisset ad deditionem, interfecit eam cum paruo filio contra datam fidem.

Ab hac historia contexit Daniel vaticinia de bellis inter reges Ægypti & Syriacos, quia Iudæa interiecta hæc regna duriter vtrinq; quassata est. Prædicit igitur Daniel calamitatem Reginæ Ægypti in Syria. Hæc enim postea causa fuit & initium, non tantum bellorum inter vicinos Reges, sed etiam defectionis Babyloniorum ad Parthicum regem Arsacen, & Bithyniæ ad Eumenem.

Cum autem Euergetes Rex Ægyptius frater

esset Berenices, intulit bellū regi Syriaco Seleuco Callinico, & ei magnam regni partem ademit, & coronatus est in Syria, vt Rex vtriusq; regni nominaretur. Sed Seleucus Callinicus rursus collecto exercitu in Asia, quam frater Antiochus Hierax in diuisione hæreditatis nactus erat, recuperauit Syriam. Postea cum Ptolemæus Euergetes cessisset ex Syria, & pacem cum Seleuco fecisset, intulit Seleuco bellum Hierax frater, & Galatas attraxit in Asiam, quos Brennus in Græciam duxerat, quos fuisse multitudinem collectam ex Teutonum gente, & ex vicina, quæ nunc Gallia nominatur, lingua ostendit. Et constat, vno nomine vetustatem nuncupasse vtranq; gentem, Galatas & Celtas, citra & vltra Rhenum, vsq; ad Danubium. Et vocabulum γαλάτης significat peregrinatorem, vnde & nostrum nomen est wallen.

Vt autem antea multitudo Celtica in Italiam infusa est, quæ Romam cepit & incendit: Ita noua multitudo postea ex Pæonia in Macedoniam progressa est, peditum centum quinquaginta millia, & equitum viginti millia, vt numerum Pausanias exprimit. Ibi interfecto Ptolemæo Κεραύνῳ transijt multitudo in Græciam. Fama rerum gestarum, magnitudo corporum, & multitudo terrorem incusserunt Græcis similem, vt cum Xerxes in Europam venit.

Nomen autem & huius Ducis Celtarum BRENNVS fuit, qui tamen non est Brennus, qui Romam cepit. Anni enim à Roma capta vsq; ad hunc Brennum

num interfectum sunt centum & nouem, quia Roma capta est anno vrbis trecentesimo sexagesimo quinto, qui fuit annus primus Olympiadis nonagesimæ octauæ, quæ antecedit Philippum Macedonem annos viginti octo. Scribit autem Pausanias, pulsos esse Gallos ex Græcia, & ex vulneribus mortuum Brennum anno secundo Olympiadis centesimæ vicesimæ quintæ. Erit igitur interuallum anni centum & octo. Quare diuersis temporibus duos Brennos fuisse necesse est. Et consentaneum est has bellicosas gentes, cùm progredi in alias regiones cepissent, non citò quieuisse, sed subinde nouas expeditiones suscepisse.

Harum Celtarum reliquias attraxit in Asiam Hierax, vbi cum latè grassarentur, pars interfecta est à Ptolemæo Euergete. Quare Apollo apud Callimachum inquit: communem esse victoriam sibi & Ptolemæo, quia magna pars Celtarum perijt ad templum Delphicum, cum Græci præliantes iuuarentur fulminibus, ventis & pluuijs. Partem dicitur trucidasse Ptolemæus ad Lacum Sarbonidem.

Versus Callimachi hi sunt:

Contra hostem fient communia prælia nobis,
Celtica cùm contra Græcos gens bella mouebit.
Titanum soboles, extremo cardine terræ
Effusa, Hesperias & sedes effera linquet.
Continuas densasq; niues vt spargere Bruma

Flante solet Borea, venient sic agmina densa.
Non tamen hæc stolidis Galatis via fausta futura est.

Auxilijs igitur exercitus Galatarum adiutus Hierax, fratrem Seleucum vicit. Postea sedes ad Halyn fluuium huic peregrinæ genti datæ sunt. Deinde Ptolemæi auxilio rursus vicit Seleucus, & fratrem regno expulit. Fugit ergo Hierax ad Ptolemæum in Ægyptum, à quo cum clam discessurus esset, quia ei diffidebat, retractius ex fuga à militibus Ptolemæi interfectus est. Circa id tempus in Syria Seleucus de equo lapsus mortuus est. Hic exitus fuit duorum fratrum, qui inter sese iniustis & infelicibus armis dimicarunt.

Interea posteritas Seleuci amisit Babylonem & vicinas prouincias, quæ ad Arsacen Parthum defecerunt, quem scribunt iusticia, & erga subditos beneficentia, & consilio ac fortitudine in bellis excelluisse. Deniq; post eum Arsacidæ in illa parte Orientis regnarunt, ex quibus natus fuit is, qui interfecit M. Crassum, & eius exercitum deleuit.

Alibi etiam Seleuco adempta est Bithynia, in qua regnare cœpit Attalus, cuius vetusta fuit nobilitas, & præcipuè laudata est excellens eius iusticia. Ac oraculum significauit ei, quàm diu posteri eius regnaturi essent: Αυτὸς γὰρ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες. *Qui versus memoria dignus est, quia in multis familijs hoc accidit, vt tertius aut quartus hæres fuerit vltimus. Vt, Constantius, Constantinus & filij*

filij. Postea alieni successerunt. Sic de primo Othone dici posset: Αυτὸς καὶ παῖδες, καὶ παίδων οὐκ ἔτι παῖδες.

QVINTVS REX SYRIÆ
Antiochus Magnus.

ANtiochus Magnus intulit bellum Ptolemæo Philopatori, & victus pacem petijt. Sed cum aliquantò pòst mortuo Ptolemæo Philopatore rursus speraret Ægyptium Regnum, contra fœdera bellum Ptolemæo Epiphani adolescenti intulit. Sed Romani, quibus eum commendauerat pater, iusserũt Antiochum abstinere ab Ægypto. Ideo Antiochus, cum & magnam Græciæ partem sibi adiunxisset, ingens bellum aduersus Romanos mouit, propter quod & Annibal ad eum profectus est. Sed tandem Romani cum vicissent eum multis magnis prælijs, coëgerunt eum pacem petere, & ademerunt ei florentissimam regni partem, ab Ionia vsq; ad Taurum montem. Postea hic Antiochus, cum in Syria spoliaret templum Beli, interfectus est à multitudine, quæ causa ad defensionem templi concurrerat.

Hic fuit exitus tanti Regis, qui rursus cum Asia Græciam coniunxisse videbatur, & sperabat, se Romanam potentiam euersurum esse: Sed initia belli fuerant iniusta. Talis itaq; fuit exitus, iuxta versum: κακῆς ἀπ' ἀρχῆς γίνεται τέλος κακόν.

Mediocris autem pax in Iudæa fuit ab Alexandri Magni initio, vsq; ad hunc Antiochum Magnũ, annos amplius centum. Et post Alexandrum Iudæi magis adiunxerunt se regibus Ægyptijs. Sed cum interiecti essent inter Ægyptum & Syriam, duriter vtrinq; quassati sunt, ac sæpè experti sunt, verum esse quod dicitur: πῆμα κακὸς γείτων. Moto autem bello inter Antiochum Magnum & Ptolemæum Epiphanem, Dux Ægyptius Scopas occupauit Samariam & aliquot Iudææ vrbes, & Iudæos valdè adflixit. Postea cum Antiochus Magnus Scopæ exercitum deleuisset ad Iordanem, easdem vrbes sibi parere coegit, & ad Ierosolymam cum exercitu accessit. Sed Iudæi eum data pecunia placarunt, & honorificè in vrbem admiserunt, ac cum eo fœdus fecerunt. Ita rursus aliquantisper Iudæa tranquilla fuit, donec Pontificum furiæ maximas calamitates attraxerunt.

ANTIOCHO Magno tres filij fuerunt.
Seleucus Philopator.
Antiochus Epiphanes.
Demetrius.

SELEVCVS post patrem non diu regnauit: Alij duo fratres Romæ obsides erant. Huius Seleuci tempore cum Heliodorus templum Ierosolymæ spoliaturus esset, diuinitùs repressus est, vt narrat secundus liber Maccabæorum.

Cùm autem Antiochus Epiphanes audiuisset, patrem

trem mortuum esse, clam ex vrbe Roma fugiens regnum Syriæ occupauit, filio Seleuci pulso. Huius Antiochi historiam necesse est considerare, & propter Danielem, & propter Exempla calamitatum, & mirabilium liberationum Ecclesiæ.

Narrat autem Polybius, tantam fuisse petulantiam in hoc Antiocho, vt pro Epiphane dictus sit ἐπιμανὴς id est, furiosus. Interdum in conuiuia gestatus est velut funus, & cum Scurris & Mimis certauit. Talis fuit, qui DEO bellum intulit, & delere Ecclesiam conatus est. Regnare cœpit post mortem Alexandri anno centesimo & trigesimo septimo. Et cum astutus esset, ac nosset Romanorum potentiam, nihil contra Romanos mouit, sed protextu tutelæ adolescentis regis Ægyptij exercitum in Ægyptum duxit.

Nupta fuerat Ptolemæo Epiphani Cleopatra, soror Antiochi Epiphanis. Ex hac natus fuit Ptolemæus Philometor, cuius ætas cum mortuo patre nondum matura esset gubernationi, simulat Antiochus, se, quia auunculus erat, tutorem fore adolescentis, & sperat hoc prætextu se potiturum esse regno Ægypti. Cumq; venisset in Ægyptum, præsidia in Memphi & in alijs quibusdam vrbibus, tanquam tutor, collocat.

Erat tunc summus Sacerdos ONIAS, vir sanctus, qui propter legationem aberat. Quare eius frater IASON paciscitur cum Antiocho, redeunte ex

Ægypto, & promissa ingenti pecunia, petit sibi tradi summum Sacerdotium. Excipit ergo in vrbe Ierosolyma Antiochum, qui ingressus templum, multos homines interfecit, & spoliato Templo summum Sacerdotium Iasoni tradidit.

Hic primus aduentus Antiochi Epiphanis in vrbem Ierosolymam, qui incidit in annum sextum regni Antiochi, etiamsi multum habuit scelerum, tamen secundus aduentus post biennium longè vicit crudelitate & omnibus sceleribus, & calamitatum diuturnitate.

IASON inuisus populo, deinde expulsus in Arabia exul perijt. Successit Menelaus, qui Oniam absentem interfici curauit. Hunc Menelaum, cum adiuuisset crudelitatem Antiochi, postea filius Antiochi interfecit.

Tales cum fuerint summi Sacerdotes, Parricidæ & Ethnicorum socij, in cogendo populo ad cultum Idolorum, non dubium est, in vulgo multos fuisse similes ipsorum, vt dici solet: Scilicet in vulgus manant exempla regentum. Ita cum latè vagarentur contagia impietatis & crudelitatis in populo Dei, sequutæ sunt tristissimæ pœnæ.

Post biennium cùm Antiochus in Ægyptum rediturus esset, adest ibi legatus Senatus Romani POPILIVS, & præcipit nomine Senatus, vt ab Ægypto abstineat, & ex Ægypto præsidia abducat, quia Senatus pupillum defensurus sit, Antiochus vt eluderet

ret Romana mandata, tergiuersatur, & ambiguè respondet. Ibi legatus baculo in puluere circulum pingit circa Antiochum, & iubet eum planè respondere, priusquàm ex eo circulo egrediatur: Id nisi faciat, populum Romanum ei bellum indicere. Antiochus metuens Romanos, promittit se imperata facturum esse. Rediens igitur Ierosolymam, anno regni sui octauo, iratus, fremens & egens, longè maiorem crudelitetem exercere incipit, quàm antea. Proponit edictum, vt relicta lege Moisi adorent omnes Idolum Iouis Olympij, quod ipse in templum Ierosolymæ collocauit. Libros Moisi & Prophetarum vndiq; conquisitos igni consumpsit. Munit Idolum præsidijs sceleratissimorum militum. Iubet Bacchanalia celebrari in vrbe Ierosolyma. Interficit horrendis supplicijs multos senes, matronas, virgines, nolentes deficere à lege Moisi. Fuitq; tanta calamitas huius populi, quanta nulla fuit antea, vt & verba Danielis prædicunt.

Cùm autem multa iudicent homines ex rebus secundis & aduersis, multos hæc tristia spectacula mouerunt, vt à Deo deficerent, existimantes nihilo magis hunc populum esse Ecclesiam Dei, quàm alias gentes. Vt igitur pij confirmarentur, & scirent hanc pœnam breuem fore, ac sequuturos lætos exitus, & Deum rursus eiecturum esse Idolum ex Templo, prædixit DEVS hanc calamitatem & exitum scripto DANIELIS, & quidem dierum numerum expressit,

præsit. Ait hunc Tyrannum, vastaturum esse Iudæam, & prophanaturum Templum duobus millibus dierum & trecentis, id est, sex annis & sex mensibus. Suntq; tot anni à tertio anno Antiochi vsq; ad octauũ Antiochi, quo anno Maccabæus Templum recuperauit. Historia perspicuè recitatur in libris Maccabæorum, & annorum numerus congruit ad prædictionem Danielis. Idcò nunc præter historiam nihil addo.

Consentaneum est autem, quod vetustas sensit, Antiochum esse typum Antichristi, & quidem regni Pontificij. Alij accommodant ad regnum Mahometicum, de quo iam non disputo sed relinquo istas accommodationes iudicijs eruditorum. Et signa cum Pontificio regno congruunt: Idolum Maozim, prohibitio coniugij, aurea & argentea Idola & ornamenta, quibus Pontificij colunt & includunt Deum, sicut ipsi loquuntur. Ac nomen Moazim sonat, vt Maza & vt Missa, vt in Missa Pontificia & circumgestatione adoratur panis. Et hic cultus horribili sæuitia defenditur. Si quis igitur typum accommodare volet, prudenter consideret verba Danielis.

ANNO post mortem Alexandri centesimo, quadragesimo octauo, recuperauit templum Iudas Maccabæus, Mense Kisleu, qui ad mensem Nouembrem congruit, quòd & nomen indicat. Est enim Kisleu nuncupatus ab Orione, quem Ebræi nominant Kesil. Fuit is annus trecentesimus quadragesimus octauus

octauus post reditum ex Babylone. Fuit & centesimus quinquagesimus secundus ante natum Christũ ex virgine. Quare recens memoria fuit huius calamitatis, cùm Christus nasceretur. Cumq; recuperatio libertatis tempore Maccabæorum felix fuisset, multi inquieti homines exemplo Maccabæorum ex Iudæa Romanos eijciendos esse disputauerunt. Sed sancti intellexerunt, & causas fuisse dissimiles, & temporum aliam fuisse rationem. Nam Romani concedebant Iudæis αὐτονομίαν in cultibus, & mox finis erat futurus politiæ Mosaicæ. Antiochus autem non concesserat αὐτονομίαν in cultibus, & adhuc multum temporis ad finem politiæ Mosaicæ tunc restabat.

Vt autem tota defensio Ecclesiæ tunc plena fuit mirabilium operum DEI, & testimoniorum præsentiæ Dei in his, qui non defecerant à lege Moysi: Ita tandem interitus Tyranni ostendit, eum diuinitùs repressum esse. Cùm audiret Antiochus, profligatos esse exercitus suos à Iudæis, & Idolum ex templo eiectum esse, iratus nouam expeditionem fuscepit. In hoc apparatu excussus ex curru, magnis cruciatibus mortuus est, cùm regnasset annos duodecim.

Post ipsum vagatæ sunt pœnæ scelerum ipsius & per eos posteros, & per totum regnum Syriacum. Filius EVPATOR, cum duos annos tenuisset regnum, interfectus est à Demetrio patruo, qui reuersus ex vrbe Roma Syriam occupauit. Hunc Demetrium interfecit Alexander, qui se filium Antiochi

Antiochi Epiphanis nominauit, & habuit vicinorũ regum auxilia. Ptolemæus Philometor etiam filiam Alexandro dedit, sed postea & filiam & regnum ei eripuit, & tradidit Demetrio Nicanori. Alexander acie victus fugit in Arabiam, vbi interfectus est, & caput eius Ptolemæo missum est.

DEMETRIVS frater Antiochi Epiphanis duos habuit filios, Demetrium & Nicanorem, & Antiochum Sedeten. Expulit regno Demetrium frater Antiochus Sedetes, adiutus à Duce Tryphone, qui postea dominum interfecit, videlicet Antiochum Sedeten. Hic Tryphon pòst, cum triennio regnasset, rursus expulsus, à suis interfectus est. Ita continua fuerunt bella intestina & parricidia in familia Regum Syriæ.

Narrationes in hac historia propter rerum confusiones sunt obscuriores, Ideo breuissimè excepimus præcipua, vt in ruinis regnorum & causas & iudicium Dei consideremus, & precemur Deum, vt nunc quoq; ruentibus regnis pœnas leniat, & seruet Ecclesiæ reliquias.

Demetrij Nicanoris filius fuit Antiochus Gryphus. Antiochi autem Sedetis filius fuit Antiochus Cyzicenus. Hi duo inter se bellum gesserunt de regno Syriæ, & vterq; interfectus est. Gryphus ab Herodiano, Cyzicenus à Seleuco Gryphi filio. Horum etiam filij inter sese dimicârunt, quorum tempore accersitus Tigranes Rex Armeniæ, Syria potitus est.

Huic

Huic postea eam Lucullus ademit, ac deinde Pompeius Syriam fecit Romanam prouinciam. Hic finis fuit regni Syriaci, postquam Romana Monarchia deletis Tyrannis in Asia, vtcunq; pacem restituit. Tunc quoq; Pompeius ex vicina Syria ab Hircano accersitus, restituit pacem Iudææ, vt postea dicetur.

REGES ÆGYPTII post Alexandrum.

PTolemæus filius Lagi, qui inter Alexandri Duces iusticia & libertate excelluit, retinuit Ægyptum, cum & bellum inferret Perdiccas, vt supra dictum est.

2. Ptolemæus Philadelphus, quo regnante pax in Ægypto fuit. Cumq; antea in Ægypto doctrinarum possessio tantum penes Sacerdotes esset, & lingua ac literis Ægyptijs contineretur, huius regis consilio doctrinæ in Græcam linguam translatæ sunt, & instituta sunt studia Alexandriæ, vbi deinceps communia fuerunt omnibus discere volentibus, & rex vndiq; doctos viros accersiuit. Bibliothecam instruxit copiosissimam, & inquisiuit apud multas gentes vetera monumenta. Quare Callimachus librum scripsit de gentium originibus & migrationibus, & veterum vrbium conditoribus & legibus, quo libro amisso multæ veteres historiæ interciderunt:

Quia verò intellexit Ptolemæus, habere Iudæos vetustam

vetustam Patrum seriem, & vidit legem Iudæorum maximè congruere rationi, de vnitate Dei, & de honestis moribus, curauit & Iudæorum libros in Græcam linguam transfundi. Quare ad Eleasarum summum Sacerdotem, & vasa, quæ olim Iudæis adempta erant, & alia splendida dona misit, & ad se mitti interpretes petiuit. Missi sunt igitur duo & septuaginta viri, qui Moysen & cæterorum Prophetarum libros, & haud dubiè multa alia monumenta in Græcam linguam transtulerunt. Ita libri Prophetici multis gentibus facti sunt notiores, & propagata latiùs vera de Deo doctrina. Et cognitis monumentis Iudæorum rex Ptolemæus tanti fecit istam gentem, vt libertatem captiuis Iudæis in Ægypto donauerit.

Etsi autem multi disputant de Græca interpretatione, quæ hodie extat, qui fuerint autores, & qualis sit: tamen cum Paulus verba inde citet, apparet, eam etiam ante Apostolorum tempora vsitatam fuisse. Et corpus narrationum non malè redditum est, etiamsi alicubi occurrunt aliqua errata. Esset & magis perspicua lectio, si diligentius distincta esset. Summa tamen operis est vtile testimonium de significatione Ebræi sermonis.

Huius igitur Regis Ptolemæi Philadelphi labore & munificentia generi humano restituta sunt & latè propagata doctrinarum studia. Ac scribitur, motum esse consilijs doctissimorum hominum Aristæi, Stratonis & Demetrij Phalerensis, qui apud eum exul fuit, pulsus Athenis. Fuerunt apud eum alij docti viri, Callimachus, Apollonius, Aratus, Bion, Theocritus, Conon & Hipparchus Mathematici.

3. Regis Philadelphi filius fuit Ptolemæus Euergetes. Intulit bellum Regibus Syriacis propter interfectam Berenicen, quæ fuit soror Euergetæ, vt prædixit Daniel. Et supra narrata sunt parricidia, quæ fecerunt Seleucus Καλλίνικος & Antiochus Ἱέραξ. Cumq; Antiochus Ἱέραξ pulsus à Seleuco fugisset ad Euergeten, ibi interfectus est.

Studia doctrinarum instituta Philadelphi tempore, maximè floruerunt Alexandriæ regnante Euergete, qui & erga Iudæos benefícus fuit. Eius tempore collegit in Ægypto Iesus filius Sirach, sententias quæ adhuc extant quas inquit ab auo suo scriptas, sed à se auctas & in Græcum sermonem translatas esse, quarum lectio cum sit & vtilissima & dulcissima, liber ille familiarissimè notus sit omnibus. Et sciant Iuniores, quid discrimen sit inter Gnomas Ecclesiæ & Ethnicas. Nam Ethnicæ, vt Theognidis, tantum sunt præcepta aut admonitiones pertinentes ad secundam tabulam Decalogi. Sed in Ecclesia tradita sunt præcepta & admonitiones de vtraq; tabula Decalogi, de fide & de bonis operibus, Vt Syracides inquit cap. 32. *In omni bono opere credas in anima tua. Hoc est enim seruare mandata. Qui credit in* DOMINO, mandata eius curat, & confidens in illo non peribit.

Et in

Et in Prouerbijs Salomonis multa dicta sunt de filio Dei, de verbo, de fide, de veris cultibus valdè perspicua.

4. *Ptolemæus Philopator vicit Antiochum Magnum, afflixit Iudæos. Deinde Eurydice coniuge & sorore interfecta, libidinibus & cædibus contaminatus perijt.*

5. *Ptolemæus Epiphanes successit, cui Antiochus Magnus bellum intulit, sed postea dedit ei filiam Cleopatram vxorem.*

6. *Ptolemæus Philometor defensus à Romanis, cũ ei Antiochus Epiphanes Auunculus regnum ereptu-rus esset.*

7. *Ptolemæus Euergetes restituit in regnum Syriæ Demetrium Nicanorem.*

8. *Ptolemæus Physcon dictus à farcimine, propter tumidum ventrem, duxit sororem, eamq; interfecit, & filium ex ea natum inter epulas ei offerri iussit. Regno expulsus est.*

9. *Ptolemæus Alexander, frater Physconis, regnauit pulso fratre. Postea & ipse expulsus est.*

10. *Ptolemæus Lathurus, id est, clàm reuersus, nominatur à Plutarcho Lamyrus, id est, dicax. Exulauit in Cypro. Postea rediens triginta millia Iudæorum trucidauit, & coëgit captiuos vesci interfectorum cadaueribus. Harum horribilium calamitatum spectatores fuerunt multi sancti ho mines, qui tunc vixerunt, Simeon, Zacharias, & multi alij, quo tempore*

pore simul in Iudæa fratres inter se parricidijs certabant, Aristobulus, Antigonus, & Alexander Ianneus.

11. *Ptolemæus Auletes, pater Cleopatræ Antonij, Exulans Romæ. Deinde reductus in regnum per Gabinum.*

12. *Ptolemæus Dionysius, frater Cleopatræ, qui Pompeium interfecit, & postea Iulium Cæsarem hospitio exceptum opprimere conatus est. Sed cum Iulius Cæsar magnis prælijs vicisset exercitum regium, rex in scapha effugere conatus, inter collisas naues in tumultu fugientium, euersa cymba in mari perijt. Postea dedit Iulius regnum Cleopatræ, quæ post mortem fratris vsq; ad annum Octauij Augusti duodecimum regnauit, quo anno victi Antonius & Cleopatra sibi mortem conscíuerunt. Hic finis fuit regni & posteritatis Ptolemæorum in Ægypto. Postea, vt dicemus, Ægyptus facta est prouincia Romana ab Augusto.*

DVCES IVDÆORVM POST reditum ex Babylone.

Ecclesiam in exilio Babylonico mirandis operibus diuinis & seruatam & ornatam esse ingenti gloria inter magna pericula, dictum est supra in Monarchia Persica. Fuitq; post reditum ex Babylone mediocris tranquillitas Iudææ vsq; ad Ochi tempora. Nam & Nehemiæ longa ætas fuit, videlicet annorũ centum & triginta, qui si attigit tempora Ochi, vidit

nouam populi calamitatem in vltima senecta. Tenentur autem nomina Ducum post Ieconiam. Etsi enim posteri Dauid vsq; ad Maccabæos fuerunt Principes populi, tamen non nominauerunt se Reges, vt existimo propter reuerentiam Persicorum Regum, ne viderentur velle pares esse Monarchis, præsertim, cum ab eis ingentia beneficia accepissent. Suntq; appellationes Ducum in Luca.

IECONIAS, id est, erectus, stabilitus, in exilio honoratus. Nominatur apud Lucam Neri, id est, Lucerna mea.

Huius filius fuit SEALTHIEL, id est, postulatus à Deo. Fuit autem in reditu Dux primus, filius Sealthiel.

Zorobabel Dux præfuit annos quinquaginta octo. Etymologia est: Alienigena Babylonis. Huius mentio fit in Haggæo & Zacharia.

Resa Mesollam secundus Dux sexaginta sex annos. Etymologia est: Caput pacificum. Huius tempore veniebant Ierosolymam Esdras & Nehemias.

Iohanna Ben Resa, tertius Dux, quinquaginta tres.

Iudas Hircanus primus, quartus Dux, annos quatuordecim, fortassis eò dictus Hircanus, quòd eius tempore Ochus transtulit partem Iudæorum in Hircaniam, iuxta mare Caspium. Præfuit Iudææ, cum Alexander vicit Darium.

Ioseph primus, quintus Dux, annos septem.

POST

POST ALEXANDRVM.

ABNER Semei Dux sextus, vndecim annos. Huius tempore Ptolemæus Lagi filius Ierosolymam fraude cepit in Sabbatho, simulans se sacrificaturum esse.

Eli Matathia septimus Dux, annos duodecim.

Asar Mahat, octauus Dux, id est, beatus percussor, annos nouem.

Nagid Artaxad, nonus Dux, præfuit annos decem. Significat Nagid Principem, Arta magnum, Hesid sanctum. Huius tempore missi sunt septuaginta interpretes in Ægyptum ad Philadelphum, fuitq; tranquilla Iudæa.

Haggai Eli decimus Dux, præfuit octo annos. Significat festum Dei mei. Lucas nominat Essi, id est, seruatum.

Maslot Naum vndecimus Dux, præfuit annos septem. Significat Dominum iucundum.

Amos Sirach duodecimus Dux, præfuit annos quatuordecim. Fortis præliator.

Mathatia Siloah tredecimus Dux, datus à Deo, felix seu missus, præfuit annos decem.

Ioseph Iunior quartus decimus Dux, nominatus Arses, honoratus à Ptolemæo Euergete, præfuit annos sexaginta.

Ianna secundus Hircanus, quindecimus Dux, annos sedecim. Multis prælijs vicit Arabes. Postea in defensione arcis cuiusdam, quam oppugnauit Antio-

chus Epiphanes, interfectus est hic Ianna secundus Hircanus. Fuitq; postremus Ducum ex posteris Dauid. Nam scelera Pontificum attraxerant Antiochū Epiphanem in Iudæam, quem cum armis reprimerent Maccabæi postea Principatum hi tenuerunt, cum essent nati ex tribu Leuitica.

Post Maccabæos Iudæam regendam dedit Iulius Antipatro Idumæo, cuius virtutem & fidem in bello Alexandrino expertus erat. Hic Antipater pater fuit Herodis primi. Ita prædictum fuerat in vaticinio Iacob, venturum esse Messiam in fine politiæ Iudaicæ, cùm iam peregrini in Iudæa Reges essent. Et tamen ne stirps Dauid ignota esset, oportuit non longum tempus esse à postremo Duce ex stirpe Dauid ad Christi natalem. Sunt autem anni centem sexaginta. Erat igitur recens memoria postremi Ducis, & familiæ eius.

Extat ijsdem appellationibus Ductum series apud Lucam & Philonem, vsq; ad postremum Ducem Ianna Hircanum, filium Ioseph. Dein de Lucas attexit quatuor patres, qui non fuerunt Duces. Sed multi familiam nosse poterant. Vt autem series in conspectu sit, recitabo hic & Maccabæos.

SERIES PRINCIPVM ET REGVM qui ex Maccabæis orti sunt.

NOmen MACCABÆI sumptum est ex literis pictis in vexillo, quæ significabant: Quis sicut

sicut Dominus in Israël? Extat autem series familiæ in primo libro historiæ Maccabæorum.

Matathias contra Antiochi Epiphanis Duces primus arma tepit, & filijs hortator fuit, vt exercitus colligerent, & defenderent reliquias Ecclesiæ, & rursus expellerent Antiochi exercitus, sicut Daniel futurum prædixerat: Iuuabuntur auxilio paruulo.

Sciendum est autem, eius temporis calamitatem, dißipationes & liberationes, imaginem esse postremi temporis in Ecclesia.

IVDAS Maccabæus filius Matathiæ, fuit Dux annos quinq;. Cùm Antiochus post secundum reditum ex Ægypto collocasset Idolum in Templo, anno 2245. mense Kisleu, qui nobis est Nouember, sequenti anno Iudas Maccabæus collecto exercitu defendere populi reliquias cœpit, & quatuor Duces ordine magnis prælijs vicit, Apollonium, Seronem, Gorgiam & Lysiam. His profligatis recuperauit & purgauit Templum cremato Idolo. Estq; facta Templi repurgatio in fine tertij anni mense Kisleu, eodem die, quo idolum ante tres annos in Templum collocatum fuerat. Circa id tempus & Antiochus Epiphanes mortuus est. Et iam spes erat pacis, sed rursus scelere summi sacerdotis Alcimi attracti sunt hostes ex Syria regnante Demetrio. Fuitq; difficilius bellum propter Alcimi perfidiam, qui intra mœnia Ierosolymæ insidiabatur Maccabæis.

Fuit autem tanta superbia Ducis Syriaci Nicanoris, vt extenso brachio contra Templum iurauerit, se hoc templum igni deleturum esse. Sed huic Nicanori in acie interfecto præcidi victor Iudas caput & brachia iussit, & suspendi ea ante Templum, vt conspiceretur exemplum pœnæ blasphemi hominis.

His tantis rebus diuinitùs, & feliciter gestis per annos quatuor, deinde fœdus fecit cum Romanis. Post id fœdus infeliciter pugnans in acie cecidit. Quia Deus voluit ostendere, Ecclesiam non debere confidere peregrinorum Regum præsidijs & fœderibus, sed ab ipso petere & expectare defensionem, iuxta dictum: Maledictus, qui confidit in homine. Nam & Ionathæ fratri postea exitio fuit perfidiosa Regum amicitia.

Ionathas frater Iudæ, Dux fuit annos nouendecim. Fuit amicus regum Syriæ, Alexandri & Tryphonis, de quibus supra in catalogo regum Syriæ. Etsi autem rursus tunc mediocris status fuit Iudææ, tamen cum iam velut conductitij militarent apud Syriacos reges inter sese dimicantes, doctrina, disciplina & mores in Iudæa magis corrumpebantur. Et Ionathas Tryphonis insidijs interfectus est. Ita paulatim status Iudææ ruit in deterius.

Simon frater Iudæ Maccabæi fuit Dux annos octo. Repulit Tryphonem & Antiochum Gryphum. Expulit ex arce Sion & ex alijs locis reliquias præsi-

præsidiorum Syriacorum, ita, vt sub eo prorsus fuerint ex Iudæa peregrinæ gentes eiectæ.

Cumq; iam non solum pax in Iudæa esset, sed restituta etiam esset vetus forma Reipublicæ, Templi dignitas & vsitati cultus: Simon à genero suo Ptolemæo, cui dederat præfecturam Iericho, interfectus est. Ita postrema ætas in illo populo valdè inquieta fuit, Et tamen inter hos tumultus mirabiliter Deus Ecclesiæ reliquias seruauit.

Patri Simoni successit filius Iohannes Hircanus, qui fuit Dux annos triginta vnum, excellens virtute & felicitate. Repulit Antiochum Gryphum, qui obsederat Ierosolymam. Deinde cepit & destruxit ipse Samariam, quam obsederat totum annum, & Templum ibi conditum post Alexandrum ab impijs deleuit. Cepit & oppida quædam in finibus Syriæ & Idumææ. Sed sub eo, in illa gentis Iudaicæ senecta, inter bella & in permixtione Ethnicorum dilacerata est Iudæa Sectis. Præcipuè verò nominantur Pharisæi, Zadducæi & Essæi.

Etsi autem nomen Pharisæorvm aliqui fecerunt à segregatione, tamen multi deriuant ab exponendo, qui iudicant Pharisæos dictos esse, quasi expositores seu interpretes scriptorum Propheticorum. Et horum nomen antiquius cæteris videtur. Hi non abiecerunt libros Propheticos vt Zadducæi, sed transformarunt doctrinam legis & promissionem prorsus in Politicam seu Philosophicam doctrinam.

Dixerunt lege Dei tantum externam disciplinam præcipi, & homines disciplina mereri remissionem peccatorum, & iustos esse coram Deo, & hæredes æternæ vitæ. Item, Sacrificia mereri remissionem peccatorũ. Et addiderunt multa exercitia ceremoniarum, ieiunia & lotiones, quæ ipsi finxerunt, vt apud nos Monachi. De MESSIA docuerunt, occupaturum esse prouincias. Negauerunt Messiam fore victimam ad placandam iram Dei. Amiserunt doctrinam de natura diuina Messiæ, quæ loquuta est cum Patribus & Prophetis, & semper adfuit Ecclesiæ. Beneficia Messiæ somniarunt hæc fore: Ipsum mille annos in hoc mundo viuentem regnaturum esse, lege Moisi imposita Gentibus, Et Iudæos fore gentium Principes, & longæuos fore trecentorum aut quadringentorum annorum, & futuram esse dulcem pacem & auream ætatem in toto genere humano. Postea sequuturum esse postremum iudicium, in quo hostes populi Iudæorum in æternas pœnas abiecturus esset, & suis daturus æterna bona.

ZADDVCÆI post Phariseos orti, magnam potentiam in populo adepti sunt, fuitq; grata professio. Quia cum Pharisæi nimis multis traditionibus onerassent populum, hi fecerunt laxationes. Ac non solum traditiones Pharisaicas abstulerunt, sed etiam abiecerunt Phrophetas omnes, præter Moisen. Hunc vnum se amplecti simulabant, & tamen negauerunt

uerunt animas esse superstites eximctis corporibus. Negauerunt & corporum fore resuscitationem. Dixerunt autem Legi obtemperãdum esse, quia obedientia mereatur tranquillitatem huius vitæ, & contumacia pœnas. Horum cum & multitudo & potentia magna esset, inter Pharisæos & ipsos adsidua certamina fuerunt, vnde & in gubernatione crebri tumultus orti sunt. Est autem horribile exemplum, quòd in tam exiguo populo non solum dilaceratio tanta Gentis facta est, sed etiam Doctrina tam variè à Sectis corrupta est. Deniq; quòd prophanitas adeò creuit, vt essent in hoc populo, qui nomen habebant Ecclesiæ Dei, qui palam Epicuræas opiniones defendebãt. Plerunq; autem pessimi Hypocritæ arroganter sibi gloriosissimas appellationes tribuunt. Ita Zaddvcæi nominarunt se à Zaddic, quod est iustus, quasi nominati essent iusti seu iusticiarij. Alij fecerunt alias Etymologias, quas omitto.

ESSEI, id est, Operarij, ab Asa, quos sic dictos esse apparet, quia cum viderent alios assiduis contentionibus perturbare Rempublicam, & retinere vitæ turpitudinem, ambitionem, luxum, odia & alia vitia, ipsi amantes modestiæ & pacis, discesserunt ab illis, & ostenderunt, se bonis operibus, non rixis, velle Deo seruire. Sed cum pauci essent, nec peterent gubernationem Reipublicæ, secesserunt ad loca vicina horis Balsami & Palmarum, ibi & coluerunt hortos, & artem Medicam didicerunt, & remedia appararunt,

& cùm laboribus medicationis, qui sunt magni & graui, tùm alijs multis officijs beneficentiam erga multos reipsa exercuerunt, disputationum vanitate omissa. Distribuerunt dicm in tempora precum, lectionum, laborum, cibi & potus. Lucra etiam contulerunt in commune ærarium sine superstitione, vt inde suis & alijs honestis in egestate & in morbis opitularentur. Denique Schola fuit medica, & eruditione & exemplis virtutum excellens. In Eusebio legitur dicti esse quasi θεωρητικοὺς, Et dicitur ὑπέρτεροι σοφίᾳ τῶν φαρισαίων, id est, longè antecellentiores Pharisæis. Apparet autem Eusebium nomen fecisse ab Aza, quod est, considerare, speculari.

Dolendum est autem, quod cùm manifesto auxilio Dei Iudæa defensa aduersus Antiochum, & tandem liberata esset, mox in pace opinionum dissidijs dilacerata est. Posteo etiam bella ciuilia, & statim fratrum parricidia sequuta sunt. Hæ calamitates postremi temporis in Iudæa sunt imago extremæ senectæ mundi. Vt autem tunc inter tot factas & bella mirabiliter Deus aliquas Ecclesiæ reliquias seruauit, vt fuerunt Simeon, Zacharias, Elizabeth, Anna, Maria, Ioseph, & alij multi, aliena à deliramentis Pharisæorum & Sadducæorum, ac retinentes Propheticam doctrinam sine corruptelis, sicut Esaias inquit: Obsigna legem in discipulis meis: Ita nunc Deus quoq; immensa bonitate reliquias Ecclesiæ seruat, agmen exiguum, quod retinet fundamentum, & Deum rectè inuocat,

inuocat, & fugit Idola, cùm interea ingens multitudo sit defendentium Idola, & hostium doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, qui sunt parricidæ membrorum Christi, videlicet Mahometici, Papa, Monachi & eorum satellites, et tota ista colluuies defendentium Idola. Monent autem illa vetera exempla, vt in tantis dissidijs certo statuamus, seruari tamen cœtum aliquem, qui est vera Ecclesia Dei, et vt sapienter quæramus, quæ & vbi sit illa vera Ecclesia Dei, & nos ad eam adiungamus, sicut scriptum est: Oues meæ uocem meam audiunt. Item Psalmo 83. Beati qui habitant in domo tua Domine. Item Psalmo 91. Plantati in Domo Domini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

REGES EX FAMILIA Maccabæa.

FIlius Ioannis Hircani fuit Aristobulus, qui se REGEM nominauit primus post reditum ex Babylone, oblitus modestiæ priorum Ducum. Sed dedit pœnas superbiæ. Non enim diutiùs anno regnauit. Interfecit fratrẽ Antigonum præstantem virum, falsò suspicãs, eum appetere regnum. Interfecit & matrem, à qua existimabat adiuuari Antigonum. Postea cùm dolore conscientiæ in magnis cruciatibus esset, iussit se in locum fraternæ necis gestari, ibi uomens sanguinẽ mortuus est. Hæc horribilia scelera in populo Dei fecerunt Principes, nati ex viris sanctis et optimè meritis.

Tales

Tales calamitates postremi temporis consideremus, & petamus nos regi à Deo, & seruari veræ Ecclesiæ reliquias.

Secundus Rex Alexander Iammeus, regnauit annos viginti septem, filius Hircani minimus natu. Sub eo tristissima clades accepta est, in qua Ptolemæus Lamyrus trucidauit triginta millia Iudæorum, & captiuos interfectorum carnibus vesci coëgit: Propter seditiones motas à Pharisæis, qui regio nomini aduersabantur, occidit ipse sex millia Iudæorum. Postea bellum gessit felicius contra Arabes.

Successit Alexandro coniunx Alexandra, quæ & Salome nominatur. Gubernatio eius tranquilla fuit, quia adiunctos habuit Pharisæos, quorum consilio Rempublicam administrauit. Regnauit annos nouem.

Alexandri filij duo fuerunt: Hircanus & Aristobulus. Etsi autem Hircanus maior natu erat, tamen Aristobulus collecto exercitu regnum inuasit, adhuc viuente matre. Defenderunt autem Hircanum initio Antipater Idumæus & Aretas rex Arabum. Postea cum Scaurus Pompeij legatus corruptus pecunia iuuaret Aristobulum, misit & Hircanus ipse Legatos ad Pompeium, qui cognito iam negotio Ierosolymam accessit cum exercitu, & vrbe occupata in Sabbatho tradidit Hircano gubernationem & summum Sacerdotium, & abduxit Romam captiuos Aristobulum & eius filios, Alexandrum & Antigonum.

In his

In his seditionibus & fratrum parricidijs non solum disciplina Iudaica, sed etiam doctrina magis extincta fuit. Nec finis fuit domesticarum seditionum, donec Iudæa redacta est in formam prouinciæ. Ibi quanquam peregrini Magistratus dominarentur, tamen concessa est Iudæis αὐτονομία in doctrinæ & cultibus, & mediocris tranquillitas fuit, ne Ecclesia funditùs extingueretur.

Alexander cum patre Aristobulo captiuus cùm Romam duceretur, in Cilicia elapsus rediit in Iudæam, & occupata parte Galilææ, à Gabinio captus est. Postea tempore belli ciuilis Pompeiani, quia seditiones moliebatur, à Scipione Pompeij socero Antiochiæ securi percussus est.

Antigonus à Iulio post bellum ciuile Pompeianum dimissus, Parthorum auxilijs recuperare Iudæam conatus est, præsertim mortuo Antipatro, cum Iudæi mallent ipsi parêre, quàm filijs Antipatri. Et senex Hircanus, patruus ipsius, summus Sacerdos, ab eo captus, & in Parthiam abductus est, precisis auribus. Hunc Antigonum tertio anno postquam Herodes Rex factus erat, Antonius capitali supplicio affecit, Herodes autem Hircanum, patruum Antigoni, reuocatum ex Parthia interfecit octogenarium.

Hic tristis exitus fuit familiæ Maccabæorum, quos Deus ornauerat insigni gloria. Ex his orti nepotes inter sese horrendam lanienam exercuerunt, peregrinas gentes attraxerunt, & doctrinam, leges & disci-

disciplinam patriæ valdè labefactarunt. Quorum historia imago est postremi temporis in Ecclesia, in qua etiam certamina ambitionum inter doctores corrumpunt doctrinam & disciplinam. Cumq; considerabimus quàm turpiter degenerauerint Maccabæorum posteri, non confidamus maiorum meritis aut virtute, sed simus eò modestiores, vt Dei dona à maioribus accepta retineamus.

HERODIS POSTERITAS.

CVM Iulius in Ægypto periculosum bellum gereret, multum ei profuit Antipatri Idumæi prouidentia & fides, quia regiones illæ huic notissimæ erant, & flexit ad amicitiam Iulij Memphitas & alios. Ideo Cæsar Antipatro tradidit Iudæam regendam sine Regio nomine gubernatoris. Deinceps igitur Iudæa peregrinos Principes ex Ethnicis natos, habuit, Quod cùm ægrè ferrent Iudæi ac disputarent, Tribui IVDA regnum promissum esse donec Messias nasceretur, subinde atroces seditiones mouerunt. Ac Antipater, qui sapienter & moderatè dominabatur, veneno necatus est à Iudæo Malcho, quem postea Herodes prope Tyrum interfecit,

HERODES primus filius Antipatri, quem & Ascaloniten nominant, ac Ascalon, quæ fuit in Idumæa, viuo patre Galilæam magna cũ laude virtutis rexit,

rexit, & seditionem motam à quodam Ezechia, oppressit. Cumq; post mortem Antipatri sperarent Iudæi, ipsius filios excuti ex regno posse, attrahunt exulantem apud Parthos Antigonum, de quo supra, qui adiutus à Parthis, potitur vrbe Ierosolyma. Sed cum aliquot prælijs vicisset, Herodes nominatus est ab Antonio totius Iudææ Tetracha. Post paucos annos cum Romam venisset, Octauio & Antonio dominantibus, Regis nomine ornatus est, & Rex totius Iudææ appellatus in Capitolium ductus est, medius inter Octauium & Antonium, Olympiade centesima octuagesima quinta.

Tertio anno pòst, cum Antonius venisset Antiochiam, secuti percussit Antigonum. Deinde Herodem assiduæ seditiones exercuerunt, sed victor occidit summum Senatum populi Iudaici, quem nominabant septuaginta duos seniores.

ANNO tricesimo regni Herodis NATVS EST EX MARIA VIRGINE FILIVS DEI, DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS. Hic numerus anni à multis traditus est, quos sequor. Nec diligentiam illorum improbo, qui tres annos adijciunt, sed disputationem omitto.

Herodes filios Antipatrum, Aristobolum & Alexandrum propter suspitionem insidiarum occidit. Successerunt patri Herodi tres filij, Archelaus, qui Iudæam tenuit sine nomine Regio annos nouem.

Huius

Huius mentio fit in Matthæo. Herodes Antipas, quem nominamus Secundum, qui Galilæam tenuit, à quo interfectus est IOHANNES BAPTISTA. Philippus, qui tenuit Trachonitida siue Ituræam. Nomen Antipas mutilatum est ex ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΣ. Trachonitis Græcum est, confragosa, aspera seu scopulosa. Item significat Ituræa Ebræis, à vocabulo Tira, quod significat turrem, siue in montibus angustas fauces.

Archelaus & Herodes Antipas relegati sunt, cũ quidem Herodes Antipas Romam profectus esset, vt regnum impetraret, quo non impetrato, in reditu Philippi coniugem duxit vxorem. Postea relegatus mortuus est in Gallia. Nomen tenuit TETRARCHIÆ, quod significat Principem, id est, non Regem, sed habentem Regi similem gubernationem, videlicet Agricolas, Opifices, Curiam & Militiam, sed ita, vt superiori domino pareret.

Herodes tertius, cuius cognomen est Agrippa, filius Aristobuli (interfecti à primo Herode) qui interfecit Iacobum Apostolum filium Zebedæi. Hunc Herodem Agrippam Tiberius Romæ carceri inclusit, quod familiaris esset C. Caligulæ, quem Tiberius imperij successorem esse non voluit. Postea Caligula eum liberauit ex carcere, & dedit ei Trachonitidem, quam Philippus tenuerat, & attribuit Regium nomen. Claudius addidit Samariam & Iudæam. Ita rursus vnus fuit Rex Herodes Agrippa, Iudææ, Samariæ

mariæ, & Galilææ, qui regnauit annos septem, puntus postquam necauit Iacobum, sicut narratur Actorum 12.

Post huius Herodis Agrippæ mortem, cum filius Agrippa esset adolescens, & Iudæa plena seditionum esset, rursus per Romanos Magistratus administrata est. Sed Claudius tradidit huic Agrippæ Chalcidem in Syria & Regium nomen, & Trachonitidem. Nero addidit aliqua oppida in Iudæa. Huius Agrippæ tempore Ierosolyma deleta est. Fit eius mentio Actorum 21. Regnauit annos viginti septem. Philo scribit, huic Agrippæ filium fuisse alium Agrippam socium seditiosi viri, qui tempore Adriani Imperatoris magnum exercitum collegit, vt restitueret & politiam Iudaicam, & se nominauit Ben Cochab, id est, filium stellæ. Postea cum infelix euentus fuisset, nominatus est Ben Cosban, id est, filius mendax siue mendacij. Cumq; Bethoron triennio obsessa fuisset, domiti sunt Iudæi, partim prælijs, partim fame, trucidatis amplius trecentis millibus ab Imperatore Adriano. Hic finis est familiæ HERODIS, quæ annos centum & tres dominata est, vsq; ad finem Agrippæ, qui fuit filius Herodis Agrippæ Regis.

BELLA ROMANA TEMPORE tertiæ Monarchiæ.

IN tertia Monarchia breuiter recitaui Persici regni finem, Alexandri victorias, & post eius mortem quatuor præcipua regna successorum, sicut Daniel prædixerat, Ægyptium, Syriacum, regnum Antigoni in minore Asia, & Macedonicum. Diximus etiam, Iudææ & Ecclesiæ mediocrem fuisse tranquillitatem tempore Alexandri, & proximorum successorum, vsq; ad Antiochum Magnum. Interea paulatim creuit Romana potentia. Fuit autem maximè memorabile bellum, quod Romani tempore Philadelphi gesserunt cum Rege Pyrrho & Tarentinis, motum anno à condita vrbe quadringentesimo septuagesimo secundo, quia Tarentini & classem Romanam diripuerant interfecto Duce, & Legatos Tarentum missos pulsauerant. Viile est autem totam historiam Pyrrhi nosse, quæ legatur apud Plutarchum. Virtus fuit excellens Pyrrhi. Sed cum multa bella simul moueret, & inchoata non pertexeret, potentia ipsius paulatim languefacta est.

Post bellum Tarentinum insigne exemplum Romanæ iusticiæ narratur: Romana Legio, quam nominant Campanam, præsidij causa in vrbem Rhegium collocata, Rheginos ciues interfecit, & eorum bona & agros occupauit. Romani igitur, vt ostenderent, se fidem socijs debitam non velle violare, punire suos milites decreuerunt, & potiti vrbe Rhegio trecentos, quia non plures viui in Consulis potestatem

venerant, securi percusserunt. Cæteri sceleris socij in oppugnatione perierant.

Postea anno vrbis quadringentesimo octuagesimo nono, motum est primum bellum Punicum, quia Carthaginenses Hieroni Syracusano, socio populi Romani, regnum eripere conabantur. Etsi autem Carthaginenses sæpè magnis prælijs victi sunt, tamen Romanæ clades propter crebra naufragia maiores fuerunt. Ac imprimis Reguli fortuna & fides in primo bello Punico insignis fuit.

Anno nono eius belli, cùm duo Consules, Manlius & Regulus in Aphricam traiecissent, & post reditum Manlij ad vrbem, Regulus in Aphrica mansisset, vicit acie duos, Asdrubalem & Amilcarem patrem Annibalis. Trucidauit octodecim millia Pœnorum, quinq; millia cepit, & octodecim Elephantos.

Sequenti anno Regulus victus est, & trucidata triginta millia Romanorum, capta quindecim millia, Regulus catenis vinctus est.

Anno quinto post hanc cladem, tunc Metellus viginti millia Carthaginensium trucidasset, Elephantos interfecisset sex & triginta, cepisset centum quadraginta sex, Regulus missus est Romam, vt pacem aut permutationem captiuorum Carthaginensibus peteret, dissuasit vtrunq;. Nec tamen violauit datam fidem de reditu ad Carthaginem. Reuersus est igitur Carthaginem, vbi postea crudeli supplicio necatus est. Postea rursus magnæ clades vtrinq; acceptæ sunt, sed

nono anno post Metelli victoriam Luctatius Consul, cum vidisset Hannonem adducere nouam classem ad Amilcarem, priusquàm duo exercitus coniungerentur, statim dimicauit, ad insulas Ægates, cepit Punicas naues sexaginta tres, demersit centum viginti quinq, cepit viginti duo millia hominum, trucidauit tredecim millia, postea properauit ad Amilcarem, & eum ex Eryce discedere coëgit. Pœni qui fuerant in Eryce venditi singuli denarijs octodecim. Postea petentibus Carthaginensibus data est pax, fuitq; hic finis primi belli Punici, anno vicesimo quarto postea quàm motum est. Estq; hic annus vrbis conditæ quingentesimus duodecimus.

Ac præcipuè insignia exempla sunt in hoc bello, fortuna & fides Reguli, & celeritas Luctatij.

DE TEMPORE INTER PRIMVM bellum Punicum & Secundum.

INter finem primi belli Punici & initium secundi sunt anni quinq, & viginti. Suntq; interea magnis prælijs victi propè Mediolanum INSVBRES & BOII, & Gallorum ac Teutonum noui exercitus, qui ad defendendos Insubres iuga Alpium transierant, & iurauerant, se Romam deleturos esse. Nec contempserunt Romani periculum, sed magnos exercitus opposuerunt. Curius & Flaminius Coss: non procul à Mediolano trucidauerunt quadraginta millia Gallorum & Teutonum. Horum Dux Ariouistus, quod

quod est Ehrnvest/ captus est, vt scribit Polybius.

Sequente anno Coss: fuerunt M. Claudius Marcellus, & Cn. Cornelius Scipio. Marcellus is est, qui deinde post Cannensem cladem vicit Annibalem. Cn. Cornelius Scipio patruus fuit Aphricani, à quo in Aphrica victus est Annibal. Cùm autem duce Viridomaro, quòd est Friedmeier/ id est, custos pacis, rursus triginta millia Gallorum & Teutonum ad Mediolanum accederent, & Coss. Mediolanum obsiderent, Marcellus partem exercitus duxit aduersus Viridomarum. Cumq; hunc insignem armis auro ornatis ante aciem vidisset, quia Ducem esse ratiocinabatur, Marcellus rectà impetum in eum facit, & Ioui spolia opima vouet. Non fugit hostis, sed acerrimè dimicãs, tandem accipit letale vulnus. Interea & exercitus inter sese confligunt, sed interfecto Duce Viridomaro, prima acie perterrefacta & turbata, Romani alacres instant cedentibus. Marcellus spolia hosti detrahit, quæ postea reuersus Romam affixa querno trunco gestat in Capitolium, exemplo ROMVLI, sicut vouerat. Mox verò post illam pugnam triginta millibus hostium profligatis ad obsidionem Mediolani redit, vbi cùm copiæ Coss: rursus coniunctæ essent, vi captum est Mediolanum. Deinde vicina oppida deditionem vltrò faciunt. Ita deletis peregrinis exercitibus Italia ingenti terrore liberata est. Ac plurimum attulerunt momenti ad victoriam, consilium, celeritas, fortitudo & felicitas Marcelli, qui & an-

qui & anno post trucidatum Viridomarum nono, anno post eadem Cannensem tertio vicit Annibalem.

Cùm talis excellens virtus in imperiorum constitutione conspicitur, cogitemus Deum constituere imperia, & id non fieri sine ingenti labore, & Deum velle agnosci suam præsentiam in illa virtutum excellentia, & in ipsa imperiorum constitutione, quæ fit, vt aliqua pars generis humani & honestæ societates conseruentur. Huius Marcelli mentio fit in sexto libro Æneidos:

Aspice vt insignis spolijs Marcellus opimis
Ingreditur: Victorq; viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq; rebellem,
Tertiaq; arma patri suspendet capta Quirino.

Hæc de MARCELLO diximus, quia valdè prodest excellentes viros in omnibus historijs considerare, propter eas causas, quas recitaui. Quia discendum est, Imperia à Deo constitui, & Deum dare excellentem virtutem & successus: Et hæc dari non ignauis, sed laborantibus, sicut in Æschylo dictum est: ἀλλ' ὅταν πονῆται τις, αὐτὸς, καὶ θεὸς συναίρεται.

Polybius inquit, huius belli Gallici pericula & prælia fuisse non minora, quàm vlla in cæteris fuerunt, sed à Celtis omnia magis impetu, quam consilio acta esse: θυμῷ μᾶλλον ἢ λογισμῷ βραβευθῆναι.

De

DE ARATO SICYONIO.

EXemplum est Aratus Sicyonius gubernatoris sapientis, iusti, moderati in victoria ciuili, & experti fortunæ inconstantiam, & infidas Regum familiaritates. Quem eò præterire nolui, quia Cicero eius mentionem facit. Et in eius historia conspicitur, quàm varij tumultus, & quales tyrannides in Græcia tunc fuerint, cùm nondum à Romanis defenderetur.

Aliquantò ante bellum Gallicum, in quo Marcellus victor deleuit magnum exercitum Celtarum, id est, Gallorum & Teutonum, clarus fuit in Græcia Aratus Sicyonius natus patre Clinia, qui fuit princeps Sicyonis, quem cùm interfecisset Abantidas qui rapuit dominationem, postea filius Cliniæ Aratus exul, aditus à cæteris exulibus nocte conscensis muris patriam cepit. Cumq; Tyrannus fuga euasisset, vetuit Aratus vllum ciuem interfici. Opes Tyranni dedit exulibus. Quia verò exulum prædia iam ab alijs ciuibus possidebantur, & multa hæreditatibus, dotibus, aut venditionibus translata erant, eiectis possessoribus noua bella sequutura erant. Vt igitur paci ciuitatis consuleret Aratus, adhibitis Senatoribus transactiones instituit. Precia numerat ijs, qui volentes cedebant, aut si qui cedere nolebant, tantundem pecuniæ dat exulibus, quanti æstimabantur fundi. Hanc ad rem sumsit à Ptolemæo talenta centum & quinquaginta, id est, nonaginta millia coronatorum. Hac

compensatione pax ciuitatis retenta est. Postea hic creatus Dux Achæorum, liberare & vicinos instituit. Ex arce Corinthi & ex Athenis eiecit Macedonica præsidia. Deinde Cleomenem regem Laconicum conatus est reprimere, qui & Ephoros sustulerat, & vicinis bellum inferebat, à quo magno prælio victus est. Cùm autem & Cleomenis audaciam & robur Laconicum metueret, ad belli societatem Antigonum regem Macedonicum inuitauit, qui adducto exercitu magno prælio vicit Cleomenem, qui amisso regno fugit in Ægyptum, vbi captus mortem sibi consciuit.

Postea mortuo Antigono Rege successit in regno Macedonico PHILIPPVS Persei pater. Cùm autem Ætoli renouarent bellum aduersus Achæos, & eorum oppida caperent, & exercitus funderent, nec pares essent Achæi, rursus accersiuit Aratus auxilia Macedonica. Cumq; multa consilijs Arati præclarè gererentur, factus insolentior Philippus crudelitatem naturæ suæ paulatim detexit: Messenios præcipuos & alios passim iniustè interfecit. Deinde & coniugem filij Arati corrupit. Quæ scelera senex Aratus ægrè ferens, se ab eo disiungit. Sed Philippus & patrem Aratum & filium veneno necauit. Cumq; sanguinem vomeret Aratus pater præsentibus amicis, solitus est dicere: ταῦτα ὄξιν ἐπίχθρα τυραννικῆς φιλίας, hæc sunt præmia Tyrannicæ amicitiæ. Hic fuit exitus viri præstantis Arati, cuius laudatur in recu-

recuperatione patriæ, & in multis alijs victorijs moderatio. Estq; in patria ei statua posita, cum hac inscriptione:

Venit ad Herculeas quanquàm tua fama columnas,
Dum patriam seruas inclyte Arate tuam:
Nos tamen hanc statuam pro libertate recepta,
Virtutis testem fecimus esse tuæ.
Communis tibi cum Dijs seruatoribus esto
Hic honor. In patriam nam pia iura refers.

Reprehenditur quod Macedonas rursus in Græciam attraxerit, qui mox Græciam seruitute oppressernt. Et prudentia necessaria est, considerare quales nobis adiungamus. Valdè enim infelix coniunctio fuit cum Philippo Macedonico rege, qui & natura crudelis fuit, & obscœnus. Quare dictum est, Aratum malè feciſſe, quod attraxisset Macedonas in Græcorum gynæcea. Quod verò societates fecit eum inimicis, tempori & sæuiciæ nouorum hostium tribuitur, sicut vsitatum est, vt Plutarchus inquit: καιρῷ δ' ἀλεύσιμοι δοκοῦντες ἄρχειν. Et apud Thucydidem inquit Legatus Atheniensis: Ἀνδρὶ τυράννῳ δὲ πρὸς ἑκάσα, φιλῶν ἐχθρὸν, μετὰ καιροῦ γίγνοιο. Sed postea Tyrannus Macedo pœnas dedit, vt infrà dicemus.

DE SECVNDO bello Punico.

ANNO ab vrbe ROMA condita quingentesimo tricesimo sexto, motum est bellum secundum Punicum, cum Annibal Saguntum in Hispania deleuisset. Anni sunt à fine primi belli Punici ad initium secundi, quinq; & viginti. Tanta odiorum incendia fuerunt in his ciuitatibus de Imperio dimicantibus, vt non diu quiescere potuerint. Et Deus crescere Romanam potentiam volebat, vt Regum Tyrannides compesceret. Duravit secundum bellum Punicum, vsq; ad annum septimum decimum. Ac numerari potest inter acerrima bella generis humani, propter magnitudinem præliorum, & varias vices. Cumq; de multis magnis rebus commonefactiones in tantis calamitatibus & mutationibus Imperiorum proponantur, hoc præcipuè considerandum est, Imperia non solum humanis consilijs aut viribus constitui, sed Dei opera esse, vt Daniel inquit: DEVS transfert & stabilit regna. Et quanquàm bellis horribilibus vtrinq; scelera hominum puniuntur, tamen Deum victorias plerunq; illis tribuere, qui iustæ defensionis causa repellunt vim iniustè illatam, iuxta regulam. Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit.

Etsi autem perspicua causa est secundi belli Punici, tamen quæsita est clusio. In fœdere Romanorum & Carthaginensium fuit hoc caput. Ne læderentur vtrinq; socij. Erant autem SAGVNTINI socij Roma-

Romanorum, quos cùm Annibal crudeliter deleuisset, Romani accusarunt Carthaginenses, violatum ab eis esse fœdus. Carthaginenses contra disputarunt, Saguntinos non fuisse socios Romanorum, cùm illud fœdus fieret. Huic excusationi cùm responsum esset, fœdus de præsentibus & futuris socijs loqui, & non dubium esse, violatum esse fœdus ab Annibale, vtrinq; bellum motum est.

Legatur autem historia integra apud Polybium & Liuium, & considerentur Duces, & belli vices. Annibal excelluit calliditate & audacia. Venit in Italiam mense Octobri, & statim ad Ticinum & Trebiam Romanos vicit. Postea ad Thrasimenum in vere anni secundi, consule Flaminio interfecto trucidauit quindecim millia Romanorum. Tertio anno ad Cannas trucidauit quadraginta millia in exercitu Romano, & magna pars Italiæ ad Annibalem defecit. Ita fuerunt initia Annibali læta. Postea fortuna paulatim conuersa est. Adolescens Scipio natus annos octodecim patrem Consulem in prælio ad Ticinum seruauit, cùm hostem, qui patrem vulnerauerat, repelleret. Hic Scipio adolescens cùm Tribunus militum esset in pugna Cannensi, & multi nobiles Romani post infelicem pugnam deliberarent de deserenda Italia, ipse interueniens coëgit eos iurare, se patriam non deserturos esse. Si quis nollet iurare, necem ei minitatus est.

Nulla

Nullo tempore maior virtus fuit Romanæ ciuitatis, quàm tunc, cùm maximis prælijs victa, amissa magna Italiæ parte funditùs ruitura videbatur. Ibi diuinitùs & excitata est magnitudo animorum, & constantia & vigilantia in rebus aduersis, & dati magnanimi, sapientes, concordes & felices Duces, fuitq; virtus magis conspicua inter tantas aduersitates, vt dicitur: ἐν δυσυχίαις λάμπει τὸ καλόν. *FABIVS contando repressit Annibalem. MARCELLVS anno quinto huius belli primus vicit Annibalem prælio. Postea res secundæ multæ sequutæ sunt. Anno decimo huius belli maximè languefieri Annibal cœpit, interfecto Asdrubale fratre in Italia propè Senam. Hic exercitum adduxerat in Italiam, & se fratri coniunctuus erat. Id cùm Claudius interceptis literis cognouisset, relicto Annibale, cui oppositus erat in Apulia, sex dierum spacio emensus Italiæ longitudinem, coniunxit se cum altero Consule Liuio. Ibi cùm dimicaretur, Asdrubal interfectus est, & exercitus eius delectus. Redit Claudius in sua castra, & caput Asdrubalis interfecti abijci ante castra Annibalis iubet, & duos captiuos mittit Annibali, ignoranti fratris aduentum & infelicem pugnam, narraturos hæc vt acciderant. Hic Annibal mœstus longius abduxit exercitum in Brutios, & gemens fortunam se Carthaginis agnoscere dixit. Hoc Claudij Consi-*

lij consilium maximè dignum est admiratione in huius belli exemplis.

Obiter & hoc exemplum hîc inferam, de captis Macedonum & Carthaginensium Legatis, quod narrat Liuius in tertia Decade, lib. 3. Etsi enim visitatum est Legatis parcere, tamen id intelligatur de ijs, qui non moliuntur hostilia, vt tunc Macedones & Carthaginenses fœdus facturi erant contra Romanos: Ideo iudicatum est, iustè hos Legatos captos esse.

Simile exemplum extat apud Thucididem libro secundo, vbi narratur, ab Athenienſibus captos esse Legatos Lacedæmoniorum, ituros ad Persas, vt auxilia contra Athenienses peterent. Hi Legati Athenas adducti interfecti sunt. Hæc exempla citantur, cum disputatur, in quibus casibus iustum sit Legatos capere.

Sed inter Duces Romanos, qui tunc multi fuerunt præstantes virtute, eminet SCIPIO virtute & felicitate, qui recuperauit Hispaniam, & postea in Aphrica vicit Regem Syphacem & Annibalem. Fracti igitur his cladibus Carthaginenses, anno septimo decimo huius belli pacem petere coacti sunt, quam Romani certis conditionibus dederunt, videlicet, vt abstinerent ab omnibus, quæ iam Romani tenebant,

nebant, & ab eorum socijs, & penderent intra annos quinquaginta decem millia Talentorum, id est, sexaginta tonnas auri. Scribit Liuius etiam postulasse Scipionem, vt sibi traderetur Annibal, sed responsum est, Annibalem non esse in Aphrica. Fugerat enim ad Antiochum in Asiam, metu suorum ciuium.

Extat apud Apianum narratio, quomodo in pugna inter se ipsi dimicauerint, Scipio & Annibal, & deinde Masinissa & Annibal. Scipio telum emisit in clypeum Annibalis, Annibal equum Scipionis sauciauit, & cum vulnere equus turbatus resiliret, interuenit Masinissa, Qui cum primum telo secutum Annibalis percussisset, huius etiam equum Annibal vulnerauit. Relicto igitur equo Masinissa pedes adoritur Annibalem, & eius propugnatorem equitem interfecit, & nactus aliud telum rursus petit Annibalem, sed hæsit telum in alio equite, qui & interfectus est. Tertium telum cum rapere Masinissa conaretur, vulnus accipit in brachio. Interea & Scipio redit, Masinissæ opitulaturus, quem inuenit iam obligato vulnere redeuntem in prælium in alio equo. Hic acerrimum certamen inter Duces & exercitus ortum est, donec tumulum proximum Annibal ascendit, non fugæ causa, sed vt inde commodius in hostes impetum faceret. Quia verò inde in exercitu Punico consternatio errore orta est, Pœni omisso prælio dissipati fugere cœperunt. Euasit Annibal sequente Masinissa vsq; ad noctem.

Est

Est autem & MASINISSA inter huius belli præstantes viros numerandus, dignus laude propter iusticiam, fortitudinem & fidem, quam in tuenda societate Romana præstitit. Vixit annos nonaginta. Nomen Masinissa significat remittentem tributa.

Annibal cum fugisset ad Antiochum, ac deinde ad Prusiam Bithyniæ regem, anno post finem huius belli septimo decimo mortuus est, sumpto veneno, cùm Prusias eum Romanis dediturus esset. Et scribitur eodem anno mortuos esse Annibalem & Scipionem, qui non solum fortitudine, scientia rei militaris & felicitate excelluit, sed etiam iusticia, continentia et modestia, quam ostendit secedens in vus, nec mouens Rempublicam lacessitus Tribunicijs criminationibus.

DE BELLIS MACEDONICIS.

PAucis Mensibus post finem belli Punici secundi, videlicet anno à condita vrbe quingentesimo quinquagesimo quinto, motum est bellum aduersus PHILIPPVM regem Macedonicum, patrem PERSEI, qui initio, cum Arati Sicyonij consilijs regeretur, naturæ sæuitiam non statim ostendit, eratq; de eo magna industriæ & virtutis opinio. Postea verò & libidinibus variè se polluit, & magnam crudelitatem exercuit. Sed scelerum pœnas dedit

dit. Vetus igitur vaticinium discernit Philippum Alexandri patrem ab hoc posteriore. Extant versus apud Pausaniam in Achaicis digni memoria:

In Macedum populis clarissima regna tenebunt
Argiua de stirpe bonum damnumq; PHILIPPI,
Horum qui prior est, gentes vrbesq; domabit,
Sed veteris regni perdet decus omne secundus,
A populis victus, quos mittent vesper & ortus.

Vicerunt enim hunc posteriorem Philippum Romani, adiuti à socio Rege ATTALO, qui tenuit Pergamum & vicinia.

Occasio belli hæc fuit: Philippus bellum intulerat Atheniensibus, vt Reges conantur opprimere vicinas vrbes, opibus & artibus florentes. Incitabat etiam eum κακοζηλία prioris Philippi. Quare Athenienses à Romanis auxilium petunt, Qui cùm alioqui Philippum odissent, propter societatem, quam cum Annibale fecerat, & gloriosum esset defendere ATHENAS, laudatissimam ciuitatem, à quo Romani leges, formam iudiciorum, & multa honesta exempla acceperant, bellum aduersus Philippum mouent. Ac initiò socios habuerunt Regem Attalum & Ætolos.

Fuit autem excellens virtus, felicitas & moderatio Ducis T. QVINTII FLAMINII Consulis, qui Philippum in faucibus Epiri, & deinde in Thessalia vicit. Interea Rex Attalus et Lucius Quintius frater Consulis, nauali prælio Philippi classem vicerunt

terunt, & Euboeam occuparunt. His cladibus fractus pacem Philippus à Romanis petiuit, quæ ei hac conditione data est, vt à tota Græcia abstineret, & penderet Romanis mille Talenta, id est, sexcenta millia Coronatorum.

Etsi autem hæc victoria Flaminij gloriosa fuit, tamen sequens erga Græciam beneficentia multò gloriosior fuit, cum superato Philippo Græcæ ciuitates se Romanis adiungerent, & ipse discordiarum intestinarum arbiter factus, dirimeret controuersias sua moderatione sine bello. Postea in Isthmijs et Nemeis iussit decretum populi Romani publicè pronunciari: velle populum Romanum & T. Flaminium, vt tota Græcia libera sit, & suis legibus vtatur. Hunc tantum honorem Roma Græciæ propter doctrinas, leges, & maiorum virtutem habuit & præbuit imperijs exemplum moderationis in victoria, & monuit, aliter mitiores & benè meritas gentes tractandas esse, quàm illas, quas propter crudelitatem & turpitudines opprimi aut deleri necesse est. Romani beneficij in Delphico Templo monumenta suspensa sunt, Clypei argentei, et clypeus Titi Flaminij, cũ hac inscriptione:

Tyndaridæ fratres, quorum fuit inclyta virtus,
Custodes inter quos modo Sparta colit.
Leges, libertas & pax sunt optima dona,
Hæc Græcæ genti, dat Titus Æneades.

Mansit in Græcia Titus Flaminius circiter quinquennium, quia postquam Philippo pax data est, cum

bellum biennio durasset, reliqui anni consumpti sunt in constituendo Græciæ statu occupandis aliquot Thracio vrbibus, & Tyranno Laconico Nabide reprimendo. Postea Romam rediit, secumq; obsidem Demetrium filium Philippi adduxit, quem tamen Senatus aliquantò post ad patrem remisit.

Fuit pax Romanis oportuna cum Philippo, quia mox sequutum est bellum cùm ANTIOCHO Magno, quo tempore si coniuncti duo Reges fuissent, multò difficiliùs bellum Romanis futurum erit. Motum est bellum cum Antiocho tertio anno post reditum Titi Flaminij ex Græcia, anno ab vrbe condita quingentesimo, sexagesimo secundo, durauit biennium, superato Antiocho à Scipione Asiatico fratre Africani, apud vrbem Magnesiam, anno quingentesimo sexagesimo quarto. Asia citra Taurum montem adempta est Antiocho. Ita paulatim Regum potentia diminuta est, donec prorsus stirpes eorum deletæ sunt.

Philippus autem dolens Romanorum potentiam crescere, vt rursus bellum moliri posset, annis aliquot in pace munit vrbes, colligit magnos aceruos frumenti & pecuniæ, & vicinos Thraces, Pæonas & alios barbaros sibi adiungit, ac ostendit se bellum in Italiam translaturum esse Annibalis exemplo, & ingressurum Italiam circa Adriam, quare & Regem Illyricum Gentiũ & Celtas vicinos Adriatico ad societatem tanti belli inuitant. Sed hæc adparans moritur,

tur, cum quidem filium Demetrium excellentem virtute resciuisset à fratre Perseo falsò accusatum & dolo interfectum esse. Cùm enim Demetrius antecelleret virtute, & opinio esset Perseum non esse natum ex patre Philippo, insidias Demetrio struxit Perseus, metuens eum in regno successorem fore.

Mortuo patre Furijs vltricibus eum impellentibus, vt pœnas parricidij daret, & incitatus ab improbis, bellum Romanis infert, Thessaliam & vicina loca vastat, duobus prælijs Romanos vincit, & læta ei initia tanti belli fuerunt, quod à Perseo motum scribitur anno ab vrbe condita quingentesimo octuagesimo secundo. Vixerat autem Philippus post reditum Titi Flaminij ex Græcia circiter viginti annos. Durauit bellum Persei annos quatuor.

Anno eius belli quarto, videlicet anno à condita vrbe quingentesimo octuagesimo sexto, cùm prioribus annis Romani exercitus aliquoties infeliciter pugnassent, & Græci Romanorum socij magnis detrimentis adfecti essent, L PAVLVS ÆMILIVS filius Pauli Æmylij interfecti in Cannensi pugna, Consul iterum factus est, anno sexagesimo suæ ætatis, vt aduersus Macedones Dux idoneus mitteretur. Hic cùm bellum ei mandaretur, publicè in concione dixit, si alium magis idoneum eligerent, se libenter ei cessurum esse: Sed si vellent ipso Duce hoc bellum geri, postulare se vt exercitus obtemperarent, nec sumerent sibi Ducis officia, nec impedirent cum sua curio-

sitate & suis fabellis: μὴ πρᾶξαι τι τῶν, μηδὲ λόγῳ ποιῆσαι.

Mense Septembri acerrimo prælio vicit Persæum, trucidatis viginti millibus peditum. Ante id prælium ait Plutarchus conspectã esse Eclipsin Lunæ, qua ne perterrefierẽt milites, iussit Æmilius pridie ante Eclipsin præmoneri vocatos in concionem oratione SVLPITII GALLI Tribuni militum, qui & prædixit venturam Eclipsin, & docuit certo ordine motuum cœlestium obscurari Lunam, incurrentem in vmbram terræ, nec rem in natura ordinatam vt prodigium metuendam esse. Seneca scribit, eodem tempore conspectum esse Cometam, cui tribuitur nomen Hirci. Cum autem mox non solum finis regni Macedonici sequutus sit, sed etiam Antiochus in Iudæa horrendam sæuitiam exercuerit, apparet signa non fuisse inania.

Rex PERSEVS ex fuga retractus est, & ad Æmylium adductus cum duobus filijs, Philippo & Alexandro. Hi posiea cum patre Perseo in Triumpho ante currum ducti sunt. Cumq; in carcerem ducti essent, impetrauit Æmylius, vt alibi in loco minus tetro à certis militibus custodirentur. Perseus & filius Philippus non diu superstites fuerunt, Alexander scriba Magistratuum Romanorum factus est.

Ex Regijs Thesauris, qui fuerunt amplissimi, dedit Æmylius stipendia militibus. Reliquam pecuniã in ærarium inferri curauit. Macedoniæ deletis vrbibus

bus tributum imposuit, dimidio minus quàm Regibus dederant, videlicet centum talenta, id est, sexaginta millia Coronatorum. Ita Romana Monarchia mitio Tyrannis deletis leges & iusticiam gentibus restituit, & expilationes moderata est.

Ex Thesauris Regijs Æmilius libros Regios iussit filijs suis attribui. Vixit post hanc victoriam annos decem, carus Senatui & populo. Et postquam Censor fuisset, placidè mortuus est, relictis duobus filijs, quorum alterum adoptauit filius eius Scipionis, qui vicit Annibalem. Hic enim habuerat coniugem Æmyliam, inde nomen est, SCIPIO ÆMILIANVS. Facultates Æmylij, vt Plutarchus narrat, non superauerunt triginta millia Coronatorum, & septem millia, cùm in ærarium intulerit plus quàm quinquagies centum millia Coronatorum. Adeò præstantes ciues tunc magis augere Rempublicam, quàm priuatas opes studebant.

Hoc ipso tempore, quo Æmilio Duce Perseus victus est, Antiochus Epiphanes iussus est à Popilio Legato populi Romani ex Ægypto discedere, & abducere inde præsidia. Et tergiuersanti Popilius circulum virga circumscripsit, ac respondere cum iussit, antequam inde egrederetur. Cùm igitur rediret Ierosolymam Antiochus, ardens ira magnam ibi sæuitiam exercuit. Et initia præliorum Iudæ Maccabæi conferuntur in annum ab vrbe condita quingentesimum octuagesimum septimum.

CHRONICORVM TERTIVM PVNICVM BELLVM.

ANNO à condita vrbe ROMA sexcentesimo quarto, Anno post finem belli Punici secundi quinquagesimo secundo, motum est bellum Punicum tertium. Eius belli anno quarto CARTHAGO vi capta & delcta est, Duce Scipione Æmyliano, qui natus est patre Paulo Æmylio, sed adoptatus à Scipione, nato ex Scipione victore Annibalis.

Causa belli fuit, quod Regi Masinissæ, socio populi Romani, bellum intulerant, misso exercitu in eius fines quinquaginta & octo millium hominum, qui tamen circumsessus ab exercitu Masinissæ, magna ex parte fame perijt. Postea cum Legati à Romanis missi viderentur æquiores esse Masinissæ benè merito, conditiones pacis Carthaginenses repudiauerunt. Sequuta est igitur post Legationes aliquoties missas deliberatio non tantum de bello, sed etiam de vrbe Carthagine delenda, quia non quiesceret. Ea de re dissensio Romæ in Senatu fuit. SCIPIO Nasica sensit non delendam esse, quia nimis atrox exemplum esset, & non conueniens Romanæ clementiæ, tantam hominum multitudinem perdere. Deleta etiam ea vrbe Romanos facilius ciuilia bella moturos esse, quia illa imperij æmula sublata, foris neminem formidaturi essent. CATONIS fuit contraria sententia, Quia virtus Romana paulatim fieret languidior, Carthaginem occasione recuperandi Imperij aliquando vsuram esse. Consu-

Consules in Aphricam missi biennio vicina oppida occuparunt, & aliquoties infeliciter tentarunt oppugnationem Carthaginis, ac virtute Scipionis Æmyliani, qui tunc Tribunus militum erat, bis magna cum gloria seruati sunt Romani exercitus. Post biennium hic Scipio ante Consularem ætatem creatus Consul, & missus in Aphricam, alio consilio vsus est, quàm priores Duces: Totam vrbem circumuallauit, nè frumentum inuehi posset. Id opus difficilè & magna arte & magno labore perfectum est. Fuit enim ambitus vrbis sex milliarium Germanicorum. Diameter igitur fuit circiter duorum milliarium. Interea sæpè dimicatum est acerrimis prælijs, præsertim naualibus. Sed tandem vrbs vi capta est, cæde intra mœnia horribili facta. Priusquam autem diriperetur & inflammaretur, iussit edici Scipio, vt fugerent qui vellent. Fugerunt igitur ex vrbe quinquaginta millia hominum, reliqui aut interfecti aut flammis absumpti sunt. Vrbs inflammata arsit dies sedecim. Scribit autem Polybius, se Scipioni adstitisse, spectanti vrbis incendium. Qui cum lacrymans versum recitasset: Illa dies veniet cum fato TROIA peribit, interrogat Polybius, quid lacrymæ, hi gemitus, & hæc dicta significent? Respondet Scipio, se cogitare miserabiles generis humani casus, et futurum aliquando simile vrbis Romæ excidium, sicut & Totilæ Gotthici regis tempore accidit, circiter annum septingentesimũ post hunc Scipionem.

Steterat autem & Carthago annos circiter septingentos, condita ante vrbem Romam anno centesimo & paulò amplius,

ASDRVBAL Dux Carthaginensium supplex ad Scipionem confugit. Eius vxor dira marito imprecata se cum paruis filijs in medium ignem præcipitauit. Postea & ipse Asdrubal sibi mortem conscinit. Et leguntur alia horribilia exempla, quæ acciderunt in eo excidio, quæ ostendunt iram Dei aduersus delicta, & monent, ne spreto Dei iudicio cæcis cupiditatibus indulgeamus.

Carthaginem non multò pòst restituere conatus est Caius Gracchus, deducturus eò coloniam. Sed Lupi signa, quæ murorum spacia significabant, euerunt: Postea à Iulio & Augusto restituta est, & eò deducti sunt coloni.

EXCIDIVM NVMANtiæ vrbis.

SCipio Æmylius quarto decimo anno post euersam Carthaginem deleuit vrbem Numantiam, sitam in Celtiberia, vbi Romani exercitus aliquoties trucidati fuerant.

Huius autem vrbis excidium terribilius exemplum est excidio Carthaginis. Quin cum propter famem defendere vrbem ciues diutiùs non possent, inflammarunt eam ipsi, & sese partim igni, partim ferro, partim veneno perdiderunt. Postea Scipio ruinas funditus deleuit, & agros vicinis attribuit, & ordinata prouincia pacem in ea parte Hispaniæ restituit.

Absente eo Romæ magnæ seditiones motæ sunt propter leges agrarias, quas initiò bono studio Tiberius Gracchus tulerat, fauentibus etiam Lelio & Scæuola. Sed ad bonam causam postea Gracchus addidit turbulenta consilia, & contentione discordia creuit, pluresq; causæ cumulatæ sunt, sicut Virgilius de Lite inquit: Parua metu primo, mox sese attollit in auras, ingreditur q; solo, & caput inter nubila condit. Et sæpè bona causa malè agendo corrumpitur. Quare dicitur à Salomone: Quod iustum est iustè persequaris.

Sciant autem iuniores, in alijs historijs Agrariam legem significare distributiones possessionum, in quas noui coloni introducebantur. Sed in Tiberij historia LEX AGRARIA significat præfinitionem numeri agrorum. Fuerat enim vetus Lex: Quòdo deletis hostibus agri publici diuisi erant, nemini ciuium Romanorum licebat ex his plus quàm quingenta iugera possidere. Nec licebat diuitibus emere pauperum ciuium agros, & suis addere, & per mancipia colere, ne pauperum ciuium familiæ redigerentur ad egestatem, & Italia repleretur peregrinis & seruis.

Est autem IVGERVM quadratum, cuius vnum latus est centum viginti pedum, Græci πλέθρον, id est, sexta pars stadij.

Hac veteri lege neglecta diuites multorum ciui-

um agros emebant, quos deinde per seruos colebant. Ita multorum ciuium familiæ nullos fundos retinebant. Cùm igitur Tiberius in prouinciam proficisceretur, passim in vijs occurrebant ei ciues cum paruis filijs & matribus, & querebantur se vagari extorres, qui sanguinem pro patria profudissent, teneri agros à diuitibus, & petebant vetustam legem restitui, consuli saluti Italiæ, ne deessent milites, & ne Italia seruis & hominibus barbaris impleretur. Motus misericordia Tiberius pollicetur se hanc causam acturum esse. Et reuersus ex prouincia cum factus esset Tribunus plebis, fert rogationem de veteri lege restituenda, quæ modum agrorum præscribit. Dicit in conciionibus iniustam esse Ducum orationem, cum iubent milites præliari pro aris & focis, cum nec aras nec focos habeant. Queritur præliari eos non pro patria, sed pro fœneratorum rapacitate. Sed aduersabantur legi diuites, & Tribunum Octauium sibi adiungunt intercessorem, qui suffragationem prohibeat. Huic nouo exemplo Tribunatum Tiberius abrogauit. Cùm autem visus esset violentius agere, creuerunt discordiæ.

Tulit & aliam legem Tiberius, vt pecunia legata populo Romano ab Attalo Rege, egentibus ciuibus diuideretur. Deniq; contra leges prorogare sibi Magistratum conatus est. Ea res cum speciem haberet Tyrannicam, Senatui iusta causa visa est, armis opprimendi Tiberium Gracchum. Et iam tota Italia mouebatur.

batur. Ideo Senatus hortatur Mutium Scæuolam Consulem, vt arma capiat ad sedandum tumultum. Qui cum nollet in vrbe nouo exemplo præliari, Senatus ipse, hortante Scipione Nasica Pontifice Maximo, cum magna multitudine amicorum ascendit in Capitolium, ad interficiendum Tiberium Gracchum. Cumq; populus accedenti Senatui cederet, & sese desertum Tiberius Gracchus peti videret, fugit. Sed fugientem interfecit Collega ipsius Saturetus. Sunt & alij trecenti ciues interfecti, & corpora in Tiberim abiecta. Hæc in ciuilibus seditionibus Romæ prima cædes facta est. Postea sequutæ sunt magis cruentæ seditiones. Etsi autem, vt populus placaretur, Senatus legem de modo agrorum recepit, extincto autore, tamen odia non sunt extincta.

Interfectus est Tiberius Gracchus anno vrbis sexcentesimo vicesimo, consulibus Mutio Scæuola & Calpurnio Pisone, cum abesset Scipio Æmylianus ad Numantiam, Qui cum audiuisset acta & necem Tiberij Gracchi, recitans Homeri versum, ostendit, se quoq; seditiosas actiones improbare:

ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος ὅστις τοιαῦτα ῥέζοι.

Perdatur simili pœna, qui talia fecit.

Deinde cum Romam Scipio Æmylius rediisset, & certamina eadem de agrorum diuisione renouata essent, & accessissent aliæ turbulentæ leges, quarto anno post reditum Scipionis Æmyliani, Tutidano & Aquilio

Aquilio Consulibus, anno vrbis sexcentesimo vicesimo quarto, cum Carbo Tribunus plebis rogationem tulisset, vt liceret eundem creari Tribunum plebis quoties vellet, & suaderet eam legem Caius Gracchus Tiberij frater, dissuasit eam acerrimè Scipio Æmilianus, quia ea rogatio contra veteres leges de Tribunis ferebatur, & turbulentos Tribunos perpetua potentia armabat. Dixit etiam Tiberium Gracchum iure interfectum esse. Post hanc contentionem mane Scipio inuentus est in cubiculo suo mortuus, cùm pridie rectè valuisset fuitq; suspicio, ab aduersarijs veneno necatum esse. Hic fuit exitus præstantissimi ciuis, anno ætatis ipsius quinquagesimo sexto. Breuiter autem vtrunq; Scipionem commemorauí, victorem Annibalis & alterum Æmilianum, quia cum in secundis rebus, in magna gloria & rebus gestis, quæ profuerunt patriæ, iusti & modesti fuerint, exempla eorum nota esse omnibus vtile est.

Carbo postea sibi mortem conscíuit. Caius Gracchus & Fulvius, cum seditiosè Auentinum montem cum armata multitudine occupassent, ab Opimio Consule interfecti sunt, & trucidata sunt in eo prælio vrbano tria millia hominum.

Caij Gracchi eloquentia sic laudatur à Cicerone: Grandis est verbis, sapiens sententijs, genere toto grauis, manus extrema non accessit. Legendus est hic orator. Non enim solum acuere, sed etiam alere ingenium potest, &c. Apud Gellium lib. 11. cap. 10. hæc eius

eius verba recitantur: Omnes nos qui verba facimus, aliquid petimus, neq; vllius rei causa quisquam ad vos prodit, nisi vt aliquid auferat. Ego ipse non gratis prodeo: Verùm peto à vobis non pecuniam, sed bonam existimationem. Qui prodeunt dissuasuri, ne hãc legem accipiatis, pecuniam petunt. Qui autem ex eodem loco atq; ordine tacent, hi vel acerrimi sunt, nam ab omnibus precium accipiunt, & omnes fallunt.

DE BELLO ACHAICO.

SVpra dictum est, pace facta cum Philippo rege Macedonum, Romanos Græciæ, qui ab ea doctrinas & leges acceperant, pacam & libertatem restituisse, & decretum T. Flaminij publicè recitatum est in Isthmijs, anno vrbis Romæ quingentesimo quinquagesimo septimo. Hoc tanto beneficio Græcia vniuersa frui & retinere dulcem tranquillitatem poterat, sed inquieta ingenia subinde nouos tumultus mouebant. Et plerunq; homines singulari petulantia fatales pœnas attrahunt, sicut Lucanus inquit:

Hoc placet ô superi, cum vobis vertere cuncta
Propositum, nostris erroribus addere crimen.
Cladibus irruimus, nociturag; poscimus arma.

Statim post pacem cum Philippo factam rebellarunt Ætoli. Sed longè maius bellum postea mouerunt Achæi & Bœotij anno quinquagesimo post libertá-

bertatem à Tito Flaminio Græcis restitutam. In eo bello & Achæorum & Bœotiorum exercitus citò trucidati sunt. Dux Diæus interfecit coniugem, ne fieret captiua, & venenum hausit ipse. Corinthus deleta est à Consule Mumio. Nec longum bellum fuit, quia & Romana potentia tunc florebat, & horum hostium non magnæ vires erant. Ideo Pausanias inquit: θρασύτης μετὰ ἀδυναμίας μωρία ὄση qui & finem Achaici belli fuisse scribit Olympiade centesima & sexagesima, maximeq; tunc ait debilitatas esse Græciæ vires. Nec tamen quiescere in ea factiosi ciues potuerunt.

Fuit post annos quinquaginta, anno vrbis Romæ sexcentesimo sexagesimo sexto, bello Mithridatico Philosophus Athenis nomine Athenio, qui conductus magna pecunia à Mithridate ciuibus suasit, vt à Romanis ad eum deficerent, quia melius esset, vnum esse orbis Monarcham Regem, quàm tot auaros dominos ROMANOS. Et nominabat Romanum Imperium Ἀναρχίαν. Iamq; Mithridates magnam Asiæ partem & Thraciam tenebat, ac multi sperabant euersurum esse Romanum Imperium. Hic Philosophus aliquandiu velut Tyrannus septus armato satellitio dominatus est Athenis, interfecit multos ciues, multorum facultates diripuit, & magnis aceruis pecuniæ in Delum missis, fugit.

Successit ARISTIO Tyrannus, sentiens cum Mithridate, conflatus, vt Græci scribunt, ex petulantia

tia & crudelitate. Hic prohibuit ne Athenæ Romano Duci Syllæ se dederent. Quare Sylla vrbem terra mariq; circumsidens, tandem eam vi cepit, & magnã ciuium multitudinem in vrbe trucidauit. Multi antea fame perierant. Medimnus enim frumenti vendebatur mille drachmis, id est, centum coronatis, qui mediocribus annis æstimabatur quinq; drachmis. Aristion abara annulsus necatus est.

Postea Sylla in Bœotiam transiens vicit Archelaum Ducem Mithridatis duobus magnis prælijs, & partem vrbis Thebanæ prorsus diruit, & Thebanis dimidiam Bœotiam ademptam attribuit Phocensibus. Ita Græcia & vires suas & libertatem & veterem Reipublicæ formam amisit, cum bella non necessaria & iniusta ciues aliqui priuatis cupiditatibus mouissent.

Hæc de Græciæ ruinis in vno loco breuiter annotaui, etsi in serie historiæ nondum ad Syllæ tempus peruenimus: sed in historia continua melius conspici potest, has fatales pœnas paucorum furoribus attractas esse, qui fuerunt patriæ ἀλάστορες. Retinenda est igitur modestia propter nostram & patriæ salutem.

DE CYMBRICO BELLO.

SVpra dictum est, infusa esse in Italiam gentes Celticas tempore Camilli, cum vrbs Roma incensa est, Olympiadis nonagesimæ octauæ anno primo,

Anno

Anno vrbis Romæ trecentesimo sexagesimo quinto, in qua expeditione & BRENNI ducis mentio fit, & SENONVM, quos fuisse olim Albi vicinos nihil dubium est. Estq; vrbs Roma incensa à Gallis ante Alexandrum, regnante Artaxerxe, cuius cognomen fuit Μνήμων, anno nonodecimo postquam Athenæ à Lysandro captæ sunt.

Sequuta est alia Celtarum expeditio, qua Græciam vastarunt, & ad Delphos interfecti sunt, Olympiadis centesimæ vicesimæ quintæ anno secundo, vt narrat Pausanias, videlicet post incensam Romam anno centesimo septimo. Fuit igitur alius hic Brennus, qui Galatas in Græciam duxit, & trucidauit Ptolemæum κεραυνόν. Infusa est autem & in Asiam hæc multitudo, & pars ibi à Ptolemæo Euergete trucidata est, vt scribit Callimachus, apud quem inquit Phœbus:

Contra hostem fient communia prælia nobis,
Celtica cum contra Græcos gens bella mouebit,
Titanum soboles, extremo à cardine terræ
Effusa, Hesperias & sedes effera linquet,
Densaq; sic veniens latè trahet agmina, sicut
Sparsit Bruma niues Boreæ spirantibus auris.

Nec verò dubium est apud veteres scriptores Celtarum nomen commune fuisse gentibus in vtraq; ripa Rheni vsq; ad Oceanum Occidentalem, & vsq; ad Hercynios montes, qui nunc Boiemici, Turingici & Hercynij nominantur.

A cla-

A clade Celtarum accepta in Delphis vsque ad Marcellum consulem, qui interfecit Viridomarum, sunt anni sexaginta. Hæc in Italiam secunda Celtarum expeditio celebratur, in qua nomen ducis Teutonicum esse manifestum est.

A nece Viridomari vsq; ad primam victoriam Cimbrorum in Italia, Syllano Consule interfecto, sunt anni centum & tredecim. Durauit autem bellum Cimbricum à Syllani consulatu annos octo, vsque ad consulatum Marij quintum, à quo tandem ad flumen Athesin deleti sunt reliqui exercitus Cimbrorum, Teutonum & Ambronum. Sit igitur hæc tertia in Italiam expeditio earum gentium, quæ terras ab Alpibus versus mare Septentrionale tenuerunt, quæ omnium maximè terribilis fuit.

Cimbrorum nomen retinet Chersonesus Cimbrica. Itaq; non obscurum est, quæ gens fuerit Cimbri. Sed tunc magnam partem littoris tenuerunt. Strabo nomen esse dicit à Cimmerijs factum, quos supra Thraciam habuisse sedes nomen Bosphori Cimmerij testatur. Et Herodotus lib. 4. collocat eos ad Araxem fluuium. In 1. libro inquit, in Lydiam infusos esse, & à Lydorum Rege iterum inde expulsos. Consentaneum est nomen esse à Gomer filio Iaphet, & ex Oriente progressos esse Cimmerios ad hoc nostrum littus, sicut & aliæ gentes vicinæ progressæ sunt: Getæ, Dai, Syeui. Non enim dubium est, Getas esse Gothos, Daos Danos, & Syeuos, quos nunc Sueuos seu Sue-

dos nominamus. Vetustas nominauit Sueuos & Suiones. Getæ significat milites, Dai scientes, Dani Iudices, Sueui raptores.

TEVTONES hîc primum nominantur in Historijs. Id nomen in nostra lingua nunc multis seculis multas gentes complectitur. Nec tamen extat vestigium in tanto spatio, vnde sciri posset, quæ fuerit vetusta & præcipua sedes Teutonum. Adeò sunt instabiles & caducæ res humanæ, vt mutatis imperijs magnæ gentes ita deleantur aut dissipentur, vt nec veteres earum sedes sciri possint. Sed ex Cornelio Tacito & Ptolemæo constat, Teutones V Vestualiam & vicinam ad Visurgim tenuisse. Nam Cornelius Teutoburgum in V Vestualia collocat, vbi Quintilij Vari legiones ab Harminio trucidatæ sunt. Et inde est nomen suburbij ad Coloniam Teutsch.

Origo nominis sit, vt multi existimant, ab ASCANES, Theiscones, quasi, dicas, die Aſcanes. Legimus autem in sacris libris, fuisse filium Gomer Aſcanes. Et appellatio diu mansit in Phrygia, vbi nomen vsitatum fuit ASCANII, vt ex Homero intelligi potest. Interpretor nomẽ siue sacerdotem ignis, siue custodem ignis, videlicet sacri. Significat igitur talem virum, cui sacrificia commendata fuerunt. Hac appellatione delectemur, & sciamus reuerentiam singularem rerum sacrarum in illis vetustis maioribus nostris fuisse.

A M-

AMBRONVM nomen prorsus interijt. Sed existimo significari Rheni accolas, Cleuenses & Iuliacenses, & Tencteros, quasi dicas, Ambrones, Am Rhein / ad Rhenum. Et fortassis inde est vrbs Embrica. Non procul ab aquis Sextijs, vbi Marius vicit exercitum Teutonum & Ambronum, vrbs est Ambrona.

Romani post Iulium Cæsarem nomen GERMANIÆ tribuerunt multis gentibus intra Harcynium saltum & Vistulam, & mare Septentrionale. Etsi autem in nostra lingua nunc est vsus huius nominis, tamen non existimo latinam originem esse, sed vt Cimbri, Dai & Sueui ex Oriente ad hoc littus Septentrionale accesserunt, ita progressos esse ex Asia Germanios & Sacas existimo. Nominat Germanios Herodotus in primo libro, & congruit nomen cum Carmanis, quorum fortitudo laudatur à Strabone.

Etymologia nominis concinna est Heerman / vir exercitus, id est, militaris, vt vetus appellatio apud Plinium est Hermiones.

In historia Persica celebratissimi sunt Sacæ, & apud Cyrum res magnas gesserunt, inde nomen esse SAXONVM iudico. Et est SACAE aut habitatores aut pares.

Germanos vetustas distinxit à Noricis & Rhetis. Nec dubium est Noricos tenuisse eas regiones, quæ nunc sunt Bauaria inferior et Austria et vicina

pars Alpium. Nomen reliquum est in extrema ora citra Noribergam. Est autem Etymologia NORICI à Nort / id est, Septentrione, am Ort vel nach Arcto. Eamq; appellationem veteribus Græcis notam fuisse existimo: Et quidam sic interpretantur apud Homerum, Νώροπα χάλκον, de Noricis ferramentis.

RHETI tenuerunt Alpes Galliæ propiores & regiones vicinas vsq; ad Augustam, quam vetustas nominauit Augustam Rheticam. Appellatio adhuc in extrema ora hæret prope Noribergam, & claram fuisse gentem inde apparet, quia inter Gigantes & Centauros Græci nominãt Rhetum, id est, impetuosum.

Postea autem magna eius regionis pars SVEVIA dicta est, quia Augustus transtulit in eum locum Sueuos, qui ex Pomerania progressi erant in Vuestualiam, & Romanæ prouinciæ ad Rhenum bella inferebant.

Existimo autem tum Græcis & Henetos veteribus temporibus à Vistula paulatim progressos esse ad regionem Albi vicinam, & ad littus Septentrionale, vbi vetustas nominat Venedos, & sinum Venedicum. Et lingua Heneta ostendit, eam gentem, etsi clara et potens nunc quoq; est, tamen esse aliam, quàm sit illa, quæ nostra lingua vsa est, quam nominamus Teutonicam.

Nomen HENETI significat vagabundos, Νόμαδες,

μάδες, id est, qui latè sparsi diuersas regiones occuparint. Celebrata est gens apud Homerum & Herodotum. Postea Ptolemæus inquit, Henetos maximam Sarmatarum gentem esse, vt hodie Russiam & Poloniam tenet, & magnam regionem à Vistula ad Viadrum & ad Albim. Retinet autem nunc quoq; gens Heneta eam regionem, quæ antea à Boijs Boiemia dicta fuit. Sunt igitur vicinæ gentes Teutonibus & Cimbris mixtæ, & alicubi nomina mutata sunt imperijs ac migrationibus. Quæ cogitantes agnoscamus instabilitatem rerum humanarum, & bella ac migrationes maiorum fuisse tristes pœnas, cum tot exercitus Romani, Cimbrici & Teutonici trucidati sunt. Cogitemus autem & hoc, non tantum ad has miserias conditum esse genus humanum, sed inter tantas confusiones tamen miranda bonitate seruari reliquias, vt Ecclesia colligatur, & Deo gratias agamus, quod nos quoq; ad agnitionem Filij vocauit, & diu iam honestas politias inde vsq; à Carolo primo tribuit, etsi postea quoq; magnæ vastationes factæ sunt. Et virtutem Principum celebremus, quos Deus armauit & adiuuit in patriæ defensione, & expectemus æternam patriam, in qua erit dulcissima consuetudo cum Deo, qui erit omnia in omnibus beatis.

Hæc cogitanda sunt cùm legimus veterum bella & migrationes. De reliquis appellationibus partium Germaniæ dicam in historia Harminij.

ANNO vrbis sexcentesimo quadragesimo

nono Manlius & Seruilius Cepio Proconsules à Cimbris in aditu Alpium victi sunt, & trucidata ciuium & sociorum Romanorum octoginta millia. Cepio cum ei imperium abrogatum esset, in carcerem ductus est, & à carnifice necatus, & cadauer ad scalas Gemonias abiectum, triste spectaculum fuit, & insigne exemplum inconstantiæ fortunæ. Nam antea et Consul & Pontifex Maximus fuerat. Narrant autem punitum esse, quòd aurum ex Templis Tolosanis abstulerat, quod antea Galli ex Delphis rapuerant. Et accommodatur prouerbium ad pœnas Sacrilegij.

Anno post infelicem Cepionis pugnam Caius Marius Consul secundùm factus est, & mandatum est ei bellum Cimbricum. Hic non statim dimicauit, sed visus consilio mulieris fatidicæ Marthæ, quã Iudæam fuisse existimo, primùm post biennium dimicauit ad aquas Sextias cum Teutonibus & Ambronibus, & trucidauit ducenta millia hostium, & cepit nonaginta millia. Interea Cimbri ingressi Italiam per Noricum Catuli exercitum ab Alpium faucibus pepulerunt, & ad Athesin flumen castra fecerunt. Huc properè veniens Marius, & exercitum Catuli cum suo coniungens, trucidauit centum quadraginta millia Cimbrorum, & sexaginta, die vicesimo nono Iulij. Liberata igitur Italia Cimbricis terroribus Marius te Catulus Romam ad triumphum redierunt.

DE BELLO SOCIALI ET BELlis ciuilibus post Cimbricum bellum.

ADuersus externos hostes magnæ res gestæ sunt vsq; ad finem belli Cimbrici. Iamq; velut parto summo imperio orta sunt bella intestina inter Romanos & socios Italicos, & deinde inter Romanos ipsos, quæ fuerunt plena crudelitatis. Hæc exempla ostendunt, imperia non humanis consilijs seruari, sed donec durant, seruari diuinitùs, & tamen interea horribiles pœnas accedere, Nec tantum iram Dei aduersus peccata conspici, sed hoc quoq;, quòd inter tantos fluctus ipse tamen seruet Imperia, donec durant. Omnia hæc bella, Sociale, Syllanum, & Iulianum, laniena fuerunt ciuium, nobilium & plebis, qualia non alia legitur.

Cæteris autem omissis, pauca de Syllano bello dicam, vt duorum ducum naturæ, magnitudo rerum gestarum et vicia considerentur. In MARIO, qui Cimbros vicerat, calliditas, crudelitas & ambitio ingens fuit. Hæc ambitio in Sene causa fuit postea sæuissimi belli ciuilis. Cum Sylla Dux contra Mithridatẽ missus esset, impulit Marius Sulpicium Tribunum plebis, vt legẽ ferret de reuocando Sylla, et mittẽdo Mario ad gerendum bellum Mithridaticum. Huic legi cum Consul Q. Pompeius aduersaretur filium Consulis generum Syllæ occidit Sulpitius. Tanto vrbis tumultu cognito Sylla priusquam in Græciã nauigaret,

Romam cùm exercitu redijt, & damnatis Mario & Sulpitio Reipublicæ tranquillitatem restituit, Sulpitium Tribunum interfecit. Marius clam fugit in Aphricam.

Deinde Sylla profectus contra Mithridatem, recuperauit Græciam & alias prouincias à Mithridate occupatas.

Interea Romæ cum Cinna nouos tumultus moueret, vt Italicis iura suffragij daret, Consul Octauius eum vrbe expulit. Nactus exercitum Cinna redijt ad vrbem, & reuocato ex Aphrica Mario, præcipuos viros Romanæ nobilitatis interfecit: Octauium Consulem, Antonium Oratorem, Lutium & Caium Cæsares fratres, Catulum & multos alios.

Cum Cinna vrbem obsideret, duo fratres alter ex Cinnæ exercitu, alter ex contrario, inter sese dimicarunt, cùm neuter alterum agnosceret. Postea victor spolians interfectum, agnouit fratrem, & rogo extructo sese impositum corpori fratris transfixit. Talia sunt spectacula bellorum ciuilium.

Marius pater proximo anno post reditum septuagenarius & errans mente mortuus est.

Deinde Cinna & Carbo sese sine Comitijs Consules crearunt in biennium. Cumq; Cinna metuens Syllæ reditum, ad quem plurimi Nobiles viri confugerant, aduersus eum ducturus esset exercitum, milites nolentes ingredi naues eum interfecerunt. Ita pœnas dedit suæ crudelitatis, cum initiò collegam Consulem

sulem Octauium, & deinde innumerabiles præcipuos viros curasset interfici.

Post tertium annum Sylla redit in Italiam, facta pace cum Mithridate. L. Scipione & Norbano Coss: ducens triginta millia militum contra duos Consulares exercitus, in quibus erant ducenta millia. Sed L. Scipionis exercitus vltrò ad Syllam transijt. Norbani exercitum acie vicit, trucidatis septem millibus. Hic Norbanus postea in Rhodum fugiens, cum à Sylla deposceretur ad supplicium, in foro Rhodio sibi mortem conscisiuit.

CARBO fugit in Siciliam, vbi à Cneo Pompeio captus & interfectus est.

Deinde & Marius filius acie victus est, ac scripsit Sylla, se tantum viginti milites in eo prælio amisisse, hostium vero viginti millia cæsa esse, & octo millia capta. Marius filius cùm in oppidum Prenestæ fugisset, & circumsessus non posset effugere, sibi mortem conscisiuit.

Cùm aduersarios Sylla intra biennium à reditu vicisset, Senatus comitiorum causa interregem creauit L. Valerium Flaccum, qui legem ad populum tulit, Syllæ videri è Republica esse Dictatorem dici, qui perturbatam Rempublicam rursus ordinaret, de qua lege Cicero inquit contra Rullum: Omnium legum iniquissimam dissimilimamq; legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus Interrex de Sylla tulit, vt omnia quæcunq; ille fecisset, essent rata.

SILLA Dictator factus anno vrbis sexcentesimo septuagesimo tertio, adiungit sibi Coss. Tullium Deculam & Dolobellam, ipse Regio more supra eos sedit. Dictaturam tertio anno deposuit, Interea leges necessarias tulit. Donec enim vult Deus imperia seruari, flectit summos victores ad hanc curam, vt leges, iudicia & legitimas pœnas restituant. Id fit aliàs mitius, aliàs asperius. Et cum Sylla necessario coherceret inquietos ciues, multi etiam iniustè necati sunt, cum à Sylla, tum scelere eorum, qui familiares erant Syllæ, & aliorum opes occupabant, vt quidam modestus ciuis Aurelius cum interficeretur, clamauit: O villa Aurelia quare occidis dominum tuum? Tantamq; crudelitatem in proscriptione exercuit, vt postea scriptum sit: Excessit Medicina modum.

Retinentur & hodie in Pandectis leges Corneliæ, de Sicarijs, & de falsarijs. Sed tulit alias multas, legem Maiestatis, & de Magistratuum ordine, de iudicijs, de repetundis, sumtuariam, & alias, quarum pleræq; postea cum in bellis ciuilibus iterum abolitæ essent, à Iulio & deinde ab Augusto renouatæ sunt.

Tribunitiam potestatem Sylla non prorsus sustulit. Permisit enim vt Tribuni crearentur, sed duos neruos incidit: Non concessit, vt prouocatio ad eos fieret, Nec concessit, vt nouas leges ferrent, sed reliquit eis ius conuocandi Senatus, vt intercederent, si quis videretur iniustè opprimi. Ideo Cicero de Sylla na lege inquit: Syllam probo, qui Tribunis plebis iniuriæ

iuriæ potestatem ademit, auxilium ferendi reliquit. Profuit frenari nimiam vulgi potestatem, & augeri Senatus autoritatem & tamen huic quoq; frenum injici intercessione Tribunorum, vt ἀξιοκρατία esset temperata, nec tamen infinita esset vulgi potentia. Est enim, vt Aristoteles dixit, mera δημοκρατία extrema tyrannis. Et apud Herodotum grauissima est oratio contra Democratiam. Ruere inquit vulgus & & impellere negotia sine mente, vt feruntur magno impetu flumina. Pompeius autem restituit Tribunitiam potestatem. Postea Augustus totum ius Tribuniciæ potestatis ad sese transtulit, simul vt prorsus aboleret eam, & pertextu illo retineret ius conuocandi Senatus.

Hæc consilia considerentur in historijs, præsertim cum similia multa omnibus temporibus accidãt. Vno & eodem die vrbs Noriberga & Augusta Rhetica petierunt contraria à Sigismundo Imperatore. Augusta petiit institui, ne quid Senatus constitueret, nisi Tribunis opificum approbantibus. Noriberga petiit, ne liceret Tribunis impedire Senatus decreta. Nunc Carolus potestatem Tribuniciam Augustæ rursus sustulit. Et apparet Aristocratiam in magno cœtu optimam esse.

Sylla depositâ Dictatura vixit biennium. Fuit tanta in eo animi magnitudo, non solum vt pericula contẽneret, viuẽs sine præsidijs, sed etiam vt dixerit, se ra-

se rationem rerum gestarum redditurum esse. Etsi autem valdè cruenta fuit eius gubernatio, tamen Mario anteferendus est, qui primùm priuata ambitione Rempublicam turbauit, nec egit hoc, vt leges & iudicia valerent: Sed Sylla Marium iniustè turbantem Rempublicam repressit, postea direxit victoriam ad hunc finem, vt leges, iudicia & legitimæ pœnæ restituerentur, quæ officia Deus gubernatoribus commendauit.

BELLVM CIVILE GESTVM DVcibus Pompeio & C. Iulio Cæsare.

POst Syllæ mortem anno tricesimo bellum ciuile mouerunt Pompeius & C. Iulius Cæsar, cuius hæc fuit causa: Cæsar petiuerat se absentem fieri Consulem, antequam ex Gallia decederet, quia si priuatus in vrbem redijsset, inimici eum accusaturi & oppressuri erant. Populus igitur rogantibus Tribunis, & Consule Pompeio assentiente, iubet Caij Iulij Cæsaris absentis rationem haberi. Postea inimici sunt hortatores, ne Senatus id permittat, & Coss: Lentulo & C. Marcello fit Senatusconsultum, vt ante certum diem Cæsar exercitum dimittat. Si id non faciat, videri eum contra Rempublicam facere, & Pompeium inimici Cæsaris sibi adiungunt. Aduersantur Senatusconsulto Tribuni plebis, Marcus Antonius, Q. Cassius & Curio, & contendunt, ne beneficium antea pro-

promissum Cæsari eripiatur. Mox & hoc decretum Senatus facit, vt videant Coss: & cæteri Magistratus, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. Hac forma verborum Senatus vtebatur, quoties tanquam aduersus seditiosos præcipiebat Consulibus, vt arma caperent, & vim habebat similem Proscriptioni, vt nos nominamus, seu interdictioni aquæ & ignis. Discedunt igitur ex vrbe Tribuni ad Cæsarem. Statim & prouincia Gallia L. Domitio decernitur, & delectus tota Italia à Consulibus & à Pompeio habentur. Cæsar permissurum se iudicium populo ostendit, & Cicero æquas pacis conditiones proponebat, vt & Cæsar & Pompeius exercitus dimitterent, & Pompeius in Prouinciam suam Hispaniam proficisceretur, & Cæsar Consul fieret. Has conditiones recepturus erat Cæsar, sed Pompeiani aduersabantur. Cùm igitur intelligeret Cæsar & Senatusconsulti atrocitatem, & iam delectus haberi videret, iustam se causam sese defendendi habere existimans, cum exercitu procedit ad loca vicina vrbi Romæ. Cognito Cæsaris aduentu Consules & Pompeius ex Italia fugientes in Epirum traijciunt ad vrbem Dirrachium, vbi exercitus quantos possunt ex Græcia & Asia contrahunt. Hæc initia fuerunt huius belli, quo mutata veteri forma Reipublicæ, deinceps in Imperio Romano cæpit vnius esse summa potentia, vt in regno.

Cæsar

Cæsar antequam Romam venit, properauit ad retinendum Pompeium, qui adhuc Brundusij erat, eamq; vrbem circumsedit. Sed clàm nocte discedente Pompeio, Brundusini se Cæsari dediderunt. Postea primum Cæsar vrbem Romam adijt, & in Senatu narrat, se necessariam defensionem suscepisse, nec se crudelitatem Syllæ & Marij imitaturum esse, hortatur vt secum Rempublicam gubernent, & Legatos de pace ad Pompeium mittant. Nec tunc noui aliquid constituit, sed properans ad Pompeij exercitum, qui in Hispania erat, vrbem Romam Lepido commendat, Italiam M. Antonio. Ipse post paucos dies in Hispaniam proficiscitur, in qua exercitus Pompeij fame coëgit ad deditionem, et Hispanos sibi adiunxit. Deinde & laudatissimam vrbem MASSILIAM veterem Ionum Coloniam, sociam Romanorum, vi cepit. Interea Romæ Lepidus rogationem tulerat, vt Cæsar DICTATOR crearetur. Rediens igitur Cæsar Romam comitia consularia habuit, & quædam de iudicijs & de frumento aduehendo in vrbem, tanquam Dictator ordinauit. Consules creauit sese & Seruilium Isauricum, ac dictaturam post diem vndecimum deposuit, contentus nomine ordinariæ potestatis Consularis, & vrbem ac Italiam Consuli Seruilio commendauit. Cumq; multi turbulenti cines spe nouarum Tabularum cumulassent æs alienum, legem tulit de Emptionibus et vsuris, paci vtilẽ, ut æstimatio rerum eadem maneret, quæ fuisset ante bellũ. Ac in

in Vsuris si quid supra centesimam solutum esset, in sortem computaretur, & vt legitimis iudicijs debitores cogerentur numerare quæ debebant. Hæc iudicia defendit postea Seruilius Consul qui vrbe expulit Celium Prætorem, qui plebem spe nouarum Tabularum contra Cæsarem ad mouendam seditionem sollicitabat. Celius se cum Milone coniunxit, contrahente fugitiuorum exercitum, vt Romam rediret, ambo interfecti sunt, Milo & Celius.

Anno igitur septingentesimo quinto mense Ianuario Cæsar Consul nauigauit in Epirum aduersus Pompeium. Et cum Pompeius Dirrachium teneret, Cæsar eò accessit. Ibi cum multa castella faceret, includurus Pompeium, etsi in aliquot paruis prælijs superiores eius milites fuissent, tamen vno prælio maiore victus est Cæsar, in quo nongentos milites amisit. Ex eo igitur loco in Thessaliam discedit, cum quidem & fames eum cogeret loca uberiora quærere. Sequitur eũ Pompeius spe elatus propter Dirrachinum prælium. Cum igitur ad Pharsalium ventum esset, nec plus Germanico miliari castra distarent, in ea Thessaliæ ora vicit Cæsar trucidatis quindecim millibus in exercitu Pompeij, & captis viginti quatuor millibus. Nam fugientibus & dissipatis hostibus clamabat Cæsar: MILES PARCE CIVIBVS.

Pompeius fugiens accessit ad Larissam, Inde nauigauit Mitylenen, vbi eius coniunx Cornelia erat.

Diuer-

Diuertit autem in hortum Cratippi Philosophi, non ingressus vrbem, apud quem cum de fortuna quereretur, disputauit an sit Prouidentia, cùm in causa meliore victus esset? Respondit Cratippus, fatales esse Imperiorum periodos, & iam conuerti Romanam Rempublicam in Monarchiam.

Cùm autem existimaret, sibi in Ægypto futurum esse fidum hospitium, & ibi posse nouos exercitus colligi, eò accessit. Vbi, quia Ptolemæus adolescens regebatur alienis consilijs, deliberarunt Pothinus Eunuchus, & Præceptor adolescentis Regis Theodotus Chius, & Achillas, qui præerat exercitui, an recipiendus esset Pompeius, quia videbant molem belli attrahi in Ægyptum, si reciperetur. Ac re diu disputata suasit Theodotus, vt interficeretur Pompeius, addens dictum: Νεκρὸς οὐ δάκνει. Et apud Lucanum Pothinus inquit: Exeat aula, qui vult esse pius. Nulla fides vnquam miseros elegit amicos. Et Pompeium accusat, qui cùm Senatus Romanus velit Ægyptum quietam esse, ipse eò bellum transferat.

Missi sunt igitur ad interficiendum Pompeium Achillas & Septimius Tribunus militum, qui olim fuerat Centurio in exercitu Pompeij. Hic Romana lingua primùm alloquitur Pompeium, deinde Græca Achillas, iubent eum ex sua naue, in qua cum coniuge & filijs vehebatur, egredi in Regiam nauem. Pompeius nihil hostile metuens trãsit in aliam nauem cũ liberto Philippo. Sed exiens recitat Sophoclis versus:

ὅσις

ὅσις δὲ πρὸς τύραννον ἐμπορεύεται,
κεἰν' ὄπι δ' ἄλῳ κἂμ' ἐλεύθερος μόλῃ

Agnoscit deinde Septimium, & alloquitur. Cumq; legeret orationem Græcam, qua Ptolemæum alloquuturus erat, Septimius à tergo cum gladio transfodere cœpit, deinde labentem foduunt Achillas & alij. Ipse in tam tristi exitu nullam deformitatem ostendit, sed gemitum edens caput inuoluit vesti, qua indutus erat. Postea transfosso & necato præcidit Septimius caput.

Consideretur autem temporis breuitas, quo hæc tantæ res in Epiro & Thessalia actæ sunt. Cæsar Consul venit in Epirum mense Ianuario. Pugna Pharsalica eo anno in Septembri aut paulò antè facta est. Pompeius interfectus est primo die Octobris, cùm inchoaret annum nonum & quinquagesimum. Natus est enim die vltimo Septembris.

Hic fuit exitus Pompeij, qui res magnas patriæ vtiles ante bellum ciuile gessit, & vsq; ad id tempus felix et valdè charus omnibus gentibus fuerat, in hoc extremo actu perfidiosè necatus est à filio eius regis, quem ipse in regnum restituerat. Est autem inter insignia exempla, quæ monent, non solum fortunam instabilem esse, sed etiam sapientum magna & tristia errata esse, sicut dicitur: οὐδεὶς ἄνθρώπων ὅσιν ἅπαντα σοφός. Nec Cæsar quicquàm asperius ei obiecit, quàm quòd dicit, hoc bellum ab eo non necessa-

rio motum esse, & tamen magis accusat incitatores quàm ipsum.

Statim autem Deus & interfectores puniuit, cùm Cæsar mense Octobri venisset in Ægyptum, & ipsi quoq; insidias struerent Achillas & Pothinus, qui, vt videtur, hanc gloriam auferre voluerunt, quòd duos summos Duces Romanos sustulissent, iussit eos interfici, Ptolemæus ipse fugiens obrutus fluctibus in mari periit, cùm Cæsar exercitum Ægyptium ad Alexandriam profligasset. Theodotum post aliquot annos Brutus, cùm post interfectum Cæsarem Sardes occupasset, cruci adfixit.

Hoc etiam considerandum est, Pompeium penè in conspectu Ierosolymæ interfectum esse, quam ante annos quindecim ceperat in ipso Paschate. Et quanquàm non spoliauit templum, tamen dehortante summo Sacerdote in SANCTVM SANCTORVM ingressus est. Hanc templi violationem sequutæ sunt pœnæ, consiliorum errores & insolentia, quæ pericula non necessarijs causis attraxit, vt de Bellerophonte dicitur, cùm res magnas Pegaso insidens gessisset, postea cùm in cœlum Pegaso vehi vellet, excussus pedem fregit. Ac nostra ætas similia exempla vidit.

Coniunx Pompeij CORNELIA cum ingenti dolore spectatrix fuit necis mariti, in ea naue, in qua cum ipsa Pompeius vectus fuerat. Postea mox cum filijs in Cyprum redijt, inde eos in Aphricam misit ad Scipionem & Catonem. Maior natu filius Cn. Pompeius in Hispaniam anno quarto post pugnam Pharsalicam magno prælio victus est, & fugiens retractus à Cæsarianis & interfectus est. Vixit diutius alter filius Sextus Pompeius, qui Augustum & Antonium post Iulium interfectum annis octo varijs bellis exercuit, occupauit Siciliam, tenuit mare, redijt in Bithyniam, & occupauit Nicæam & Nicomediam. Sed deceptus à Titio Duce Antonij cum se ei dedidisset, ab ipso perfidiosè interfectus est.

Hic fuit exitus duorum filiorum Pompeij, sunt & procul dissidis locis interfecti & sepulti, pater in Ægypto, maior natu filius in Hispania, minor natu filius in Asia. Hæc tristia exempla intuentes simus memores regulæ, ne extra metas officij ruamus, nec moueamus non necessaria. Et illud Euripides sæpè cogitemus: Εἰ γὰρ ἄρ μεγάλα διώκων τὰ προὔντα οὐχὶ φέξει, μαινομένων ὅδε τις ὁπτοι.

Cùm autem post Pharsalicam pugnam Iulius Consul eo anno mense Octobri Alexandriam venisset, primum otiosus vt Scholasticus in turba lectiones doctorum audiuit. Sed insidias ei struxerunt illi ipsi, qui Pompeium interfecerant. Ab his insidiatoribus cùm exercitus Regij aduersus eum contracti essent, magna virtute & felicitate ab eo profligati sunt. In eo bello multùm adiutus est Antipatri Principis Idumæi consilijs & fide, qui fuit pater Herodis. Quare ei Cæsar Iudæam regendam & fruendam tradidit.

Interea Romæ Cæsari in Consulatu successerunt anno septingentesimo sexto Calenus & Vatinius. Vt autem Cæsar nomen haberet legitimi Magistratus, Dictator à M. Antonio absens creatus est in annum. Ac rediens eo anno Romam, ibi mansit aliquot mensibus.

Proximo anno septingentesimo septimo tertium Consul factus est Cæsar cum Lepido. Eo anno in Aphrica difficilè bellum gessit aduersus reliquias Pompeianas, sed vicit tandem. Ibi Petreius Iubam Regem & sese interfecit. Scipio quoq; & Cato sibi mortem conscuerunt. Afranius cùm in potestatem Cæsaris venisset, interfectus est. Inde Romam reuersus Cæsar, anno septingentesimo octauo, creatus est Dictator tertium in annos decem, & Consul quartum sine collega factus est. Egit censum, ordinauit iudicia, suppleuit Senatum, & tempora rectoribus prouinciarum præscripsit.

Anno septingentesimo nono, mense Aprili dimicauit ad Mundam cum filijs Pompeij magno cum periculo. Nam cùm primus impetum in hostem faceret, ducenta in eum tela coniecta sunt, & sero ad vesperam vicit, trucidatis triginta millibus hostium.

Recepta Hispania & pacatis omnibus prouincijs Romam mense Octobri rediit, vbi ei noui honores decreti sunt, vt Dictator perpetuus & Imperator nominaretur, & sacrosanctus esset, id est, muiolabilis, ἱερὸς καὶ ἄσυλος, & vt Magistratus iurarent in ipsius acta. Ita summa potestas ei attributa est vniuersæ guberna-

bernationis. Eo tempore leges Iulias tulit, & annum ordinauit, quo hactenus vniuersa posteritas vsa est, & annus Iulianus appellatur, cuius rationem perturbatam in bellis ciuilibus Augustus restituit. Nam ante Iulium Romani mensibus duodecim Lunaribus annum finiebant, & quia supersunt vndecim dies, qui nominantur ἐπάκται, intra octo annos addebantur tres menses intercalares, quod nominabant ὀκτωετηρίδα, ita, vt tres anni postremi haberent singuli tredecim menses. Hæc ratio cum esset confusior, nec initia annorum in diem certum inciderent, Iulius hanc politiam & Solaris anni rationem de consilio Sosigenis Mathematici instituit, quem ex Alexandria Romam duxerat. Nam in Imperijs certam annorum rationem esse propter multas magnas causas, iudicia, contractus, historias, necessarium est.

Semper autem etiam mediocres gubernatores in magnis periculis sunt. Cassius igitur cùm non obtinuisset Præturam vrbanam, quam appetebat, & alioqui Cæsarem odisset, primus fuit autor consilij de interficiendo Cæsare, & arte Brutum ad societatem huius consilij pertraxit. Deinde Bruti autoritas cæteros adiunxit. Facta igitur arcana conspiratione Idibus Martijs, IVLIVS CAESAR in curia Pompeij à Cassio & Bruto & cæteris huius consilij conscijs interfectus est, acceptis viginti tribus vulneribus.

Hic exitus tanti viri inter insignia exempla est, non solum instabilitatis fortunæ, sed etiam ingratitudinis

dinis humanæ & perfidiæ. Quia plurimi interfectores à Iulio non solum seruati, sed etiam honoribus & potentia ornati fuerunt. Nec eo sublato pax esse potuit, etsi Cicero & alij Senatores pacem facere conati sunt. Ac statim postridie in Senatu factum est decretum de ἀμνηστίᾳ, id est, vt omnium priorum offensionum & cædis obliuio esset, & forma Reipublicæ non mutaretur, nec noua bella mouerentur.

Quàm breuis fuerit dominatio Cæsaris post reditum ex Hispania, pacatis omnibus prouincijs, intelligi potest ex temporum serie. Mense Octobri Romam reuersus, proximo Martio interfectus est, anno ætatis sexto & quinquagesimo. Anno belli ciuilis à fuga Pompeij ex Italia sexto. Nec intexam disputationem de iure. Etsi fecit quædam insolentius, tamen multò moderatior fuit Sylla & Mario & alijs, qui antea in ciuilibus bellis Rempublicam oppresserunt. Et cùm reuera Iulius MAGISTRATVS esset decreto publico confirmatus, quo ei tributa erat summa potestas, & quo sanxerat Senatus eum inuiolabilem esse, iniustum fuit eum interficere. De initio belli etiam iudico, eum in casu legitimæ defensionis arma cepisse. Sed sciamus, res humanas quamlibet florentes, facilimè euerti, deferente DEO, sicut scriptum est. Scio Domine, non est hominis via eius etc. Et memimerimus dictum Herodoti in Polymnia: θυκτὸν οὐδὲν εἶναι, οὐδ' ἔσεσθαι, τῶν κακὸν ἦδη ἀρχῆς γινομένῳ οὐ σωτέμιχθαι: τοῖς δὲ μεγίστοις μέγιστα.

Inter-

Interfecto autem Iulio pax retineri non potuit. Senatus ad reprimendum Antonium adiunxit sibi Octauium Cæsarem. Postea se coniunxerunt Octauius Cæsar, Antonius & Lepidus, mense Decembri eiusdem anni, quo Iulius interfectus fuit. Horum Triumuiratus plenus fuit crudelitatis. Multi præcipuæ nobilitatis Romæ proscripti & interfecti sunt. Tunc & M. CICERO ingressus annum sexagesimum quartum mense Ianuario interfectus est, cuius caput cum dextra in rostris positum est,

Anno septingentesimo duodecimo Antonius & Octauius Cæsar Brutum & Cassium bello persequuti sunt. Cassius sibi ipsi mortem conscriuit. Brutus postea quoq; se interfici à Stratone iussit, cum aliquantò antè Brutus recitasset hunc versum:

Ζεῦ μὴ λάθοι σε τῶνδε ὃς αἴτιος κακῶν.

Quo versu mala imprecatus est autori tantarum calamitatum.

Tandem & inter Triumuiros dissensiones ortæ sunt, vt dicitur: Nulla fides regni socijs, omnisq; potestas impatiens consortis erit. Cumq; Antonius sperans se solum potiturum imperio, ex Ægypto magnum exercitum Romam adduceret, Octauius Cæsar cum exercitu in Epirum traiecit, vbi victum & fugatum Antonium secutus est Alexandriam. Ibi ante aduentum Octauij Cæsaris domunculã extruxerat, in qua velut in secessu dicebat se Timonis μισανθρώπου

vitam acturum esse. Postea ab Octauio circumsessus cùm aliquoties infeliciter dimicasset, & ei falsò nunciatum esset, Cleopatram sibi conscisisse mortem, ipse sese interfecit, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, Anno autem duodecimo post mortem Iulij Cæsaris. Deinde & Cleopatra sibi aspides admouit, quæ eam necârunt. Hæc facta sunt anno Vrbis septingentesimo vicesimo secundo. Postea solus tenuit Imperium Octauius Cæsar, cui Senatus tribuit nomen AVGVSTI.

DE IVDÆA ET DE ECCLESIA.

CVM in historia consideratio Ecclesiæ præcipua esse debeat, dicamus etiam in hac vniuersali mutatione generis humani, cùm intra paucos annos & cessisset Romanæ potentiæ penè totus orbis terrarum nobis cognitus, & ipsi inter sese Romani ciues moto bello domestico collisi magnas vastationes in toto Imperio fecissent, an Iudæa fuerit tranquilla, vbi sedes fuerit veræ Ecclesiæ.

Incidit autem in hanc vniuersalem generis humani mutationem & finis propriæ periodi regni Iudaici, de qua dictum fuit: Non auferetur sceptrum à Iuda, donec veniet Siloh. Quare cum articuli illi mutationum maximè sint turbulenti, Iudæa etiam fuit

fuit inquieta. Sed ipsa, vt fit, domestica fratrum discordia attraxit ingentes calamitates, quas tamen Deus mitigauit, ne funditus Ecclesia deleretur. Primùm autem de Ecclesia in ea sede hæc considerentur. Sacerdotia tenebant homines prophani. Doctrinæ genus quod latissimè vagabatur in populo, erat Pharisaicum. Nec tamen exigua multitudo amplexa est Epicuræos furores Zadducæorum. Ita in magna multitudine extincta fuit vera inuocatio Dei, partim superstitione Pharisæorum, partim Epicuræa prophanitate Zadducæorum. Seruauit tamen Deus pias reliquias, Simeonem, Zachariam, parentes Mariæ, & cœtum aliquem, qui horum doctrinam piè & constanter amplexus est, & verè Deum cum ipsis inuocauit in agnitione & fiducia filij Dei, & ab erroribus Pharisæorum & Zadducæorum abhorruit, & eos, quoties fuit occasio, refutauit. Hic pius cœtus in quantis fuerit periculis, intelligi potest ex morte Zachariæ patris Baptistæ: Credo enim vetustati, quæ narrat, Zachariam propter piam confessionem interfectum esse. Accedebant autem aliæ magnæ calamitates propter assidua bella, donec Iudæam Augustus in prouinciæ formam redegit. Postquàm enim Pompeius capta Ierosolyma anno quintodecimo ante bellum ciuile susceptũ aduersus Iulium, Hircano summum Sacerdotium restituit, & Aristobulum cum duobus filijs Alexandro & Antigono Romam abduxit, rursus bella in Iudæa mota

dæa mota sunt anno post iter Põpeij septimo ab Aristobulo, qui ex vrbe Roma clam fugiẽs in Iudæam rediit.

Cumq; Alexander biennio in Iudæa grassatus esset, peruenit in amicitiam Crassi, cui fuit incitator, vt Ierosolymam ingrederetur, vbi magnam pecuniam auferre posset. Facilè persuadet auaris simo Duci, qui Templum violauit atrocius quàm Pompeius. Nam & in aditum ingressus est, & abstulit decem millia talentorum, id est, sexaginta Tonnas auri, & alia ornamenta. Eius Sacrilegij postea pœnas dederunt & Crassus & hic Aristobuli filius. Alexander interfectus à Scipione, qui initio belli Pompeiani Syriam regebat. Pater Aristobulus secundò reuersus in Iudæam cum duabus legionibus à Iulio datis, veneno extinctus est à Pompeianis.

Fugerat Antigonus Aristobuli filius ex vrbe Roma cum fratre Alexandro. Cumq; Iulius ex Ægypto in Iudæam venisset, petiuit sibi regnum tradi, quod Pompeius Hircano patruo tribuerat, sperans odio Pompeij Iulium fore sibi æquiorem. Sed Iulius prætulit Idumæum Antipatrum, cuius sapientiam & fidem probabat. Etsi Antipater moderatus erat, tamen Iudæi impatienter ferentes peregrinum dominum, subinde seditiones mouerunt. Ezechiam ducem seditiosorum fortiter oppressit Herodes, cui pater Galilæam tuendam commendauerat. Postea interfecto

Iulio cum sperarent inimici Antipatri nouam rerum conuersionem, necatur Antipater veneno à Malcho, qui cum regnum appeteret, Cassio interfectori Iulij misso in Syriam se adiunxit. Sed Cassius seditiosum hominem Malchum interfici iussit.

Tertiò anno post interfectum Iulium, cùm Rex Parthorum speraret se potiturum esse Syria, cùm & Cassius iam post pugnam in Macedonia periisset, adduxit exercitum in Syriam. In tantis confusionibus totius orbis terrarum nouas spes & Antigonus habet, impetrat auxilia à Pacoro rege Parthorum, & Ierosolymam in Pentecoste occupat, sitq; magnum prælium intra mœnia. Cumq; Phaselus & Hircanus ad Pacorum fraude adducti essent, Rex Pacorus regnum Iudææ tradidit Antigono, & retinet captiuos Hircanum & Phaselum. Hircanus truncatur auribus, & in Parthos mittitur, Phaselus contumeliarum impatiens, in vinculis capite allisso ad parietem, mortem sibi conscinit.

Interea magno cum periculo primùm in Idumeam fugiens Herodes euasit. Postea ad vrbem Romam accessit, vt laudata patris fide erga Iulium, & cõmemorata societate Antigoni cum Parthis, Antigonus iudicatur hostis populi Romani, & Herodes Rex Iudææ appellatur. Et egressus ex curia medius inter Antonium

tonium & Octauium, præcedentibus consulibus Domitio Caluino & Asinio Pollione, & comitantibus reliquis Magistratibus & Senatoribus in Capitolium ad sacrificium deducitur. Hæc acta sunt anno quarto post interfectum Iulium, ante natum Christum tricesimo septimo. Initium enim regni Herodis ab hoc anno sumitur, quo Rex à Senatu Romano appellatus est. Interea in Iudæa regnat Antigonus, & regnum annos quinq; tenuit. Sed inter adsidua bella, & inter tantas vastationes & petulantiam militum, qui ex crudelissimis gentibus collecti erant, Iudæis, Parthis, Arabibus, Syriacis & Romanis, familias pias vt Zachariæ, Simeonis, parentum Mariæ, & similes protectas & seruatas esse valdè mirum est. Verùm hæc imago docet nos, Ecclesiam à Deo protegi & seruari inter horribiles ruinas Imperiorum, etiam destitutam humanis præsidijs.

Redijt Herodes statim in Syriam cum Ventidio missus aduersus Parthos, & quanquàm acceperat partem copiarum à Ventidio, tamen intra biennium recuperare Ierosolymam non potuit. Interea milites in vtraq; parte trucidabant & spoliabant multos inermes, & multorum coniuges & filias rapiebant, quia dux Herodi additus Silo pecunia corruptus erat ab Antigono. Tandem cùm Antonius venisset in Syriam, ducem Sosium cum duabus legionibus Herodi adiungit. Has copias cùm adiunxisset Herodes cũ suo

suo exercitu, Ierosolymam quinq; mensibus circumsidet, & factis aliquot prælijs sexto mense eam capit, eodem die & mense, quo eam ceperat Pompeius ante annos septem & viginti. Magna cædes in vrbe facta est. Antigonus abducitur ad Antonium Antiochiam, & ibi iubente Antonio tanquàm hostis populi Romani securi percussus est.

Facta igitur regni & Regij nominis translatione ad peregrinam stirpem, nemo postea ex stirpe IVDA regnauit. Summum Sacerdotium etiam dederunt Reges quibus libuit, contra legem Mosaicam. Hircanum reuocauit Herodes ex Babylone datis muneribus regi Parthorum, sed propter mutilationem aurium non restituit ei Summum Sacerdotium. Postea octogenarium interfici iussit. Deleuit & summum Senatum populi Iudæorum, videlicet, septuaginta duos Seniores, quem Senatum Iudæi nominarunt SANHEDRIN, vocabulo facto ex Græca appellatione συνέδριον.

Cùm igitur magna multitudo populi errores Phariseorum & Zadducæorum amplexa esset, & in assiduis seditionibus & bellis inter impios milites cresceret prophanitas, & multi pij interficerentur, & studia veræ doctrinæ extinguerentur, quam fuerit exigua vera Ecclesia cogitandum est. Fuit tamen

aliqua

aliquâ, in qua manserunt lux veræ doctrinæ de Deo & de filio Dei, de Lege, de promissione Gratiæ, de veris cultibus, & vera Dei inuocatione, & initia salutis æternæ, scilicet Zacharias, Elizabeth, Simeon, parentes Mariæ, Maria virgo, soror eius, & cœtus, qui horum doctrinam amplexus est.

Sciamus autem, illud tempus imaginem esse huius senectæ mundi, in qua etiam vniuersalis mutatio generis humani in conspectu est. Latissimè vagatur doctrina Monachorum & Papæ, vt Pharisæorum & Zadducæorum, quæ pugnat cum lege DEI ac Euangelio, & iubet Idola colere, & delere nomen filij Dei palàm conantur Gog & Magog, id est, Turci & alij Mahometici, & stabiliunt Idola plurimi Reges, Principes & eorum doctores. Inter has confusiones seruat tamen Deus aliquam veram Ecclesiam, quæ sonat veram doctrinam, & rectè inuocat eum in agnitione & fiducia Filij. Sicut expressè dicitur de extrema senecta mundi: Erit sicut in diebus Nohæ, vnus adsumitur, alter relinquetur.

Confirmemur autem exemplo tristissimi temporis Zachariæ, ne cogitemus, nullam esse Ecclesiam Dei, quia adeò exiguam esse videmus & oppressam ingentibus calamitatibus. Sed firma adsensione quotidiè pronunciemus articulum in Symbolo. CREDO

DO ESSE ECCLESIAM CATHOLICAM, & discamus, quæ & vbi sit vera Dei Ecclesia, & nos in eam includamus, & speremus Filium Dei nos protecturum & seruaturum esse. Et vt nos protegat & seruet adsiduis votis & gemitibus petamus, sicut dixit: Nemo rapiet oues meas ex manibus meis.

DEO GRATIA.

Finis primæ partis Chronicorum.

SECVNDA PARS

CHRONICI CARIONIS, AB AVGVSTO CÆSARE vsq; ad Carolum Magnum.

Expoſita & aucta à

Philippo Melanthone.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareæ Maieſtat. & Ducis Sax. Elect. &c.

VVITEBERGÆ

Excudebat Matthæus VVelack.

Anno M. D. LXXXII.

EPIGRAMMA DE MONARCHIIS.

ASpicis vt iaceant disiecti membra Colossi,
Quem Rex Chaldæa vidit in arce senex.
Stat tantùm pars ima pedum ferroq; lutoq;
Mixta, statim rimis corruitura suis.
Deleuêre vrbes Turci populosq; potentes,
Nec gens imperium sæuior vlla tenet.
Sunt igitur Turci magnæ pars ferrea plantæ,
Et sunt infirmum cætera regna lutum.
Sed lapis absq; manu celsô de monte reuulsus,
Moxq; aderit iudex Filius ipse DEI.
Tôtius & plantæ delens ferrumq; lutumq;
Regna dabit populo non peritura suo.
Ergô Dei Gnato dedant se pectora nostra,
Ipsius & discant iussa ferenda sequi.
Ω ΛΟΓΕ *Gnate Dei, nostris in mentibus adsis,*
Et flatu accendas pectora nostra tuo.

Philippus Melanthon.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO *PRINCIPI ET DOMINO, DOmino* SIGISMVNDO, *Archiepiscopo Meideburgensi, Primati Germaniæ, Administratori Halberstatensi, Marchioni Brandeburgensi, Duci Pomeraniæ, Silesiæ &c. Burggrauio Noribergensi &c. Principi Clementissimo*

S. D.

NON DVBIVM EST FATERI SAnos omnes, necessariam esse cognitionem Historiæ omnium temporum, de Ecclesia præsertim, & de serie Imperiorum, quæ fuerunt in genere humano præcipua, quantum sciri potest. Sed nostræ commemorationes de vtilitate Lectionis Historiarum proponuntur Iuniorum causa, vt ad hanc considerationem inuitentur, quam si qui non expetunt, amentia eorum & detestanda & deploranda est. Aliquid igitur in vestibulo primæ Partis huius Compendij de serie Temporum mundi, de vtilitate huius Lectionis dixi, iuniorum causa, measq; adhortationes multis prodesse optarim.

Ego quidem bono studio hoc Compendi-

um institui, Sed fateor quod res est: Vt in longo itinere, ita in hoc opere, quò longiùs progressus sum, eò magis defatigatus sum. Initia Mundi & Imperiorum habent & res splendidiores & Scriptores meliores.

Quanta magnitudo est diuinorum operum in eductione Ecclesiæ ex Aegypto, in constitutione & defensione politiæ Mosaicæ? Quanta virtus in Monarchijs, in Cyro, in Dario Hystaspis, in Philippo Macedone, in Alexandro, Antigono, Pyrrho. In Atticis Ducibus, Miltiade, Themistocle, Cimone, Aristide. In Romanis, Camillo, Fabijs, Marcellis, Scipionibus, Aemilijs, Pompeio, Iulio. Hos vtcunq; complexi sumus in priore libello. Et quid dulcius est lectione Scriptorum, ex quibus illorum Historiæ excerpendæ fuerunt, vt Prophetarum, deinde Herodoti, Thucydidis, Xenophontis, Diodori, Liuij, Iulij. At post Augustum præter initia Ecclesiæ Christi, quid in cæteris est, quod delectare legentem possit?

Cohorresco intuens illa monstra Imperatorum, quæ sequuntur plurima, ac deploro hanc ingentem calamitatem generis humani, quòd cùm in summo fastigio conspici sapientiam & virtutem Deus velit, tamen plurimi Imperatores spurcissimæ belluæ fuerunt. Nec habet sequens ætas post Augustum Scriptores disertos, & quia ἀπὸ

ἀπὸ ἔργων οὐ καλῶν οὐκ ἐστὶν ἔπηκαλὰ, et quia deterrebantur idonei Scriptores metu Tyrannorum. Præterea quàm tristia spectacula sunt lanienæ Theologicæ, Hæreticorum rabies, vlulatus furiarum in impijs dogmatibus, Sinonia consilia in incitandis aulis, præstigiæ Sophismatum in tuendis manifestis mendacijs. Quare hic mihi labor priore multò & difficilior & molestior fuit. Pertexui tamen & hanc partem, quia literarum studiosos necesse est integram temporum seriem nosse.

Quòd autem voce diuina prædictum est: In senecta mundi errores fore Imperiorum & Historiæ confusiones, id in hac parte Ecclesiæ conspicitur. In dilaceratione Romani Imperij, quantum initiò seditionum fuit? Postea quàm multæ gentes antè ignotæ, inter se orbem terrarum partitæ sunt? Interea & doctrinæ extinctæ sunt, & ἀνοχία licentiam præbuit malis ingenijs spargendi infinita deliria. Harum calamitatum consideratio ad quid prodest inquies?

Existimo bona ingenia moueri primùm, vt magis cogitent, in quantis periculis viuant: deinde vt nauigantes in sæuissima tempestate, duas res adhibeant, Inuocationem Dei, & diligentiam, qua suo quisq; loco mandatas operas modestè facit, ne in ipsa naue seditiosi tumultus oriantur: ita nunc & assiduis votis petamus,

vt filius Dei suam cymbam gubernet, & semper inter nos aliquam sibi Ecclesiam colligat, & præbeat ei mediocria hospitia, nec sinat fieri infinitas dissipationes. Deinde accedat hæc diligentia: Vt gubernator Nauis seu ex stellis, seu ex Magnetis acie iudicat, quà dirigenda sit Nauis: ita nos magna cura circumspectemus, quæ & vbi sit vera Ecclesia Deum rectè inuocans, quod iudicari ex genere doctrinæ potest. Non enim sunt aut paruæ, aut obscuræ res, de quibus dissensiones sunt.

Facile est iudicium, qui homines, in quibus locis manifesta Idola, & manifestè absurda tuentur, & qui ad defensionem errorum parricidia addant. Hæc non tegi possunt grandiloquencia Staphyli aut præstigijs Sophistarum, qui sui Theatri plausus captant. Simus memores vocis Psalmi: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et rectè Nazianzenus:

Ζητῶ Νῶε κιβωτὸν, ὅπως μόρον αἰνὸν ἀλύξω.

Deinde cùm constiteris in hac Naue, quæ verè est Ecclesia, modestè facito mandatas operas, non moueto seditionem inter Remiges, quædam incommoda sapienter feras, coniunctionem tueaaris, circumspectes quales sint, qui seditiones mouent, & quas causas habeant. Quidam inscitia peccant, sed multò plures ambitione, cupiditate vindictæ, & auaricia, qui morbi facilè deprehendi possunt

di possunt. Samosatenum ambitio & aulica potentia apud Zenobiam impulit, vt Iudaicas corruptelas fereret.

Quàm multi apud Constantinum & deinde apud Iulianum, vt potentiam aut opes venarentur, veritatem abiecerunt? Non indulgeamus his cupiditatibus, de quibus inquit Nazianzenus: πῶς μὴ ὅσοι φίλον, καὶ κερκώπων κρέσσες εἶμι, αὐτὰρ ἐγὼ χρισῷ πλήσομαι ἀτρεμέων: Anteferamus vniuersæ Ecclesiæ salutem nostris commoditatibus. De hac enim ferè dici potest illud Sophocleum:

Ἡδ' ἐστὶν ἡ σώζουσα καὶ πώτης ὅπι
πλέοντες ὀρθῆς τοὺς φίλους πιέμεθα.

Est historia pictura generis humani, in qua & Imperiorum & Ecclesiæ ærumnæ & pericula cernuntur, quæ aspicientes & in ciuili consuetudine, & in Ecclesia modesti simus, intuentes & nostram & alienam infirmitatem, cogitantes etiam illud, exorta incendia non facilè restingui, & ferè semper ex vno tumultu longi temporis bella & orbis mutationes sequi. Quantam ruinam traxit Ariana discordia? ex qua postea Mahometici furores orti, maximam partem generis humani à Deo auulserunt.

Hæc cogitanda sunt in lectione Historiarum & mentes ad modestiam flectendæ sunt. Prodest etiam scire in Ecclesia, quid saniores quoli-

bet tempore iudicauerint, & quæ ipsi vetustiora testimonia protulerint. Necesse est enim nosse primæ & purioris Ecclesiæ sententias. Spero igitur & hunc nostrum laborem studiosis profuturum esse, & vt prosit opto.

Volui autem & in hac editione mentionem tui nominis facere Illustrissime & Reuerendissime Princeps, propter easdem causas, quas exposui in priore editione, ac Cels. tuam oro, vt & honestas doctrinas & rectè docentes autoritate tua contra rabiem Sophistarum, qui & doctrinas & disciplinam delere conantur, tuearis.

Toto pectore autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis & resuscitatum, sedentem ad dextram æterni Patris, ac dona largientem hominibus, oro, vt semper in his regionibus Ecclesiam sibi colligat, eamque gubernet & protegat, Amen. Anno 1560. Die 25. Martij, quo die Filius Dei Dominus noster Iesus Christus ante annos 1526. in Cruce pro nobis victima factus est. Et scribitur eo die creatos esse Adam & Heuam ante annos 5522.

Illustriss. Celsitudinis

Tuæ seruus

Philippus Melanth.

LIBER TERTIVS DE QVARTA MONARCHIA.

VM DANIEL Quartam Monarchiam nominat & pingit, non tantùm à Iulio aut Augusto eam orditur, sed complectitur tempus, quo vrbs Roma summum Imperium tenuit, etiam ante bella ciuilia. Et cùm adeò terribilem speciem pingit, significat bella ciuilia, & deinde sæuitiam, quam Tyranni in illo Imperio in Ecclesiam exercuerunt, quia hæc duo mala maximas vastationes in genere humano ante Gotthica, Saracenica & Turcica tempora fecerunt. Iterùm verò consideremus, quare Deus voluerit notam esse seriem Monarchiarum, videlicet, Quia vult sciri, has generis humani confusiones non fore sempiternas, sed aliquando finem futurum esse, & sequuturam meliorem Ecclesiæ vitam. Vult item sciri, quo tempore Filius Dei se ostensurus fuerit hominibus, & postea in fine mundi sit iudicaturus. Ideo Monarchias distinguit, vt monstraret tempus aduentus Filij. Ac prædicit Filium in quarta Monarchia venturum esse. Non igitur deficiamus à Deo, sed expectemus aliam vitam, & sciamus illud tempus melioris vitæ non procul esse. Hæc & alia multa consideranda sunt in lectione Da-

nielis. Nos ad seriem redeamus. Vsitatum est ordiri quartam Monarchiam à IVLIO vel AVGVSTO, eam consuetudinem nos quoq; sequimur.

ANNOTATIO ANNORVM.

AB initio IVLII incoantur anni Augusti, cùm Augusto tribuuntur anni quinquaginta sex.

IMPERATOR OCTAVIVS CÆSAR AVGVSTVS tenuit Imperium ab interitu Iulij annos 56. In his annis inclusi sunt anni duodecim, in quibus habuit Collegam ANTONIVM.

CVM autem incoantur anni Augusti ab interitu Iulij, initium erit ab anno vrbis Romæ septingentesimo vndecimo.

Anno Mundi ter millesimo, nongentesimo, vicesimo tertio.

Anno à morte Alexandri vsq; ad interfectum Iulium, vt Ptolemæus numerat, ducentesimo, octuagesimo secundo.

Anno ante Christum natum ex virgine Maria quadragesimo secundo, ab interitu Iulij.

Estq; diligenter obseruandum, vbi anni Antonij includantur.

Mirandi successus Augusti considerentur in integris historijs, & opera Dei esse agnoscamus constitutionem Imperij in horribilibus confusionibus, quales tunc fuerunt, Bruto, Cassio, Dolobella, Lepido, L. Antonio, S. Pompeio, M. Antonio passim bella mouentibus. Hos omnes diuinitùs oppressit Augustus, cum Adolescens primùm Consul factus fuisset, natus annos viginti.

Nomen CÆSARIS habuit propter adoptionem, quia Iulius eum, cum natus esset ex Accia filia sororis Iulij, adoptauit & hæredem scripsit. Ideo fuit hostis interfectorum Iulij.

IVLIA SOror Iulij. — ACCIVS BALBVS maritus Iuliæ.

ACCIA filia Iuliæ & Accij Balbi, nupta Octauio.

OCTAVIVS AVGVSTVS filius Octauij & Acciæ.

Bellis ciuilibus finitis, extincto ANTONIO, præcipua bella gessit Augustus per Tiberium in Pannonia & Norico. Item per Drusum Germanicum in Rhetia & Vindelicis. Postea non procul à Moguntia Drusus, cum in prælio crus fregisset, mortuus est. Strabo inquit lib. 7. inter Salam & Rhenum prælians læsum esse. Suprà autem de Norici & Rhetiæ appellationibus dictum est. Noricum est inferior Bauaria & Austria. Rhetia quæ ab Alpibus vsq; ad Augustam Rheticam porrigitur, Tirolensis Regio & vicinia.

ANNO

ANNO AVGVSTI IMPERATORIS QVADRAGESIMO SECVNDO natus est ex virgine MARIA filius Dei, Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui est λόγος æterni patris, ac protulit ex sinu æterni Patris promissionem Gratiæ, & alloquutus est primos patres, & semper collegit æternam Ecclesiam, & assumsit humanam naturam, vt esset Mediator, Redemtor & Saluator, merito & efficacia, de qua tota doctrina Euangelij cognoscenda est, sicut præcipit æternus pater: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, Hunc audite. Vt autem prædictum fuit, natus est Christus ex Virgine in fine politiæ Mosaicæ, cùm iam peregrinus Rex esset HERODES, sicut prædictum fuit: Non auferetur Sceptrum à Iuda, nec Magister à pedibus eius, donec venerit SILO.

In dicto Eliæ etiam tempora Mundi sic distributa sunt, vt significetur, Messiam se ostensurum esse Mundo post quatuor Millenarios. Natus est Christus ex virgine anno Mundi ter millesimo, nongentesimo, sexagesimo tertio. Ita apparet, ferè completos esse quatuor millenarios. Estq; hic annus à morte Alexandri, annus trecentesimus, vicesimus quartus. Annus vrbis Romæ septingentesimus quinquagesimus primus.

DE HARMINIO DVCE CHERVSCORVM.

DION

DION scribit, Quinto Sulpitio & Poppeo Sabino Consulibus, trucidatas esse Romanas legiones in Germania, quarum Dux fuit Quintilius Varus. Incidit autem horum Consulatus in annum vndecimum ætatis Christi, quo tempore Iudæa tranquilla erat. Cùm enim ARCHELAVS triginta millia ciuium, qui in Templum confugerant, in Paschate interfecisset, & summum Sacerdotium traderet & eriperet quibus vellet, & magna sæuitia multitudinem irritaret, vnde crebræ seditiones oriebantur, Augustus vocatum Romam, relegauit in Galliam, & dedit Rectorem Iudææ COPONIVM. Ita tunc primùm in formam prouinciæ Iudæa redacta est, concessa tamen genti αὐτονομία in religione & Iurisdictione inferiore. Hoc modo pacem Deus Iudææ tribuit per Romanos Magistratus, vt Ecclesiæ reliquiæ seruarentur, & Zacharias, Simeon, Iohannes, Christus & deinde Apostoli aliquantisper locum docendi haberent. Nam Herodes & eius posteri non faciebant finem lanienæ, trucidabant præcipuos viros, & assiduis seditionibus occasionem præbebant.

Cùm igitur pax esset, Coponio regente Iudæam, CHRISTVS anno duodecimo suæ ætatis Ierosolymæ in templo docuit.

Ante eum annum, aut circiter, in Germania tres legiones Romanæ interfectæ sunt ab Harminio, quẽ nominant Ducem Cheruscorum, quos fuisse inter Salam &

lam & Harciniam ſyluam, verſus Goslariam, non dubium eſt. Et vox CHERVSCI adſinis eſt appellationi huius temporis, Hertziſche. Iam enim Romani domitis Noricis & Rhetia, procedebant in Arctoam Germaniæ oram, quam & propriè Germaniam vetuſtas nominauit. Sintq; notæ appellationes.

Nomen & regionem Boiemiæ adhuc nouit hæc ætas. Quia Boij gens Alpina, in ea loca tranſierant ad Syluam Gabretam, quæ nunc Bohemica appellatur. Marcomanni vicini ſunt, tunc Moraui.

Ab altera parte fuerunt HERMVNDVRI, qui nunc Miſnenſes nominatur. Quia expreſsè inquit Tacitus: Albim in Hermunduris oriri. Et Strabo vicinos eſſe dicit Hermunduros Longobardis, quorum ſedes fuit à confluente Albis & Salæ, in ripa Albis occidentali, quæ nunc eſt regio Meideburgenſis & Halberſtadienſis.

Vltra Salam & Harciniam fuerunt CHERVSCI, ad Norhauſen & Goslariam.

Sub Cheruſcis & Longobardis fuerunt BRVCTERI, in regione Brunſuicenſi, vbi adhuc reliqua eſt appellatio montis Bructeri. Sic & Claudianus inquit: Venit accola ſyluæ Bructerus Harciniæ.

E regione Longobardorum in ripa Albis Orientali fuiſſe SENONAS manifeſtè adſirmat Strabo, quæ regio nunc appellatur vetus Marchia, circa Stendaliam, & vicinas vrbes. Ac gentis integritatem

tem ita prædicat, vt ſingat Etymologiam à σεμνὸς quod eſt à σέβας.

Sub Bructeris fuerunt CAVCI ſeu CAICI ad Viſurgim vſq; ad Bremam. Eſt autẽ vetus appellatio: Nam cùm nominat Homerus Pæonas & Myſos, adiungit eis Cauconas. Quare inde ad noſtrũ litus cum Cimbris aut Henetis progreſſos eſſe exiſtimo.

Caucis proximi ſunt FRISII. Deinde TEVTONES & DITMARSI, qui tamen progreſſi à littore, tenuerunt oram Vueſtualiæ & oram Cleuenſem. Fuerunt in Vueſtualia & ANGRIVARII, vnde reliquum nomen eſt Engern. Et appellatio ANGLI huic adſinis eſt.

SICAMBRI, Geldrenſes. Et videtur nomen factum, vel à Lacubus & mari, See am Meere, vel à victoribus Cimbris.

CIMBRI magnam partem littoris ad Cimbritam Cherſoneſum tenuerunt, videlicet tractum Megalburgenſem. His vicini ſupra Roſtochium fuerunt BVRGVNDI.

Verſus Orientem in littore fuerunt SVEVI, qui nunc Pomerani nominantur, & pars Pruſſiæ.

Deinde GETAE, quos Plinius GVTONES appellat. Obſeruandum eſt enim, nomina eadem alios magis, alios minus agreſti & horrido ſono pronunciaſſe. Placet Etymologia GEDANI, quod dicunt à Getis & Danis nominatum eſſe, nec aliud nomen GOTHINOS, quàm Getas, eſſe iudico.

Pro-

Progressiones gentium etiam considerandæ sunt. Nam Iulij tempore Sueui in Vuestualiam transierunt. Postea eis ab Augusto sedes datæ sunt in Rhetia, vbi nunc reliquum est nomen Sueuiæ.

CATTI sunt Hessi, & aliquò vsq; vicini, vnde est Catthenelnbogen. Et nomen Catti idem est quod Hassi, aliquantulùm mutata veteri pronunciatione. Hos scribit Tacitus cum Cheruscis bella gessisse de fontibus Salis. Intelligo igitur, Hessos & proximos Turingos, gessisse bella cum Harcinijs de Salinis, quæ sunt nobis vicinæ in ripa Salæ.

Cattis versus Rhenum vicini fuerunt TENCTERI, quæ sunt à Francofordia, quæ est in ripa Mœni versus Moguntiam & ripam Mosellæ vsq; ad Coloniam Agrippinam, tractus Wedderaw, & Nassaënsis, & Vuidensis.

Idem nomen esse iudico Tencteros & TVNGROS. Nominantur autem Tungri infra Coloniam Iuliacenses, etsi postea longiùs progressi sunt.

Sunt è regione Coloniæ versus occidentem VBII die Eiffel. Supra Vbios sunt TREVIRI, & VANGIONES vom Gaw, qui sunt Vuormacienses.

Supra hos sunt NEMETES, Spirenses.

CHARITINI tractus Vuirtebergensis. Idq; nomen factum est ab Hortis, Gertner.

Supra hos ad meridiem sunt RHETII.

Ad

Ad occidentem sunt ELVETII.

Ad septentrionem sunt VSIPII, qui nunc Franci nominantur. Sunt autem multa nomina gentium migrationibus & imperijs nouis mutata, vt cùm Franci latè dominarentur, magna pars Germaniæ & Galliæ FRANCIA dicta est.

HENETI à Vistula ad Albim procedentes, dederunt nouas appellationes Silesijs et multis vicinis, etsi ego quidem existimo, Henetos etiam ante Gothica tempora mixtos fuisse gentibus Teutonicis, quia Dion expressè scribit, Albim oriri in montibus Vandalicis.

Apud Tacitum sunt ELISII, videlicet Silesij aut Lusatij, mutata voce in sonum elegantiorem.

Hac breui nominum explicatione in hoc compendio contenti simus.

PVGNA HARMINII facta est in Vuestualia, non procul à Padelborn, inter fluuios Lippiam & Amisiam. Sic enim Tacitus expressè inquit: Quicunq; vastatum haud procul Teutoburgensi saltu, in quo reliquiæ Vari legionum, eæq; insepultæ dicebantur. Vbi Harminius Dux Cheruscorum & Longobardorum, vt Velleius narrat. id est, harum regionum inter Albim & syluam Harciniam, quæ nunc propriè nomen habent SAXONIÆ, seu regionis Meideburgensis, Goslariensis & Brunsuicensis, deleuit tres Romanas legiones. QVINTIL. VARVS sibi ipse mortem consciuit. Romæ ideo tanta

consternatio fuit, vt Augustus sæpe exclamaret: Quintili, redde legiones: quia metuebant Harminium rectà in Italiã transiturũ esse, vt olim Cimbri fecerant. Sed arte repressus est Harminius, quia aduersus eum vicini conducti sunt, ab altera parte Boiemi, ab altera Sueui.

His hostibus domitis creuit Harminij potentia, cùm iam teneret has regiones continuas, quæ nunc nominantur Vuestualia, Harcinia, Saxonia, Marchia, Mysnia & Bohemia, quarum, si sint coniunctæ & concordes, magnum robur esse manifestum est.

Cùm autem annos duodecim post deletas Quintilij legiones patriam & vicinas regiones victor teniuisset, & non solùm virtus eius, sed ætas etiam formidabilis esset, dolo Tiberij Imperatoris cognati ipsius conducti, domi eum interfecerunt. Et narrat Tacitus interfectum esse anno ætatis suæ tricesimo septimo. Fuit igitur singularis naturæ præstantia, cùm iuuenis res tantas gesserit. Tantùm enim triennio superauit Alexandri ætatem.

Existimo Virgilium ad hunc Harminium alludere, cùm alium quendam hoc nomine describit. Fuit enim Cheruscus Harminius Romæ obses.

Deijcit Harminium, nudo cui vertice fulua
Cæsaries, nudiq; humeri, nec vulnera terrent
Tantus in arma patet.

Hæc

Hæc de AVGVSTI temporibus annotasse satis sit, de quo cogitantes, præsentiam Dei in imperijs agnoscamus. Cùm totus orbis terrarum extincto Iulio, ciuilibus bellis arderet, Deus hunc iuuenem, qui non erat præliator, mirabiliter texit & adiuuit, Et per eum restituit in imperio pacem, leges, iudicia, & gubernationis ordinem, quo stetit aliquantisper ad posteros hæc Monarchia. Est igitur Augustus inter sapientes, bonos & vtiles generi humano Principes numerandus, & considerandum est, magnam sequentium dissimilitudinem esse, vt dona Dei discernamus à pestibus generis humani.

Anno Mundi ter millesimo, nongentesimo septuagesimo nono.

Anno à condita Roma septingentesimo, sexagesimo septimo.

Anno à nato CHRISTO ex virgine septimo decimo.

TIBERIVS IMPERATOR successit AVGVSTO, Et statim initiò Senatus in eius acta iurauit. Fuerat autem adoptatus ab Augusto, cùm esset Liuiæ filius, & prudentiam ac circũspectionem eius in regendis exercitibus Augustus probasset. Tenuit imperium annos viginti tres.

Mores priuati quales fuerint, significanter ostendit descriptio Præceptoris, cum nominauit eum Natum sanguine maceratũ. Fuit enim natura insuauis,

ironica, & sæuitiam aliquantisper occultans, & tamen impura, sæua ac Lupina.

ANNO quintodecimo Tiberij, CHRISTVS anno tricesimo ætatis suæ baptizatus est à Iohanne Baptista. Suntq; illustria testimonia Baptismo addita, in quibus se DEVS manifestè patefecit, quæ cogitanda sunt quotidiè in inuocatione, cùm discernimus nostram inuocationem ab Ethnica, agnoscentes æternum Patrem, Filium Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, & cogitantes cur miserit æternus Pater Filium & Spiritum sanctum.

Hic rursus admonendi sunt iuniores de prædictione Danielis, cuius verba, cùm de multis magnis rebus nos doceant & confirment, sæpe cogitanda sunt. Complectuntur enim Euangelij summam, & simul indicant tempus, quo Messias & concionaturus & passurus erat, stante adhuc Ierosolyma, & adfirmant futurum, vt postea deleatur politia Mosaica.

Hæc prædictio perspicuè refutat multos Iudæorum errores. Negant natum esse Messiam, negant passurum esse, ignorant doctrinam de remissione, & de iustitia, quam donat Messias, somniant instauraturum esse politiam Mosaicam. Hæ blasphemiæ omnes refutantur testimonio Danielis, quod extat in Cap. 9. his verbis:

Septuaginta Hebdomades præfinitæ sunt super populum tuum, & super vrbem Sanctuarij tui, vt finiatur

niatur præuaricatio, & obsignetur peccatum, & fiat propiciatio pro iniquitate, & adducatur iustitia sempiterna, & compleatur visio & Prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.

Scito igitur & intelligito. Ab exitu sermonis, vt redeat populus, & ædificetur Ierusalem vsq; ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt. Et habitabitur, & ædificabuntur plateæ, & muri in angustia temporum.

Et post hebdomades sexaginta & duas excindetur Christus. Et non erit ei populus & sanctuarium. Et vastabit populum dux veniens, Et finis eius in inundatione. Et post finem belli definita desolatio.

Et confirmabit testamentum multis hebdomade vna. Et in dimidio hebdomadis cessabunt hostia & sacrificium. Et super alam erit abominatio desolatrix. Et vsq; ad finem durabit præfinita desolatio.

Expressè inquit: post hebdomades septem & sexaginta duas, id est, post hebdomades sexaginta nouem passurum esse MESSIAM. Et insigni verbo vsus est, Karath, quod significat excindere.

Intelligantur autem ANNORVM hebdomades, vt Leuitici vicesimo quinto capite lex loquitur, nec de initio horum annorum prolixè disputabo.

Etsi Cyrus concesserat Iudæis reditum in patriam, tamen absente eo res impedita est. Quia Cambysæs

ses mouens bellum aduersus Ægyptios, noluit Iudæos cum Ægyptijs coniungi.

Rursus autem post annos quadraginta sex, cùm anno secundo Longimani decretum esset, vt Iudæis reditus concederetur, ædificatio Templi & reditus processerunt. Nam anno Longimani sexto, Templum completum est. Eo tempore per Prophetas, Zachariam & Haggæum promissus est reditus.

Ac rectius est sumere initium Hebdomadum à diuino sermone, videlicet Prophetico, à secundo anno Longimani, aut à sexto.

Sunt autem ab anno Longimani secundo, iuxta Metasthenem, ad initium Alexandri, centum quadraginta quatuor. Ab initio Alexandri, post Darij mortem, iuxta libros Macabæorum & Iosephum sunt anni trecenti et decem vsq; ad Christum natum. Adde triginta annos à Christo nato vsq; ad eius Baptismum. Erunt igitur à secundo Longimani anno vsq; ad Baptismum Christi, quadringenti octuaginta quatuor. Sunt autem Hebdomades sexaginta nouem, anni quadringenti octuaginta duo. Deinde in dimidio sequentis Hebdomadis CHRISTVS concionatus & passus est.

Nec magna discrepantia erit computationum, si certiores historias sequamur, etiamsi exiguæ differentiæ occurrent, quia in Regum annis interdũ pars anni duobus attribuitur. Hæc annorum Danielis congruentia cum tempore aduentus Christi pijs grata sit.

sit. Deinde excidium vrbis Ierusalem perspicuè testatur, Messiam exhibitum esse, cum exhiberi eum adhuc stante politia Iudaica oportuerit: in qua cùm esset incoata Euangelij prædicatio, postea deleto hoc populo Ecclesia colligitur ex gentibus.

Hic considerandum est, & quæ sint discrimina doctrinarum Legis & Euangelij, quod sit discrimen veræ Ecclesiæ à politia Iudaica, & quomodo Ecclesia inde vsq; ab initio generis humani collecta sit.

ANNO Christi tricesimo quinto, Anno Tiberij decimo nono, PAVLVS iter faciens ad Damascum, conuersus est ad agnitionem Christi, cùm iam annus post Christi resurrectionem exactus esset.

Commoratus aliquot diebus in vrbe Damasco, cùm ostenderet suam confessionem, Iudæi hostes Euangelij struxerunt ei insidias. Demissus igitur ex muro in calatho, discessit in Arabiam, & ibi triennio docuit.

Postea venit Ierosolymam, & ibi quindecim dies apud Petrum mansit. Hic congressus Petri & Pauli, factus Ierosolymæ, incidit aut in vltimum annum Tiberij, aut in Caligulæ initia, videlicet in annum Christi tricesimum octauum.

Deinde Paulus TARSVM profectus est, vnde rediit in Syriam regnante Claudio, cùm Herodes Agrippa Phthiriasi mortuus esset, & in Seleucia & in Cypro docuit. Sunt autem anni ab initio Caligulæ vsq; ad mortem Herodis Agrippæ octo, videlicet

vsq; ad annum Christi quadragesimum sextum, qui est annus Claudij quartus. Tam diu Paulus in ora vicina Tarso in Cilicia docuit.

Ex Syria redijt in Ciliciam, quo tempore in Iconio & Lystris concionatus est. Inde redijt Antiochiam in Syriam, vnde missus est ad Synodum Apostolorum, cuius mentio fit in Actis capite 15. Ea Synodus incidit in annum Christi quinquagesimum primum, qui est annus Claudij nonus. Annus à conuersione Pauli sedecimus. Ideo Paulus inquit, se post quatuordecim annos rursus Ierosolymam venisse, & ibi cum præcipuis viris de doctrina colloquutum esse.

Eo tempore fames in Asia & Europa fuit tanta, vt modius sex drachmis emeretur, cuius precium mediocribus annis erant tres sestertij, id est, numuli nostrates viginti quatuor. Erat lege Modius tribus Sestertijs, inquit Cicero in Verrinis. Drachmæ autem precium fuit tres nostrates grossi. Plus igitur quintuplo superabatur vsitatum precium. Ideo in Apocalypsi dicitur de fame, in qua Chœnix, cuius precium erant tres nostrates numuli, valeret denario, id est, tribus grossis. De hac fame loquuntur & liber Actorum Apostolicorum, & Suetonius, & Dion.

Post Synodum Paulus redijt in Lystram, & sibi Timotheum adiunxit, anno à sua conuersione sedecimo, & longius processit in Galatiam, Phrygiam & Mysiam.

Inde

Inde traiecit ad vrbem Philippos, anno decimo septimo à conuersione. Liberatus ex carcere discessit ex Philippis ad vrbem Thessalonicen, vbi cùm Iudæi contra eum concitassent populum, à Nobilibus defensus est.

Inde Athenas nauigauit, vbi amplexus est eius doctrinam Dionysius, qui fuit senator Areopagiticus. Inde Corinthum venit, anno à conuersione decimo octauo, vbi commoratus est annum & sex menses. Corinthi scripta est Epistola Pauli ad Romanos, circiter vicesimum annum à conuersione.

Postea rursus in Asiam nauigauit, & Ephesi biennio & tribus mensibus commoratus est. Adijt & Laodiceam, vbi ad Timotheum scripta est prior Epistola. Inspexit & Galatarum Ecclesias. Expressè enim in Actis cap. 19, dicitur, diu commoratum esse in Asia.

Inde secundò redijt in Europam, at in vrbe Philippensi scripsit duas Epistolas ad Corinthios. Rursus ex Philippis in Asiam nauigauit, anno à conuersione vicesimo quarto, aut circiter, quo tempore Neronem tenuisse Imperium Romanum, annorum ratio ostendit. Nauigatio in Paschate incoata est, vt expressè in Actis dicitur, voluisse Paulum ante Pentecosten Ierosolymam venire, quò cum venisset, captus tota æstate circumducitur. In hyeme nauigat Romam, cùm quidem in itinere tres menses in Insula Melite Paulus & cæteri, qui nauigauerant, commorati essent.

Romæ fuit in libera custodia, vbi ad eum accedere multi poterant. Et à Nerone interfectus est anno Christi septuagesimo, qui fuit postremus annus Neronis. Et quidem post paucos menses Nero seipse interfecit, cum pridie ingens terræ motus fuisset, in quo species Neroni fugienti obuersata est, quasi dehisceret terra, et erumperent animæ interfectorum ab ipso impetum in eum facturæ. Ita sensit Nero initia æternorum cruciatuum.

Tantum fuit curriculum PAVLI, in quo bonam partem ASIÆ minoris peruagatus est, & bis in Europam venit, antequam Romam missus est, vbi narrat liber Actorum, biennio eum habitasse in domo conducta. Ostendit autem temporum ratio, aliquantò diutiùs eum ibi fuisse. Nec verò tantùm voce multos docuit, sed etiam optimis scriptis doctrinam Ecclesiæ illustrauit. Et Deus eius ministerium resuscitatione mortuorũ & alijs testimonijs confirmauit.

Hæc ingentia Dei beneficia grati celebremus & consideremus, ad quarum rerum intellectum Pauli scripta præcipuè conducant. Non tantùm dimicat de abrogatione ceremoniarum, vt eum Monachi interpretati sũt, sed doctrinam omnibus temporibus necessariam tradit. Planissimè ostendit Legis & Euangelij discrimen. Pugnat de Exclusiua GRATIS, vt discernat promissionem Gratiæ à Legis promissionibus. Docet quæ sint beneficia propriè per Euange-

lium donata. Quomodo homo sit iustus coram Deo. Quomodo tollatur peccatum, & reddatur iusticia sempiterna. Quid interfit inter iusticiam Spiritus & iusticiam politicam. Harum maximarum rerum doctrina omnibus temporibus necessaria illustratur à Paulo, qui quidem est lumen Propheticarum concionum, & eo lecto Prophetæ intelliguntur, & consensus agnoscitur.

CATALOGVS ANNORVM PAVLI.

Anno Chri.	Anno post conuersionem
35	1. Annus conuersionis Pauli. Annus à natali Christi 35
36	2 Iuit Paulus in Arabiam.
37	3
38	4
39	5 Iuit in Tarsum, Actor. 9.
40	6
41	7
42	8 Barnabas Paulum ex Tarso Antiochiam ducit, Acto. 23.
43	9
44	10 Iuit in Cyprum, Actor. 13. comitante eum Barnaba, Et iubente Spiritu sancto. Ibiq; Sergius proconsul conuertitur.

Anno

Anno Chri.	Anno post conuersionem	
45	11	Profectus est in Pergen Pamphiliæ: Antiochiam Pisidiæ, Iconium & vicinas vrbes, Act. 14.
46	12	
47	13	
48	14	Fames prædicta ab Agabo totum terrarum orbem affligit. Iosephus.
49	15	
50	16	
51	17	Synodus Ierosolymæ, cui Paulus interfuit Act. 15.
52	18	Redijt in Iconium & Lystram, vbi Timotheum sibi adiunxit, & traiecit in Macedoniam. Et fuit Corinthi, vbi scripsit Epistolam ad Romanos.
53	19	
54	20	
55	21	Redijt in Asiam, & cùm fuisset biennio Ephesi, Timotheo Ecclesiam abiens commendauit.
56	22	Redijt in Phrygiam, vbi Laodiceæ scripsit primam Epistolam ad Timotheum.
57	23	Redijt Paulus in Macedoniam, prius peragrata Phrygia & finibus Galatarum, cumq; venisset in Macedoniam,
58	24	scripsit

Anno Chri:	Anno post conuersionem	
		scripsit in Philippis vtramq; Epistolam ad Corinthios non longo interuallo, Postea redijt in Asiam ac venit Mytilenen, Item in Samum & Miletum Act. 20.
59	25	
60	26	Postremum iter ad Ierosolymam quò cùm venit, capitur, & biennio Cæsareæ captiuus tenetur.
61	27	
62	28	Remissus Romam. Sed tunc liberatus ex ore leonis, vt 2. Tim. 4. narrat.
63	29	
64	30	
65	31	
66	32	
67	33	Fuit biennium in conducto.
68	34	
69	35	Interfectus Paulus à Nerone, paulò ante eius mortem.
70	36	Decimus quartus Neronis, quo Nero sibi consciuit mortem.

DION scribit, auem, quæ nominatur Phœnix, ante postremum annum Tiberij conspectam fuisse. Quod si verum est, cum Phœnix sit pictura renascentium ex morte, significatum est, eo tempore CHRISTVM

STVM ex morte reuixisse, & doctrinam Euangelij spargi, quæ affirmat mortuos reuicturos esse.

Anno Mundi quatermillesimo primo.
Anno Romæ septingentesimo, octuagesimo nono.
Anno Christi, tricesimo nono.

CAIVS CALIGVLA.

CAIVS CALIGVLA successit Tiberio, tenuit imperium annos tres, menses decem. In cuius historia vtrunq; deplorandum est, quòd horribiliter degenerant nati ex parentibus, qui excelluerunt naturæ bonis, & quòd in fastigio rerum humanarum sæpe tetra portenta dominantur. Natus fuit C. Caligula ex laudatissima stirpe.

Drusus frater Tiberij mortuus in Germania accepto vulnere. — *Antonia coniunx, filia Antonij ex Octauia.*

CLAVDIVS Imperator. — GERMANICVS mortuus in Syria, veneno interfectus à Pisone iussu Tiberij. Excelluit virtute, rexit Germaniam, et misit de Armeniam & Syriam. Latino carmine reddidit Aratum. — AGRIPPINA vxor Germanici, Agrippæ & Iuliæ filia, vnde nomen est COLONIÆ Agrippinæ ad Rhenum.

Ex his natus est CALIGVLA teterrima Belua.

Voluit se adorari. Statuam suam misit collocandam in templum Ierosolymæ. Tres suas sorores stupravit. Multos senatores & alios crudeliter interfecit, cuius dictum est: ODERINT DVM METVANT. Conatus ast abolere Homerum & Virgilium, & libros Iurisconsultorum. Sed cum non diu regnasset, interfectus est à Phereo Tribuno militum.

Anno Mundi quatermillesimo quinto.
Anno Romæ septingentesimo, nonagesimo tertio.
Anno Christi quadragesimo tertio.

CLAVDIVS.

CLAVDIVS successit Caligulæ. Tenuit Imperium annos tredecim, menses octo, & dies viginti. Vixit annos sexaginta quatuor. Natus patre DRVSO, quem suprà diximus inter Salam & Rhenum vulnus accepisse. Patruus Caligulæ. Regnare cœpit cùm annũ ageret quinquagesimum. A militibus ex latebris est extractus, ac primus imperiũ mercatus est, promittens singulis militibus quaterdena sestertia, id est, trecentos coronatos & quinquaginta.

In studijs eloquentiæ eò processit, vt Historias scripserit, qua in re Magistrum habuit Liuium, Sed fatuitas eius multipliciter exagitata est, cùm præcipuè regeretur à Libertis, quorum ingentia furta & Sycophanticam populus detestabatur. Fuitq; in eos pronunciatus versus in Theatro: ἄφόξητ' ὄξιρ ἐυτυχῶρ μασιγίας, *vt vulgò dicitur: Asperius nihil est misero, cùm surgit in altum.*

Claudij tempore dira fames fuit in Asia & Europa, vt suprà diximus, in qua fame modius frumenti emptus est sex drachmis, cùm aliàs mediocribus annis vsitatum precium tres sestertij essent, id est, nostrates nummi viginti quatuor. Eius famis initium fuisse anno quinto Claudij scribitur.

In Ecclesia hæc facta sunt: MARIA *virgo mater* CHRISTI, *ex hac vita discessit Claudij tempore, cùm, vt Nicephorus scribit, annum ageret nonum & quinquagesimum. Fuit ergò superstes post resurrectionem Filij annos aliquot, & vidit initia Ecclesiæ eius temporis, multa ingentia miracula & supplicia sanctorum, & consilijs suis rexit Apostolos.*

Apud vnicum Clementem legitur & PETRI *coniunx affecta esse supplicio, vbi dicitur, Voce Petri confirmata est, qui iussit eam recordari* DOMINI. *Id si verum est, circiter idem tempus factum esse videtur, quo Maria decessit.*

Sub Claudio & IACOBVM *interfecit rex Herodes Agrippa, qui & ipse non multò post Phthiriasi perijt*

si perijt. Deinde Claudius Iudæam rursus in formam Prouinciæ redegit.

Nec multò post Synodus fuit Apostolorum, anno post resurrectionem Christi sedecimo, qui fuit annus Claudij octauus, aut circiter. In ea Synodo doctrina de Gratia & fide repetita est, & asseueratio tradita est, non esse necessariam obseruationem ceremoniarum Mosaicarum. Hanc asseuerationem Apostoli non autoritate humana condiderunt, sed cum scirent doctrinam de fine politiæ Iudaicæ, & de discrimine regni Politici & regni Christi, & iusticiæ ceremoniarum, & iusticiæ æternæ à Deo, per Prophetas reuelatam esse, has diuinas prædictiones repetiuerunt & illustrauerunt.

Sed hi, qui contendunt Synodos & Episcopos habere autoritatem condendi nouas leges, quas amplecti Ecclesiam necesse sit, citant decretum in ea Synodo factum de Idolothytis, scortatione, suffocato & sanguine. Ad hanc obiectionem respondendum est: Scortationem & esum Idolothytorum prohiberi vniuersaliter omnibus temporibus autoritate Decalogi. Ergo quod ad ista attinet, nihil noui constituerunt Apostoli, sed tantùm repetiuerunt Decalogum, qui est lex æterna & immutabilis.

Sed de sanguine & suffocato consuetudinem veterem traditam à Noë retinuerunt. Quia vsitatum fuit, cùm capiebantur vrbes ex Ethnicis, eis tantùm imponere præcepta moralia, non ceremonias Mosai-

tas. Has vrbes etiam volebant retinere consuetudinem à Noë traditam, ne homines vescerentur sanguine & suffocato. Fuitq; forma decreti Apostolici sumta ex illa veteri forma, qua semper vsi erant Israëlitæ captis vrbibus Ethnicis. Quare nec in hac re aliquid noui constituerunt, sed prohibitio Idolothytorum & scortationis, repetitio præceptorum erat de vitando cultu Idolorum, & de vitandis libidinum confusionibus.

Claudij tempore & SIMON MAGVS Romam venit, qui magicis præstigijs tantum venerationis adeptus est, vt statua ei cum inscriptione posita sit: SIMONI DEO SANCTO, cum quo magna certamina Petro Apostolo fuisse scribitur. Cùmq; Simon Magus tandem iactitaret se in cœlum ascensurum esse, sublatus est à Diabolis in aërem: Sed Petrus imperauit Diabolis, vt eum abijcerent. Ita decidens in terram extinctus est. Ac leguntur illis primis temporibus contra Apostolos à Diabolis multa hostium genera excitata esse. Iudæi & Ethnici manifestam sæuitiam contra veram Ecclesiam exercebant. Magi & Hæretici varijs præstigijs eam turbabant. Multi seditiosi prætextu nouæ libertatis magnos tumultus mouebant, vt Ægyptius, qui Fœlice præside oppressus est.

Hæc exempla consideranda sunt, ne multitudine hostium frangamur hoc tempore: Sed quæramus veram Ecclesiam, quæ perspicua testimonia habet ex scriptis

scriptis Propheticis & Apostolicis & Symbolis. Huic nos constanter adiungamus, etiamsi aliæ factiones, quarum magna est potentia & multitudo, eam oppugnant.

DOMITIVS NERO.

Anno mundi quatermillesimo, decimo nono.
Anno vrbis Romæ octingentesimo septimo.
Anno Christi quinquagesimo septimo.

CVm Claudius veneno necatus esset à coniuge Agrippina, Imperator factus est à militibus Domitius Nero, anno septimo decimo ætatis, cùm promisisset eis tantundem pecuniæ, quantum Claudius dederat, videlicet, singulis trecentos quinquaginta coronatos,

Vixit annos triginta, menses nouem. Regnauit annos tredecim, menses octo.

Interfecit matrem, duas coniuges, Octauiam & Popeam, & multos præstantes viros. Exercuit magnam sæuitiam in Christianos hac occasione, quòd cùm magna pars vrbis Romanæ incendio periisset, quod ipso volente eius familia direptionum causa excitauerat falsò dixit autores esse IVDAEOS, quo nomine & tunc CHRISTIANOS compræhendebant.

Interfecit Paulum & Petrum. Et quidem de Paulo idem omnes adfirmant.

Reliquam Neronis historiam omitto, in qua repetenda est querela: Et quòd degenerant tam multi

maioribus, qui naturæ bonis et virtute excelluerunt: Et quòd in summo fastigio generis humani, in quo præcipuè eminere sapientia & virtus debebant, tam multa tetra portenta dominantur.

Anno Christi sexagesimo tertio, videlicet post resurrectionem Christi tricesimo, Iacobus filius Alphæi, Episcopus Ecclesiæ in Ierosolyma collectæ, interfectus est sæuitia Ananiæ summi Sacerdotis, qui & iuuenis & Sadducæus erat. Etsi enim non licebat Iudæis quenquam vltimo supplicio adficere, tamen absente Præside multum valuit autoritas summi Sacerdotis, præsertim cùm alioqui Iudæa plena esset seditionum.

Erat autem mortuus FESTVS, & nondum venerat Ierosolymam successor ALBINVS. Hac vsus occasione Ananias suam factionem incitat ad interficiendum Iacobum, & alios multos accusatos propter Euangelium supplicijs adficit, contra Romanorum Iudiciorum ordinem. Hæc acta sunt anno decimo ante excidium Ierosolymæ. Anno Neronis septimo.

Post Iacobum frater eius SIMEON, filius Cleopæ, Episcopus Ierosolymæ factus est, qui vixit vsque ad Traiani tempora, functus Episcopi officio plus quadragmta annis. Eduxit Ecclesiam ex Ierosolymis aliquantò ante obsidionem trans Iordanem in oppidum Pellam. Deinde multos reduxit ad ruinas vbi cum Iudæi odio Christiani nominis apud Traianum accu-

accusauerunt, quòd cum esset ex stirpe Regia, videretur nouam seditionem moliri. Quare cùm annos centum & viginti vixisset, vltimo supplicio affectus est.

Hic exitus duorum fratrum fuit, qui sanguine proximi fuerunt Christo. Nati sunt enim ambo ex vna matre, sorore Mariæ virginis: Sed Iacobi pater fuit Alphæus, Simeonis Cleopas.

Cur autem Ecclesia cruci subiecta sit, discendum est ex fontibus doctrinæ, quam Deus in Euangelio patefecit, vbi dicitur, Oportere nos similes fieri imaginis filij Dei.

Neronis tempore arsit ingens Cometa sex mensibus, progrediens ab ortu ad occasum, nonnihil deflectens ad meridiem, vt scribit Seneca, quem vellem tempora certiùs commemorasse, & dixisse, quo in loco, prope quas stellas accensus esset. Quid significauerit, euentus ostenderunt: multorum ciuium interitus in mutatione imperij post Neronem, vt posteà dicemus. Sequuta est & totius Iudææ vastatio.

Erat autem Galliæ Præses vir iustus & fortis Iulius Vindex, qui cum non toleranda esse Neronis scelera palàm ostenderet, præsertim cum & Gallia nouis expilationibus oneraretur, facilè persuasit vniuersæ Galliæ & suis exercitibus, vt à Nerone deficerent, fuitq; hortator Sergio Galbæ in Hispania, vt contra Neronem ad vrbem Romam accederet, et orbem terrarum tam tetro Tyranno liberaret, seq; pro-

mittit suos exercitus ipsi adiuncturum esse. Defecerunt à Nerone & Germanici exercitus.

Interea & Senatus Legatos ad Sergium Galbam mittit, & Neronem iudicat hostem, & Hispanici exercitus Sergium Galbam nobilitate & autoritate præstantem senem, qui iam septuagesimum tertium annum attigerat, Imperatorem salutarunt. Ita consensu SENATVS & præcipuorum DVCVM, & exercituum iustè decretum est, vt Tyrannus tolleretur. Quia summus Senatus & summi Duces debent punire Tyrannos, manifestam crudelitatem sine fine exercentes. Et in hac pœna Deus ostendit vtcunq; conseruare se imperia honestorum Ducum consensu, Et tamen punire crudelem & obscœnum Tyrannum.

Cognito aduentu Sergij Galbæ, Nero fugit ex vrbe Roma. Qua in fuga ingens terræ motus factus est. Et terra Neroni dehiscere visa est, & spectra occurrerunt interfectorum ab eo. Cùm autem audiuisset propè esse equites, à Senatu missos ad eum interficiendum, ipse gladio se transfixit. Hic exitus testimonium est iudicij diuini, & congruit ad regulas: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Et: Omnis anima, quæ fecerit abominationes has, eradicabitur. Fuit autem postremus eorum, qui ex Augusti filiabus & neptibus nati sunt.

DO-

DOMITIVS NERO pater Neronis Imperatoris.	AGRIPPINA vxor Domitij, filia Germanici, Pronepotis Augusti.

NERO IMPER.

Post eum multiplex laniena sequuta est. SERGIVM GALBAM interfecit OTTO, Deinde superatus Otto prælio à VITELLIO, qui rexerat Germaniam, seipsum occidit. VITELLIVS adueniente VESPASIANO fugiens, ex latebris extractus à militibus interfectus est, & cadauer à canibus laceratum est.

VESPASIANVS.

Anno Mundi quatermillesimo, tricesimo tertio.
Anno vrbis Romæ octingentesimo, vicesimo primo.
Anno Christi septuagesimo primo.

HOc anno incoamus imperium Vespasiani, mox à Neronis interitu. Etsi enim amplius año durauerunt bella ciuilia, Galbæ, Ottonis, Vitellij: tamen his præteritis, quia eodem anno inter se dimicarunt, mox à Nerone Vespasianum numeramus, qui illis viuentibus in Iudæa Imperator salutatus est. Regnauit annos decem, minus sex diebus. Per hunc DEVS restituit formam Imperij, ordinem prouinciarum,

distinctionem exercituam, leges & iudicia, cùm sub tot portentis, Caligula, Claudio, Nerone & in laniena Ottonis & Vitellij magnæ confusiones in toto genere humano extitissent. Sed tamen aliqui fuerunt in prouincijs honesti Magistratus, quorum virtus retinuit vtcunq; Imperij speciem. Nunc Vespasiani consilijs & virtute melior status est. Numeratur ergo inter sapientes, iustos & vtiles Principes. In aureo eius est Capricornus, globum tenens prioribus pedibus.

Cùm ex Iudæa discederet, Romam profecturus, filio Tito mandauit, vt bellum Iudaicum gereret, quod viuo Nerone incoatum erat. Cùm enim Flori, quem Nero in Iudæam miserat, rapacitas & crudelitas præbuisset occasionem mouendi seditiones, & Cestius Syriæ præses vicinus, & Florus infeliciter cum Iudæis pugnassent. multitudo Iudæorum palàm rebellare cœpit, nacta Ducem turbulentum Manaimum, id est, Castrensem, qui milites Romanos vbicunq; deprehendit, occidit, & fuit hortator ad recuperandam libertatem. Hìc magnitudo periculi coëgit in Syriam mittere Ducem virtute præstantem. Missus igitur est Vespasianus, qui mitiò Galilæam recepit, deinde filium iussit obsidione cingere Ierosolymam. Ea obsidio incoata est infesto Paschatos, videlicet 14 Aprilis, Anno secundo Vespasiani. Anno Christi septuagesimo secundo. Anno post resurrectionem Christi ferè quadragesimo.

Initio

Initio belli, Manaimus occiderat summum Sacerdotem Ananiam cum Romanis sentientem. Sic Ananias, qui Iacobum Episcopum Ierosolymæ, & alios sanctos multos interfecit, pœnas dedit. Successit ei summus Sacerdos Ananus Romanorum hostis. Hunc Zelotæ aliquanto pòst interfecerunt. Nam Iudæi & inter sese & cum Romanis dimicarunt. Legatur autem integra historia, & non solùm magnitudo calamitatum, sed etiam causæ considerentur. Ostendit Deus in hoc horrendo exemplo iram suam aduersus omnia peccata, & præcipuè aduersus sæuitiam, quæ exercetur contra veram Ecclesiam Dei. Vocatq; Deus hoc tristi spectaculo omnes homines ad conuersionem, ac denunciat pœnas æternas & præsentes omnibus, qui non confugiunt ad Mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, sicut secundus Psalmus expressè concionatur: Osculamini Filium, ne quando exardescat ira eius &c.

Cogitemus autem, cùm Deus non pepercerit illi stirpi, quam antea prætulit omnibus gentibus, in qua multa de sese testimonia ediderat, ex qua nati erant Patres & Prophetæ: Quantò minus parcet alijs regnis & gentibus, quæ habent similia delicta, vt & Paulus monet: Cùm naturalibus ramis non pepercerit, nec tibi parcet. Voluit autem Deus & alia multa significare deletione politiæ Iudaicæ.

Primùm, vult hanc vltimam euersionem testimonium esse, quòd missus sit MESSIAS, quẽ stan-

te hac politia conspici & audiri docentem & ostendentem testimonia, & morientem & resuscitatum oportuit, vt Daniel prædixerat.

Secundò, hæc rudera & hi cineres ostendunt, Messiam non missum esse ad constituendum regnum politicum: Sed ad restituenda bona æterna, vt Daniel inquit: Adducetur iustitia sempiterna.

Tertiò hæc rudera & hi cineres ostendunt ceremonias & forenses leges Mosi non oportere imponi Ecclesiæ, vt & tunc multi contendebant, & sæpe alijs temporibus ea quæstio præbuit occasionem magnis tumultibus.

Die 10. Augusti templo ignis iectus est, quo conflagrauit, nec postea vnquam restitutum est, etsi Iudæi politiam suam & Templum magnis seditionibus motis sæpe restituere conati sunt. Sed euentus ostendit, omnes humanos conatus, contra decretum Dei, infelices & irritos esse.

Deinde die octauo Septembris, quantum vrbis reliquum fuit, combustum est. Sunt autem anni ab exitu ex Ægypto vsq; ad hanc vltimam politiæ Iudaicæ destructionem, Mille, quingenti, octuaginta duo. Hic numerus diligenter considerandus est, vt nunc quoq; non procul abesse tempus cogitemus, quo filius Dei rursus se generi humano ostendet, & omnia regna impia delebit. Hæ commonefactiones in hac insigni historia adiungendæ sunt ad tristissimi exempli lectionem. Interea tamen & Ecclesia, quæ Ieroso-

Ieroſolymæ fuerat, ſeruata eſt trans Iordanem. Et poſtea cùm mediocris tranquillitas rurſus in Iudæa eſſet, ad Ieroſolymæ ruinas redijt.

Anno Mundi quatermilleſimo, quadrageſima tertio.

Anno Romæ octingenteſimo, triceſimo primo.

Anno Chriſti octuageſimo primo.

TITVS VESPASIANVS.

TITVS Veſpaſianus patri ſucceſſit. Tenuit imperium annos duos, menſes duos, dies viginti. Vixit annos triginta nouem, menſes quinq;, dies viginti quinq;. Laudatiſſimus fuit, ac propter iuſticiam & beneficentiam nominatus eſt AMOR & DELICIÆ generis humani. Patrem viuentem debita pietate coluit, & tamen conſilia gubernationis adiuuit. Cùmq; diſertus eſſet in Latina & Græca lingua, plurima edicta formauit, & plurimas orationes in Senatu, patris nomine, habuit.

Imperium eius fuit incruentum, nec recepit accuſationem contra eos, qui dicebantur maledixiſſe Imperatori, inquiens: Ego cum nihil faciam dignũ propter quod contumelia adficiar, mendacia nihil curo. Delatores etiam, qui propter prædam alios accuſabant (Nam pars bonorum delati, ad delatorem perueniebant) cæſos flagellis aut fuſtibus deportari iuſſit. Fratri Domitiano, cum inſidias ei ſtrueret, peper-

pepercit, eumq; lacrimans hortatus est ad mutuum amorem, cùm quidem successorem eum iam nominasset. Sed tamen opinio fuit, veneno extinctum esse Titum, quod frater dari ei curasset.

Anno Mundi, quatermillesimo, quadragesimo quinto.

Anno Romæ octingentesimo, tricesimo tertio.

Anno Christi octuagesimo tertio.

DOMITIANVS.

DOMITIANVS successit fratri. Tenuit imperium annos quindecim, Dissimilis patri & fratri, crudelis, occultator, diffidens, suspicax & insidiator, obscœnus & rapax.

Domitiani tempore bellum aduersus Romanos motum est à DECEBALO, qui Dacam & vicinas regiones tenuit ad Istrum. Nec dubium est, tunc DACIAM dictam esse, quæ nunc est partim Transyluania, partim VValachia.

Virtus Decebali à Dione his verbis descripta est: Δεκεβαλος μεν σωζεσθαι πολεμια: δ' ενος τε καλ πραξαι: επελθειν ευσοχος: αναχωρησαι καιριος, ενεδρας τεχνητης, μαχης εργατης: καλ καλως μεν νικησαι κακως δε καλ ηττασθαι ειδως.

Tanta virtus cùm fuerit Decebali, Romanos exercuit annos circiter sedecim, et vix tandem à Traiano Imperatore victus est, vt infrà dicetur. Etsi autem Domitianus aduersus eum susceperit expeditionem, tamen non accessit ad hostes, sed abdidit se in lustra libidinum, & multos amicos interfici iussit. Cumq; C. Fuscus missus contra Decebalum cum Legionibus trucidatus esset, pecunia pacem emit, ac rediit triumphaturus, & passim trophæa victoriæ collocauit. Poëtæ etiam, quia videri non rudis Poëticæ voluit, fictis laudibus vtranq; expeditionem, priorem aduersus Cattos, & posteriorem contra DACOS celebrant, vt Statius inquit:

Frena tenentem
Rhenus & attoniti vidit domus ardua Daci.

Item:

Et coniurato deiectos vertice Dacos.

Sed de expeditione in Germaniam, contra Cattos Dion inquit: Profectus in Germaniam ne quidem conspectis hostibus rediit. Cattos autem tenuisse Hassiam & vicinas aliquas regiones, vestigia veterū appellationum indicant, Cassella & Cattenelnbogen. Et Traianus postea, cum eos compesceret, in vicinis lotis exercitum habuit, Et in vrbe Colonia Agrippina primùm accepit decretū de successione in Imperio.

Exercuit autem Domitianus multiplicem crudelitatem. Trucidauit multos Christianos, Iudæos, & Ethnicos. Fortassis autem & propter Iudæorum tumultus asperior Christianis factus est, quos passim interfici iussit. Hæc post Neronem proxima persecutio in

tio in Christianos numerata est, in qua & IOHANNES EVANGELISTA, cùm Ecclesiam Ephesinam doceret, relegatus est in Insulam Pathmon.

Cùm autem Domitia coniunx reperisset Catalogum interficiendorum, scriptum in pagella, in quo & ipsius & multorum amicorum & libertorum nomina erant: re deliberata cum illis, Liberti Domitianum interfecerunt. Sed amici prius cum NERVA egerunt, vt imperium illo interfecto reciperet, ne milites seditionem mouerent.

DE ECCLESIA EIVS TEMPORIS.

DOmitiani tempore superstites fuerunt in ea parte orbis terrarum, quæ nobis propter Romanũ Imperium nota est, IOHANNES scriptor Euangelij, qui post resurrectionem Christi vixit annos septuaginta duos. Dicitur enim ex hac vita discessisse anno quarto Traiani. Anno Christi centesimo secundo, Anno ætatis suæ octogesimo nono.

SIMEON filius Cleopæ, Episcopus Ierosolymæ, interfectus tempore Traiani, cùm attigisset annum centesimum vicesimum.

IGNATIVS Episcopus Antiochiæ qui adfirmat se Christum post resurrectionem vidisse.

CLEMENS Episcopus vrbis Romæ, cuius mentionem fecit Paulus in Epistola ad Philippenses. Et hic Traiani tempore Epistolam ad Corinthios scripsit,

scripsit, quam diu Ecclesia Corinthiorum quotannis relegere solita est.

TITVS in Creta, qui attigit annum ætatis suæ nonagesimum quartum. Et his adiuncti fuerũt multi eorum auditores, qui cum eis incorruptam Euangelij doctrinam retinuerunt.

POLICARPVS auditor Iohannis, passus sub Marco Antonino Philosopho, & Vero Imp. Hi & similes multi, & auditores cum eis consentientes, fuerunt vera Dei Ecclesia. Et hi Doctores, quos nominaui, testes & assertores fuerunt veræ & incorruptæ doctrinæ.

Simul autem illo tempore horribiles, confusiones fuerunt. Ethnici & Iudæi palàm erant hostes filij Dei. Deinde alia organa Diabolorum tetros furores sparserunt. Ita multos diuersos hostes Ecclesia habuit: Sicut nunc non soli Turci & Papistæ sunt hostes veræ Ecclesiæ, sed etiam multi fanatici homines, Anabaptistæ, Seruetistæ, Stenckfeldiani &c. Plurimi autem impostores tunc Domitiani tempore exorti sunt, & vt fit in erroribus & dissensionibus, vno capite Hydræ præciso, postea tria nata sunt. Nec singulorum furores recitabo, sed hanc considerationẽ iudico vtilem esse, de quibus controuersijs præcipuæ fuerint certamina in Ecclesia, quorum similia deinceps mota sunt, & hoc tempore mouentur.

Quatuor fuerunt præcipuæ controuersiæ.

PRIMA de filio Dei. Cerinthus & Ebion contenderunt

tenderunt, tantum esse humanam naturam in Christo. Et nihil esse Christum antequam ex virgine natus est: sicut & postea Samosatenus, & recens Seruetus contenderunt.

SECVNDA controuersia fuit similis Anabaptisticæ, vt Carpocratis & multorum, qui finxerunt, Christianos oportere facultates conferre in commune, & probauerunt confusiones libidinum.

TERTIA fuit Ebionis & multorum aliorum, qui contenderunt, Oportere seruari ceremonias Mosaicas.

QVARTA, fuit tetra confusio, orta ex quæstione de causa Mali. Marcion, & ante eum Basilides, posuerunt duo principia contraria, coæterna, Bonum & Malum, φῶς καὶ σκότος, & finxerunt Stoicam necessitatem in bonis & malis actionibus, & multa portentosa deliramenta addiderunt.

Harum quatuor sectarum contagia semper postea hæserunt in Ecclesia. Omnes autem sectæ de IVSTICIA communem errorem habuerunt, Homines esse iustos propter propria opera, & alij impostores plus, alij minus præstigiarum addiderunt, vt Menander fuit Magus: Aliqui imitati Theogoniam Hesiodi, finxerunt magnam turbam Deorum, quam allegoricè interpretati sunt, vt eluderent doctrinam de filio Dei, & de Spiritu sancto.

Hæc præfari in genere volui. Quia Diabolus similes furores omnibus temporibus spargit, paulùm mutata

tata specie. Necesse est igitur considerare integrum corpus veræ doctrinæ, & tenere confirmationes & refutationes.

Primùm autem confirmentur pij aduersus hoc ingens scandalum, videlicet, quòd in tot dissidijs dubitatio oritur, vbi sit veritas: & an aliqua sit Ecclesia Dei, distincta à cæteris gentibus. Huic scandalo opponamus articulum Fidei: Credo esse Ecclesiam sanctam Catholicam: Et quæramus, quæ & vbi sit illa Ecclesia, scilicet quæ retinet scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola: Et intueamur Miracula, quæ Deus voluit esse testimonia huius doctrinæ. Discamus etiam ex ipsa doctrina à Deo tradita, semper horribile odium esse in Diabolis & eius organis aduersus Ecclesiam, vt in prima concione dicitur: Inimicitias ponam inter Serpentem & Mulierem. Non igitur excutiant nobis fidem hæc tristia spectacula. Cogitemus & hoc: Cùm in illo fore Ecclesiæ tantum fuerit dissidiorum, hanc vltimam senectam non fore tranquilliorem.

Quia verò eadem controuersias Diaboli sæpe renouant, pertinet ad historiam, scire, qui fuerint assertores veritatis, quibus vsi sint testimonijs. Iohannes refutauit Cerinthum & Ebionem. Fuit auditor Iohannis Polycarpus Episcopus Smyrnæ: Polycarpi Irenæus, cuius extat liber, qui perspicuè defendit hanc sententiam: Quòd in Christo, nato ex virgine Maria, sint duæ naturæ, λόγος, & natura humana

assumta ex virgine: Et quòd λόγος non significet sermonem euanescentem, sed λόγον ὑφιστάμενον, qui semper adfuit Ecclesiæ, & cum Abraham & alijs patribus locutus est. Huius scriptoris testimonium prodest ad confirmandam veritatem περὶ λόγου, quæ postea in Symbolo Niceno recitatur. Nam Irenæus antecessit Synodum Nicenam ferè ducentis annis.

Scribit idem libro tertio, Polycarpum narasse historiam de morte Cerinthi. Cùm Iohannes Ephesi veniisset in balneum, & ibi videret sedere Cerinthũ inter suos applausores, disputantem, & blasphemias contra filium Dei spargentem, dixit Iohannes suo comitatui: Discedamus, quia statim domus obruet sonantem has blasphemias, & auditores. Egressis Iohanne, domus statim collapsa Cerinthum & turbam reliquam oppressit.

Sunt apud Irenæum & aliæ refutationes, vtiles nostris temporibus aduersus Anabaptistas & alios, de Magistratibus & ceremonijs Moysi. Rursus autem infrà de plerisq; controuersijs dicetur. Hæc nunc monuisse satis sit de controuersijs temporum Domitiani.

Anno Mundi quatermillesimo, sexagesimo primo.

Anno Romæ octingentesimo, quadragesimo nono.

Anno Christi nonagesimo nono.

NER.

NERVA.

NERVA Coccius interfecto Domitiano successit, agens annum sextum & sexagesimum. Tenuit imperium annum vnum, menses quatuor, & dies nouem. Princeps iustus & beneficus fuit, iniustè damnatos sub Domitiano restituit. Prohibuit sæuitiam, quæ in Christianos exercebatur, & Sycophantas quosdam occidi iussit, inter quos fuit & Sura Philosophus. Iussu eius delecti sunt Senatores, qui agros emerent data pecunia ex publico, & diuiderent egenis ciuibus. Sustulit sumtuosa spectacula. Marcum Vlpium Traianum natum in Hispania propter virtutem adoptauit, & successorem fecit præsente Senatu, eiq; insignia Imperij misit in Germaniam, ad vrbem Coloniam Agrippinam. Postea febre mortuus est.

Scribunt Suidas & Nicephorus, Neruæ tempore Iohannem Apostolum ex Pathmo Ephesum redijsse, vbi post reditum annos quatuor vixit. Et reditum eius ornauit Deus illustri testimonio, quia Drusianæ, quæ efferebatur, cum Iohannes in vrbem ingrederetur, per eum vita restituta est.

Anno Mundi quatermillesimo, sexagesimo secundo.

Anno Romæ octingentesimo, quinquagesimo.

Anno Christi nonagesimo nono.

CHRONICORVM TRAIANVS.

VLTIVS Traianus Hispanus anno suæ ætatis quadragesimo secundo imperare cœpit, cùm ad eum Nerua decretum de adoptione ad vrbem Coloniam Agrippinam misisset. Tenuit Imperium annos nouendecim, menses sex, dies quindecim, Princeps sapiens, iustus, consilio & fortitudine in bellis excellens. Neruæ acta confirmauit reductis exulibus iniustè condemnatis, & Romæ leges & iudicia restituit, ius frequenter ipse dixit. Estq; Senatus decreto hic honos ei habitus, vt PRINCEPS OPTIMVS nuncuparetur. Bibliothecas instruxit, inter quas vnam à gentilicia apellatione Vlpiam nominauit. Familiarem doctorem habuit Plutarchum, cuius extant vtilia scripta. Præfecto Prætorio tradens Gladium, dixit: Hoc gladio pro me vtaris, donec iusta facio: Si iniusta fecero, contra me vtaris. Hæc verba si intelligantur de depulsione otoriæ & atrocis iniuriæ, iusta oratio est, præsertim ad Duces exercitus.

Bella tria præcipua gessit. Primum contra Decebalum, qui circiter annos sedecim Romanos bello exercuerat, & recens Iazygas, qui nunc Transyluani nominantur, vexauerat. Tandem morâ & prælijs aliquot victus, mortem sibi consciuit.

Pontem fecit, quo Istri ripas coniunxit in Bulgaria magno & mirando opere. Nec procul inde Nicopolim condidit, ad quàm magno prælio victus est Sigismundi Imperatoris exercitus à Baiazete Imperatore Turcico.

In secundo bello Orientem adijt, vbi Armeniam occupauit: & progressus in Assyriam ad Arbelam vsq; Parthos repressit, Ac, vt gloriæ fuit auidior, dixit se Alexandri exemplo in Indiam processurum esse, si esset iunior. Fuit autem fatalis limes imperij Romani, Assyria.

Et vt ingens felicitas nec diuturna est, nec sine aliqua insigni calamitate: ita Traianum tunc fortuna deseruit. Quia & ipse sæuitiam aduersus Ecclesiam exercuerat. Numeraturq; ea persequutio Tertia, in qua SIMEON filius Cleopæ, natus ex sorore Mariæ virginis, Episcopus Ierosolymæ, anno ætatis suæ centesimo & vicesimo interfectus est, cùm quidem Iudæi eum accusassent, quòd natus ex posteris Dauid, videretur aliquando seditionem moturus esse.

Est & IGNATIVS Antiochenus Episcopus Romam ductus, & bestijs obiectus, iam senex: qui familiaris fuerat Apostolis, & Epistolas ad Ecclesias aliquot scripsit, in quibus testimonia sunt de filio Dei, quòd sit λόγος ἐνδιάθετος. Hoc enim vocabulum extat in quadam eius Epistola.

Reuocarunt autem Traianum ex Assyria crudelissimæ seditiones Iudæorum, qui in Ægypto & Cyrene & Cypro quadringenta millia hominum tanta immanitate trucidarant, vt carnes interfectorum come-

comederint, & cruore eorum facies suas pinxerint. Hic furor Iudæorum eò magis admirandus est, quòd recens adhuc erat memoria excidij Ierosolymæ. Nam à secundo Titi anno usq; ad Traiani decimum octauum tantùm sunt anni triginta quatuor.

Sed cùm impendent fatales pœnæ, homines abiecti à Deo singularibus furoribus attrahunt exitia, vt ostendunt non solùm Iudæorum, sed etiam aliarum gentium historiæ. Talia exempla intuentes cohorrescamus, & metuentes iram Dei, doctrinæ diuinæ obtemperemus, & regi nos à Deo veris gemitibus petamus.

Hos Iudaicos tumultus anteceßit ingens terræ motus in Syria, qui duratuit aliquot dies, & multa ædificia euertit, quorum ruinis magna hominũ multitudo oppreßa est. Ipßum Traianum scribit Dion à ßpectro eductum esse in locum tutiorem ex ea domo Antiochiæ, in quam diuerterat.

Vt igitur seditiones in ea vicinia opprimeret, bellum mouet contra Agarenos, qui fuerunt pars Arabum, dicti ab Agar, ancilla Abrahæ.

Existimo autem eò colluuiem Iudæorum confluxisse.

In eius belli apparatu cùm cœpisset ægrotari Hydrope Traianus, profectus in Ciliciam, ibi mortuus est, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, cum imperasset annos decem & nouem, menses sex, dies quindecim. Ita cùm postremam hanc expeditionem ad Orientem

entem multæ calamitates exceperint, etiam in hoc Principe cernitur Fortunæ inconstantia.

Anno Mundi quatermillesimo, octogesimo.

Anno vrbis Romæ octingentesimo, sexagesimo octauo.

Anno Christi centesimo, decimo octauo.

ADRIANVS.

PVBLIVS ÆLIVS ADRIANVS succeßit Traiano, Tenuit Imperium annos viginti, menses vndecim, Filius Adriani Senatoris, qui consobrinus fuit Traiani, fuitq; paterna origine ex oppido agri Piceni ADRIA.

Discedens Traianus ex Syria æger, regendam eam Adriano dederat, Quare moriente eo, cùm & exercitus præcipui in ijs locis essent, & magna esset autoritas Adriani propter cognationem Traiani, & propter ipsius industriam, nemo ei prælatus est. Eo adoptatus à Traiano dicebatur, seu verè, seu fingente Plotina, coniuge Traiani, quæ amabat Adrianum. Scripsit ad Senatum, se non accipere Imperium, nisi & Senatus id iußisset.

Initio Imperij, vt citiùs Romam venire posset, & Prouinciæ in Oriente tranquilliores essent, cùm adhuc in Aßyria esset, volẽs ceßit de Aßyria, & pacem fecit, contentus veteri limite, Et Syriæ & alijs prouincijs rectores dedit. Ipse Romam venit, vt ibi

iudicia restitueret, & prouincias ordinaret. Et quia Iudæi non desinebant tumultuari, Iulium Seuerum ex Britannia accersiuit, & in Syriam misit, vt Iudæos opprimeret, Qui non ausus magna prælia facere & dimicare cum audacissimis latronibus, traxit bellum. Interea vires Iudæorum confirmatæ sunt.

Vt autem propter religionis speciem & plures concurrerent, & creseceret audacia, Dux seditiosorum tribuit sibi titulum MESSIÆ, Et vt alluderet ad vaticinium: Orietur Stella ex Iacob, nominatus est Ben Cochab, id est, filius Stellæ, Alij scribunt Barcochab, quod prorsus idem est. Nam & Ben & Bar significant filium. Hic annos aliquot in ipsa Iudæa tenuit quinquaginta Castella, & nongentos & octoginta vicos, & munijt oppidum Bethoron, situm in Beniamin & Ephraim, quod olim & Salomon munierat. Ex ea arce cùm eruptiones facerent, sæpe Romanos profligarunt.

Sed redijt in Syriam Adrianus, & oppidum Bethoron obsedit annos tres, & sex menses. Ibi cùm multi in prælijs interirent, & plures fame & pestilentia morerentur, tandem oppidum vi captum est, & interfectus est Dux seditionis, Bencochab, quem postea Iudæi nominârunt Bencozba, id est, filium Mendacij, quòd falsò iactitasset, se Messiam esse, & recuperatorem Iudææ.

Numerus interfectorum scribitur fuisse Quinquies

quies C. millia hominum. Alij qui pestilentia & fame perierunt, non potuerunt numerari.

In hoc bello potentia Iudæorum, quanta reliqua fuit, fracta est. Et exemplum est dignum consideratione, quod ostendit, quales furores sint in impijs à Deo abiectis, cùm fatalibus pœnis vrgentur: Et simul monet, ne falsò prætextu Religionis seditiones moueantur, sicut nostro tempore fecerunt Anabaptistæ Monasterienses, quorum Rex verè fuit BenCosba, id est, filius mendacij.

Iudæi ipsi hanc Historiam atrocissimè narrant, & dicunt bellum hoc continuatum esse sex annos. Ipse Adrianus scripsit ad Senatum Romanum, ne hanc victoriam paruo labore partam existimaret: & ad pacem Orientis scirent plurimum conducere huius seditionis oppressionem.

Nec tantùm Romanis, sed etiam Christianis fuit hostis ille Bencosba. Vbicunq; enim occasio fuit, crudelissimè interfecit Christianos in Palæstina. Cùm igitur postea Adrianus pelleret Iudæos, distinxit ab eis Christianos: Et cum in Ierosolymæ ruinis rursus ædificari vrbem sineret, quam nominauit à suo nomine ÆLIAM, concessit, vt ibi Christiani habitarent. Fuitq; primus Episcopus ibi MARCVS, non ex Iudæis parentibus natus. Adeò igitur tunc mutata est vrbs Ierosolyma, vt nec ritus, nec ciues Iudæos, nec nomen vetus retinuerit, vt clarè conspici posset,

posset, delectam esse politiam Iudaicam, Et Deum nolle eam restitui.

Hæc Iudaica Historia in vita Adriani præcipuè digna est consideratione: In ipso verò quæ magnitudo ingenij, eruditionis, industriæ & consilij fuerit, legatur apud alios. Studia doctrinarum intellexit, & ornauit. Remouit à munere docendi parùm idoneos, datis alimentis, & magis idoneos præfecit. Certauit cum doctis scribendo & disputando. Quotannis sibi scripsit ipse prædictiones Astronomicas. Respondit & ineptè iocantibus. Quidam Poëta versus ei exhibuerat:

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas.

Huic mox respondit, deridens eius Cynicam simulationem:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per Tabernas,
Latitare per Popinas,
Culices pati rotundos.

Moriturus pronunciauit hos versus:

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec, vt soles, dabis iocos.

Talis

Talis est querela & dubitatio in mentibus non confirmatis luce doctrinæ Christianæ. Mortuus est anno ætatis suæ sexagesimo tertio. Imperij vicesimo secundo. Ossa condita sunt in mole Adriani, quæ nunc Romæ est ARX SANCTI ANGELI.

Anno Mundi quater millesimo, centesimo primo.

Anno Romæ octingentesimo, octuagesima nono.

Anno Christi centesimo, tricesimo nono.

ANTONINVS PIVS.

ANTONINVS TIVS adoptatus ab Adriano, tenuit imperium annos viginti tres. Solus omnium Principum sine ciuili sanguine fuit. Senatus autoritatem plurimi fecit. In iudicando Iurisconsultos adhibuit Vlpium Marcellum, & Iabolenũ. Stipendia literarum et Philosophiæ doctoribus etiam in Prouincijs attribui constituit.

Nemini bellum intulit, sed inferentes repressit, ac in limitibus nominatim scribuntur repressi Daci & Alani. Sæpe repetiuit dictum Scipionis: Malle seruum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere. Facetè dicta etiam placidè tulit. Ingressus in domum amici, cùm ibi vidisset Porphyreticas columnas, interrogauit, vnde allatæ essent. Respondit paterfamilias: In aliena domo surdum & mutum esse decet, id est, Nec fabellas efferentem, nec curiosè scisciantem aliena

aliena, nec petacem. Delectatus est Imperator hac libertate, Mortuus est anno ætatis suæ septuagesimo.

M. ANTONINVS PHILOSOPHVS.

MARCVS ANTONINVS PHILOSOPHVS successit Antonino Pio volente Senatu. Tenuit imperium annos decem & nouem, dies undecim. Initio Imperij collegam fecit fratrem L. VERVM. Ac primùm tunc regnare DVO AVGVSTI pari potestate cœperunt.

Sciendum est autem, non fuisse eos natura fratres, sed adoptione. Et vt discerni familiæ possint, sciendum est ab Adriano adoptatum fuisse initiò Ælium Verum, quo mortuo ante ipsum, deinde adoptauit Antoninum Pium.

ÆLIVS VERVS.

L. VERVS natus ex Ælio Vero.

ANTONINVS PIVS adoptauit Marcum Antoninum Philosophum, natum ex fratre vxoris Antonini Pij, videlicet ex Annio Vero. Adoptauit Pius & L. Verum filium Ælij Veri.

Mores Collegarum dissimiles fuerunt. L. Verus voluptatibus deditus fuit, sed Marci virtus texit vitia Lucij, et moderatione ac patientia Marci cõcordia retenta

tetenta est, sicut inter dissimiles non potest retineri concordia, nisi alterius sapientia & sanet & ferat deteriorem.

Mota & repressa est sæuitia aduersus Christianos Marci tempore, vt postea dicam, Sed in omnibus alijs partibus gubernationis princeps optimus fuit, sapiens, iustus, modestus, beneficus, amans & intelligens doctrinarum. Nec infeliciter gessit bella. Extat eius laudatio insignis, & digna memoria apud Dionem, his verbis: ὅμοιος δὲ πάντως ἐγένετο καὶ ὧν οὐδενὶ ἀπιθάνως. Ἀγαθὸς δὲ ἦν, καὶ οὐδεμιᾶς ἀφέκτορ ἔσχεν. παμπόλλα δὲ καὶ ὑπὸ παιδείας ὠφελήθη.

Sunt autem duæ egregiæ virtutes in magnis & in paruis: constantia in perferendis aduersis, quæ ferre necessaria causa est, & misericordia erga ciues, vbi decet leniri asperitatem, vt Cyrus, Scipio fuerunt firmi, aduersus hostes pertinaces, misericordes erga cedentes, iuxta dictum: Parcere subiectis & debellare superbos. Quia iustitia & beneficentia sunt necessariæ virtutes: Has etiam prædicat in Antonio Dion his verbis: ὁ δὲ μάρκος ἄπεγτος ὤν, διὸ καὶ ἅπασι τοῖς ἀνιαροῖς ἀντέχειν ὤχετο φερόμενος ὑπὸ τῶν παθῶν ἐς τὸ ἀνθρώπινον. Accessit ad auditoria Philosophorum etiam cùm esset Imperator, egressus annum quinquagesimum. Et cùm sumptuarias leges ferret, non caruit obtrectatoribus

toribus, qui calumniosè interpretati sunt eius seueritatem, & dixerunt eum Tyrannidem exercere prætextu Philosophiæ, sicut vsitatum est rectissimas voluntates calumnijs lacerare.

Extat liber M. Antonini de seipso, qui & recens editus est. In eo libro sunt commonefactiones de virtutibus Principi necessarijs: de iustitia, de beneficentia, de patientia in ferendis iniurijs, ne maiora mala oriantur, iuxta dictum Periandri: μὴ ἰῶ κακὸν κακῷ.

Bella gessit præcipua quatuor. Oppressit seditiones in Britannia. Cattos depulit à Rhetia & compescuit. Aduersus Parthos misit fratrem L. Verum, qui mansit Antiochiæ indulgens voluptatibus. Sed duce Cassio Parthi repressi sunt, & facta est pax hac conditione, ne in Syriam Parthi transirent.

Maius autem bellum fuit, ad quod ipse cum fratre profectus est, aduersus MARCOMANNOS & QVADOS. Nec verò dubium est, Marcomannos fuisse eos, qui nunc Morani dicuntur, & vicinos aliquos: quia Ptolemæus expressè inquit, fuisse Boëmiæ limites SVDETES MONTES, qui sunt iuga versus Meridiem, Voitlandos & Mysos: Et è regione SILVAM GABRETAM, id est, altitudinem latam. Et sub ea sylua fuisse Marcomannos, vbi nunc est Morauia.

Vicini Marcomannis fuerunt QVADI, videlicet Silesiæ pars, & regio inter Vratislauiam & Cracouiam,

tenuiam, & ad Carpathum. In hoc limite Imperij semper bella difficilia Romani gesserunt. Tunc verò ad alias difficultates accesserat tanta siccitas, vt milites & equi siti perirent. Erat autem in exercitu Romano Christiana Legio, quæ nomen habebat à Melite, vbi Paulus semina Euangelij sparserat. Hæc legio non solùm ferro, sed etiam precatione præliabatur: & cum publicam precationem indixisset, qua peteretur pluuia & bonus exitus belli, mox ingens tempestas orta est, in qua simul Deus et largam pluuiam Romano exercitui dedit, & crebra fulmina contra Quados iaculatus est. Hac victoria precibus Christianorum parta, Imperator huic legioni nomen dedit κεραυνοβόλον, id est, fulminatrix.

Hoc exemplum memoria dignum est, quia ostendit legitimam militiam Deo placere, & Deum propter Ecclesiam Imperijs sæpe benefacere, sicut benefecit Cyro, Constantino, Theodosio, propter Ecclesiam, vt scriptum est: Si quis dederit potum aquæ vni ex minimis meorum, habebit mercedem, sicut exemplum viduæ Sareptanæ ostendit. Ac post hanc victoriam M. Antoninus decreta contra Christianos aboleuit.

In bello Marcomannico biennium consumtum est. Fitq; mentio inter socias gentes Hermundurorum & Nariscorum. Certum est autem Hermunduros esse, qui nunc superiora loca in Mysnensi regione tenent.

tenent. Nariscos esse Voitlandos & proximos vicinos, facta appellatione à Norico.

In reditu ex bello Marcomannico collega L. Verus mortuus est apoplexia. MARCVS cùm superstes fratri fuisset annos octo, mortuus est anno ætatis suæ sexagesimo primo.

Horum imperatorum tempore creuit Ecclesia, non solùm multitudine, sed etiam eruditorum numero: quia Principes eruditi fuerunt multi. Adeos scripserunt Apologias pro Christianis Iustinus, Aristides, Athenagoras, & alij ferè similibus vsi argumentis.

In collatione doctrinæ Christianæ & Ethnicæ ostenderunt rectius sentire Christianos, vnum esse Deum, omnium creaturarum conditorem: & improbarunt turbam Deorum, quam finxerunt Ethnici. Ostenderunt & leges Christianorum de castitate & coniugijs honestas esse, & improbauerunt libidinum confusiones, quas Ethnici admittebant & probabant. Improbauerunt & Gladiatorum pugnas, in quibus per ludum homines interficiebantur. Et hac demonstratione damnarunt Ethnicas opiniones & superstitiones, quòd impossibile sit, esse cœtum Deo placentem, qui probat legem contrariam legi naturæ. Iustinus etiam tempora confert, & ostendit doctrinam Christianam antiquiorem esse Ethnica, & historiam Mosaicam vetustiorem Græcis esse. Inde et dictum

dictum est Tertulliani: PRIMVM QVODQVE VERISSIMVM EST.

Tempore M. Antonini Romam venit & Polycarpus Smyrneus Episcopus, Iohannis Apostoli auditor, ac vidit ibi & refutauit, Marcionem hæreticum, & multos ab eo seductos ab errore reuocauit, Cùm Marcion ei obuiam factus interrogasset, An se agnosceret? inquit ille: AGNOSCO PRIMOGENITVM DIABOLI. Nam quæstio de causa Mali tunc quoq; ingentia certamina peperit. Marcion constituit duo principia pariter æterna, inter se pugnantia: videlicet duos Deos, quorum alterum dixit esse causam peccati, sicut postea Manichæi nominarunt ὕλην, & ortos ab hoc principio dixerunt non posse conuerti ad bonum. Alterum dixit esse bonum, quod Manichæi nominarunt Lucem, & dixerunt ortos à luce non posse damnari, quicquid faciant: ac Stoicam necessitatem in bonis & malis constituerunt.

Hæc tetra deliramenta latè sparsit Marcion in Asia & Romæ: quæ nata sunt ex Stoicis disputationibus de necessitate, quæ eò sunt perniciosæ moribus, quia cùm fundamentum hoc positum est, Omnia necessariò fieri, diligentia abijcitur regendi mores, & accedit aut desperatio, aut in securis confidentia. Si quis cogitat, se ab ὕλῃ ortum esse, non expetit conuersionem.

Vt autem & species inusitatæ sanctitatis offun-

deretur hominum oculis, Marcion prohibuit coniugium. Et tamen ipse Diaconi in Cypro coniugem abduxit, quæ postea reuersa ad maritum, narrauit magnam turpitudinem istius Sectæ.

Talia fuerunt certamina in illa aurea ætate primæ Ecclesiæ, mox post Apostolos. Polycarpus supplicio affectus est Smyrnæ, tempore M. Antonini, anno sexagesimo post Iohannis Apostoli mortem, cùm quidem diceret, se octuaginta sex annos Deo seruire. Audiuit igitur Iohannem anno decimo sexto ætatis suæ, aut circiter. Doctrinam fuisse Polycarpi eam, quæ recitatur in Irenæo, non dubium est. Nec alia fuit Iohannis. Et quidem cum voce Ecclesiarum nostrarum planè congruit Irenæus.

Anno Mundi quatermillesimo, centesimo, quadragesimo tertio.

Anno Romæ nongentesimo, tricesimo primo.

Anno Christi centesimo, octuagesimo secundo.

COMMODVS.

COMMODVS succesßit patri, M. Antonino Philosopho. Regnauit annos duodecim & menses nouem, à prima statim pueritia turpis & crudelis. Videturq; Romanæ Monarchiæ tempus à Iulio vsq; ad M. Antoninum Philosophũ velut ἀκμὴ fuisse. Postea plurima tetra Monstra regnarunt. Sequutæ sunt assiduæ seditiones, & multa bella ciuilia:

Nobilitas deleta est partim à Tyrannis, partim in bellis ciuilibus: Exercitus ex barbaris gentibus collecti: Disciplina vetus extincta, Magistratuum & militũ in prouincijs rapacitas & libidines creuerũt.

Cùm autem tantas in genere humano confusiones intuemur, deploremus miserias humanas, & cogitemus simul, non tamen vniuersum genus humanum tantùm ad hæc horrenda mala nasci: sed verè filium Dei missum esse, vt inde Ecclesiam æternam excerpat, cuius efficiamur ciues: Et protegi ac seruari nos in ea petamus, sicut Israëlitæ seruati sunt intra domos, quarum limina sanguine AGNI consperßa erant.

Hæc breuiter dicere malui, quàm horrenda flagitia Commodi recitare: Qui cùm multos Senatores & alios iniustè interfecisset, tandem per Præfectum Prætorio Letum & Concubinam Martiam strangulatus est.

Interea tamen creuit Ecclesia. Nam sub Commodo scribunt magnam frequentiam fuisse Collegij Alexandrini: & floruisse eo tempore interpretes doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, PANTAENVM & CLEMENTEM, qui narrat se fuisse auditorem Pantæni. Dicitur autem Pantænus postea Euangelium docuisse in India. Ac fuisse plures tunc, qui nominabantur EVANGELISTÆ, id est, quorum singuli Euangelium in multis prouincijs docebant. Vnde intelligi potest, quid Paulus

nominauerit Euangelistas, cùm discernit eos à Prophetis, Apostolis, Pastoribus & Doctoribus.

CLEMENTIS libri extant, in quibus refutationes sunt Ethnicorum, Iudæorum & multorum Hæreticorum, quorum plerique doctrinam similem Anabaptisticæ sparserunt, & addiderunt furores superiorum, de duobus principijs contrarijs & pariter æternis, Bono & Malo, & contenderunt in Christo tantùm esse humanam naturam: prohibuerunt certos cibos: iusserunt omnia in commune conferri: Alij coniugia prohibuerunt: Alij promiscuos concubitus approbauerunt.

Narrat de prohibitione coniugij, hæreticos citasse colloquium CHRISTI & SALOMES, quod ait in Euangelio Ægyptiorum scriptum esse. Interroganti Salome, quando venturum esset regnum Dei, respondet Christus: CVM CESSABIT OPVS MVLIERIS. Inde ait Clemens, Hæreticos argumentatos esse, desitura coniugia postquàm Christus natus sit, & iam incoata sit Euangelij prædicatio. Tales ludi sunt Hæreticorum, detorquere dicta in peregrinas sententias. Christus nominat Opus Mulieris, scilicet Heuæ, peccatum & mortem. Illi generationem interpretati sunt, quæ est opus Dei, institutum, vt fiat copulatione Maris & Fœminæ.

Sic & definitionem Iustitiæ malè detorsisse eos narrat: Δικαιοσύνη ὅτι κοινωνία θεοῦ μετὰ ἰσότητος.

τος. Ergo omnes omnium rebus & uxoribus æqualiter utantur. At definitio, si non reijcienda est, loquitur de æqualitate ordinata Lege Dei, quæ dicit: Non Mœchaberis: Non furtum facies. Talis sit æqualitas, qualis Lege ordinata est.

Cæterùm ipsa definitio, si non insulsè enarretur, Legalis est, non Euangelica, quia non facit mentionem Mediatoris, sed loquitur de effectu, videlicet de nouitate iuxta primam & secundam tabulam Decalogi. Nouitas iuxta primam tabulam est communicatio, qua se Deus nobis communicat, id est, qua fulget in nobis, rectè agnoscitur, & accendit in nobis uerbo timorem, dilectionem, fiduciam Dei &c. Deinde in secunda tabula iustitia est æqualitas, id est, dilectio proximi, ordinata Lege Dei. Hæc interpretatio congruit cum Osiandrica definitione de iustitia ESSENTIALI. Necesse est autem prius teneri definitionem Iustitiæ Fidei, qua propter Mediatorem persona placet Deo per misericordiam, iuxta dictum: Iustificati fide, pacem habemus.

Hæc de libris Clementis breuiter dixi, vt sciant iuniores, contineri in eis & Historias, & disputationes aliquas consideratione dignas.

Anno Mundi quatermillesimo, centesimo, quinquagesimo sexto.

Anno Romæ nongentesimo, quadragesimoquarto.

Anno Christi centesimo, nonagesimo quarto.

PERTINAX.

PERTINAX succeſsit Commodo interfecto, Regnauit menſes duos, dies viginti quinq, natus Libertino patre, docuit Grammaticam. Poſtea factus miles virtute creuit. Rexit Rhetiam, Noricum, Myſiam & Daciam. Et quia præfectus vrbis erat, interfectores Commodi, vt defenſionem haberent, Imperium ad eum detulerunt. Mox & à Senatu appellatus eſt Imperator. Sed cùm milites prætorianos, qui Commodi tempore infinitam licentiam habuerant, coërceret, venit in odium, & ab ipſo Leto præfecto prætorio, qui eum Imperatorem fecerat, interfectus eſt, anno ætatis ſexageſimo primo.

DIDIVS IVLIANVS.

CVm autem in illa ſeculi turpitudine nec in Principibus autoritas eſſet, nec in militibus modeſtia, Sulpitianus Præfectus vrbis & Didius Iulianus palàm & impudenter mercati ſunt Imperium. Sulpitianus promiſit ſingulis Prætorianis quingentos coronatos, videlicet ſeſtertia viginti. Iulianus promiſit ſexcentos coronatos & viginti quinq, videlicet ſeſtertia viginti quinq. Ita vincit Iulianus, quitenuit Imperium duos menſes, & dies quinq. Cùmq eſſet Heluo et aleator, nec daret promiſſa militibus, ſtatim venit in odium. Et alibi exercitus in Pannonia Imperatorem appellauit SEVERVM, cuius fuit excellens

lens ingenium & virtus. Inde ciuile bellum ingens ortum eſt inter Seuerum & Peſcenium Nigrum, Syriæ rectorem, & Clodium Albinum Britanniæ rectorem, quod ſignificarunt Parelia in primo ſacrificio Iuliani conſpecta.

Anno Mundi quatermilleſimo, centeſimo quinquageſimo ſeptimo.

Anno Romæ nongenteſimo, quadrageſimo quinto.

Anno Chriſti centeſimo nonageſimo quinto.

SEVERVS.

SEVERVS Imperator ſucceſsit interfecto Iuliano. Regnauit annos octodecim. Natus fuit in vrbe Aphricæ Lepti, Equeſtri loco. Romæ educatus à M. Antonino Philoſopho. Propter induſtriã primùm Quæſtor in Betica factus eſt, Deinde quatuor legionibus præpoſitus eſt in Hiſpania. Poſtea Lugdunenſem prouinciam magna cum laude rexit. Deinde Pannoniam et Germaniam. Cùm interfectus eſſet Iulianus, Romam acceſsit & honorificè à militibus & Senatu exceptus eſt, & Imperator appellatus.

Scribit Dion, ſe nullam vidiſſe ſplendidiorem pompam, quàm ingreſſum eius in vrbem Romã. Vbi cum ad portam veniſſet, deſcendens de equo, pedes acceſsit ad Capitolium. Deinde milites qui Pertinacem interfecerant, exautoratos expulit ex Imperio.

Interfecit & Letum præfectum prætorio, qui autor fuerat necis Commodi & Pertinacis. Iudicia

restituit, & pace in Occidente constituta, in Orientem profectus est contra Pescenium Nigrum, qui ex Syriaco exercitu Imperator appellatus erat. Cum hoc vetus ei amicitia in Gallia fuerat: Et non defuit virtus Pescenio. Vicit autem tribus magnis prælijs Seuerus. Primò ad Cicycum. Deinde ad Niceam. Tertiò, ad Issum in Cilicia, vbi Darium vicit Alexander. Cùmq; in exercitu Pescenij viginti millia trucidata essent, fugiens Pescenius Antiochiam, ibi interfectus est, & caput pilo infixum circumlatum est.

Initio belli occupauerat Pescenius Byzantium, quod Seuerus obsidione cinxit totum triennium: Ac defensum est tanta pertinacia, vt ad HVMANAS CARNES ventum sit: Tandem verò, cùm Byzantij & fame & tempestatibus coacti deditionem facerent, Seuerus iussit demoliri muros. Ita vrbs à Carthaginensibus condita, & quæ diu floruerat, delota est. Nam à Philippo Macedone (quanquam vrbs multò vetustior est) ad Seuerum Imperatorem, sunt anni circiter quingenti. Postea à Constantino instaurata est.

Interuallum à Seuero ad instaurationem sunt anni centum & amplius triginta.

Cùm autem Seuerus iam maximam Romani Imperij partem teneret, rediens in Italiam, bellum mouit aduersus ALBINVM, quem antea Collegam fecerat. Rexerat Britanniam Albinus, & Frisios domuerat,

domuerat, ac propter nobilitatem Romæ Senatoribus carus fuit. Fitq; primùm in historia Romana Frisiorum mentio in rebus gestis huius Albini. Obiecit autem Seuerus Albino, quòd societatem non bona fide coluisset.

Vicit Albinum ad Lugdunum magno prælio, in quo ipse Seuerus ictus de equo decidit, et extinctus putabatur. Victor Albini caput præcisum Romam misit. Deinde solus tenens Imperium magnam crudelitatem exercuit. Interfecit aduersariorum amicos, & multos alios prædæ causa.

Vxorem habuit primam Martiam, quam Romæ duxit tempore Marci Antonini, ex qua ei filius natus est Bassianus. Hac mortua noluit vxorem ducere, nisi quæ haberet Regiam γένεσιν, vt fuit studiosus & peritus Astrologiæ. Duxit igitur in Syria Iuliam, ex qua natus est alius filius Geta, quem, vt postea dicemus, interfecit frater Bassianus.

Postremam expeditionem Seuerus in Britanniam suscepit, vbi mortuus est Eboraci. Vixit annos sexaginta quinq;, menses nouem, dies viginti quinque. Moriturus deplorans humanas miserias dixit: OMNIA FVI, ET NIHIL MIHI PRODEST. πάντα ἐγενόμην καὶ οὐδὲν ἐμοὶ λυσιτελεῖ.

Filijs misit legendam Micipsæ orationem, quæ extat apud Salustium, in qua hæc sunt verba: CONCORDIA PARVÆ RES CRESCVNT:

Apud Dionem hæc de eo verba sunt: Erat corpore robustus, nisi quod senex podagra laborauit, Acies mentis fuit acerrima & validissima, Doctrinas appetiuit, & intellexit, Nec tamen garrulus fuit. Non ingratus amicis, sed aduersus inimicos acerrimus. Intentus in ea, quæ agenda erant, nihil morabatur fabellas & rumusculos, qui de ipso spargebantur.

In eius Historia exemplum est insigne aulici PLAVCIANI, *qui summam potentiam nactus postea ea abutitur, & à Domino tollitur.*

Plaucianus enim Afer, ex tenui loco euectus est ad summam potentiam, & maximas opes à Seuero: adeoq; carus ei fuit, vt filiam eius dederit Seuerus Bassiano. Sed scribit Dion de PLAVCIANO: *Omnia concupiscebat, omnia petebat, omnia accipiebat, nec gentem, nec vrbem vllam relinquebat non spoliatam, sed omnia & vndecunq; rapiebat. Cætera magis tetra omitto. Talis cum esset, non potuit diuturna esse felicitas. Sed primùm hoc furore punitus est, vt vitæ Seueri & Bassiani insidias strueret, quibus deprehensis Plaucianus à Seuero in Palatium vocatus ibi interfectus est: & cadauer monstratum Iuliæ, vt lætaretur, & filiæ Plautiani, vt dolore afficeretur. Hic fuit exitus hominis aulici, qui fiducia potentiæ suæ nimiam licentiam sibi sumserat, oblitus huius*

huius præcepti: Fortunam reuerenter habe, quicunq; repentè Dives ab exili progredière loco.

Exercuit Seuerus etiam sæuitiam contra Christianos, in qua LEONIDES *pater Origenis propter confessionem supplicio affectus est, qui quidem filium magna cura doceri curauit.*

Est igitur ORIGENES *factus Catechetes in Alexandrina Ecclesia, agens annum decimum octauum. Variam historiam continet tota eius vita, quæ legatur apud Eusebium.*

Iuniores hoc studij & diligentiæ exemplum meminerint, quòd linguam Ebræam studiosè didicit, & interpretationes contulit. Opus igitur contexuit, quod nominauit ἑξαπλοῦν, id est, distinctum in sex lectiones seu columnas.

Prima erat Ebræa, scripta Ebræis literis.

Secunda Ebræa: scripta Græcis literis.

Tertia, Græca interpretatio septuaginta interpretum.

Quarta Aquilæ.

Quinta Symmachi.

Sexta Theodotionis.

Hoc modo voluit & linguam Ebræam conseruare: & consideratis interpretationibus eligi maximè propriam: Hi libri in Ierichunte asseruati sunt, quorum similes adhuc Hieronymi tempore reliquos fuisse apparet, quia sæpe recitat illorum interpretũ verba. Tales libri nõ sine magno sumtu, & multorum

torum collatis operis adornari potuerunt. Quare inde illius temporis liberalitas in iuuandis studijs æstimetur.

De doctrina Origenis olim quoq; magnæ contentiones fuerunt, Sed non multa ipsius scripta ad nos peruenerunt. Quæ in latinam linguam conuersa sunt, apparet mutila esse, & non rectè consuta. Potest etiam fieri, cùm tam multa scripserit, vt non semper fuerit intentus, sicut dicitur: χωρὶς ταδὲ, ἐπεῖρ πολλὰ, ἡμῖ τὰ καίρια. Et manifestum est, eum in enarratione Epistolæ Pauli ad Romanos scriptæ sæpe errare.

Hoc notum est, fuisse eum immodicum in ALLEGORIIS, quod ita accidit. Cùm Ethnici deriderent Mosaica scripta propter ritus de cibis & sacrificijs, Origenes tradidit interpretationes allegoricas, vt reconditam sapientiam continere viderentur, sicut Pythagoræ dicta, aut Poëmata. Verum est autem, vmbras aliquas in ritibus traditas esse, quæ aliud significant, vt AGNI MACTATIO, significat Christi mactationem. Cùm Psalmus dicit: Asperges me Domine Hysopo, & mundabor: Hysopus tincta in sanguine vituli, significat ibi sanguinem filij Mediatoris. Arca in adyto templi significat Ecclesiam, quæ est custos doctrinæ à Deo traditæ, sicut in Arcam tabulæ Decalogi collocatæ erant. Sed talium figurarum oportet concinnam accommodationem ad res significatas fieri, oportet etiam modum esse.

Sed

Sed Origenis tempore, gustata harum picturarum dulcedine, hic ludus nimiùm creuit. Cùm enim solus homo habeat naturam imitatricem, vsitatum est noua, & præsertim admirabilia, vt in vestitu, imitari. Quare ætas illa nimiùm delectata est Allegoricis picturis & amisit principalem doctrinam.

Ideo Epiphanius & multi alij reprehenderunt scripta Origenis, & monuerunt, non omnia in Allegorias transformanda esse sicut eruditè inquit Epiphanius: τὰ ῥήματα θεῦ οὐ πάντα ἀλληγορίας δεῖ, ἀλλ ὡς ἔχει: θεωρίας δὲ δεῖται καὶ αἰσθήσεως, εἰς τὸ εἰδέναι ἑκάστης ὑποθέσεως τὴν δύναμιν, hoc est, Verba Dei non omnia indigent Allegorijs, sed sicut se habent. Indigent autem speculatione & sensu, ad sciendam cuiuslibet rei substantiam. Nam in articulis fidei, in lege morali, & in promissione gratiæ necesse est retineri natiuam verborum significationem. In alijs materijs, vt in ritibus, picturæ sunt, quæ aliud significant. Et tamen iudicio opus est, vbi etiam verborum proprietas retineatur.

Ait autem Epiphanius SPECVLATIONE opus esse, id est, Grammatica & Dialectica, videlicet consideratione phrasis, collatione locorum, definitionibus, distinctionibus & iusta consequentia in Argumentis.

Ait & SENSV opus esse, id est, experientia monstrante vocabula, vt Experientia ostendit, quid

signifi-

significent, Vita, Mors, Dolor, Timor, Consolatio, Lætitia, Fides &c.

Hæc de Origene ideò breuiter dixi, vt iuniores discernant materias, & considerent, vbi Allegoriæ locus sit. Quia non omnia in Allegorias transformanda sunt.

Anno Mundi quatermilleſimo, centeſimo, ſeptuageſimo quinto.
Anno Romæ nongenteſimo, ſexageſimo tertio.
Anno Chriſti ducenteſimo, decimo tertio.

ANTONINVS BASSIANVS.

ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA, Seueri filius ex prima coniuge Martia, regnauit annos ſeptem. Nomen CARACALLAE habuit à figura veſtis, qua & ipſe vſus eſt, & cuius ſimiles militibus & populo donauit.

Crudeliſſimus & inceſtus. Initio Imperij fratrem Getam natum ex Iulia, quam pater voluerat fratris Collegam eſſe, interfecit pendentem de collo matris Iuliæ, & clamantem: MATER OPEM FER MIHI, INTERFICIOR. *Ac mater non tantùm ſanguine filij reſperſa eſt, ſed etiam vulnus in manu accepit. Hæc tamen poſtea priuigno Baſſiano nupſit, & quidem inuitans eum. Cùm enim quaſi per negligentiam coram eo nudaſſet ſinum, & ille diceret:* VELLEM SI LICERET, *illa contrà*

contra ait: SI LIBET, LICET. AN NESCIS TE IMPERATOREM ESSE, ET LEGES DARE, NON ACCIPERE? *Publicè igitur eam duxit, & vxoris loco habuit. Quare & poſtea Alexandrini eam* IOCASTAM, *& ipſum nominarunt* OEDIPVM, *Sed huius ioci magnas pœnas dederunt. Trucidauit enim in vrbe Alexandria Baſſianus multa millia ciuium.*

Romæ iniuſtè plurimos Senatores & alios interfecit, & inter hos PATINIANVM *Iuriſconſultum Præfectum vrbis, docentem Ius, quòd excuſare necem Getæ noluit. Cùm enim iuſſus eſſet eam excuſare, recuſans reſpondit:* NON TAM FACILE EST EXCVSARE PARRICIDIVM, QVAM FACERE. *Hæc fortitudo neceſſaria eſt, malle mori, quàm defendere iniuſtam cauſam.*

Cùm vellet Baſſianus in omnibus rebus imitator eſſe Alexandri, Scholas Ariſtotelicas Alexandriæ aboleuit, & libros Ariſtotelis comburere conatus eſt, dicens Ariſtotelem inuiſſe conſilium mittendi venenum ad necandum Alexandrum.

Venit in Galliam, vbi Proconſulem Narbonenſem & multos alios Magiſtratus occidit. Inde acceſſit Rhetiã, & trucidatis aliquot millibus Germanorum, nominauit ſe GERMANICVM. *Satellites etiam multos ex Germanis ſibi delegit. Poſtea tranſ-*

transiuit in Asiam, & mouit bellum Parthicum, vbi cùm multa turpiter & crudeliter fecisset consilio Macrini Præfecti prætorio, à satellite Martiali, cuius fratrem interfecerat, occisus est.

Cadauer missum est Nouercæ & vxori Iuliæ, quæ Antiochiæ erat. Illa supra corpus Bassiani iacens, sibi mortem conscinit. Hic fuit exitus incestæ consuetudinis. Vixit Bassianus annos quadraginta tres.

Anno Mundi quatermillesimo, centesimo octuagesimo secundo.
Anno Romæ nongentesimo, septuagesimo.
Anno Christi ducentesimo, vicesimo.

POPILIVS MACRINVS.

POPILIVS MACRINVS Præfectus prætorio, post Bassiani necem factus est Imperator ab exercitu, qui in Assyria erat, ne Milites tàm procul ab Italia sine Principe essent. Regnauit menses quatuordecim. Fuit Libertinus, & factus est Tabellio sub commodo. Fecit Cæsarem filium Diadumenum.

Initio Imperij sibi & Reipublicæ consulens pacem emit à Parthis data pecunia. Deinde Antiochiæ ludis deditus, venit in odium militum propter asperitatem & tenacitatem.

Inter cætera eius facta hoc narratur. Cùm duo mili-

milites hospitam vi compressissent, inclusit eos in duos boues, exertis capitibus, vt colloqui possent, donec extincti sunt.

Quia autem Bassiani memoria grata fuit militibus, & filius Bassiani dicebatur in Syria esse, qui postea nomen habuit Heliogabali, exercitus pecunia corruptus ab auia Heliogabali, ad eum defecit, & mox seditionem mouit aduersus Macrinum, qui post infelicem pugnam fugit in Bithyniam. Ibi cùm audiuisset filium Diadumenum interfectum esse, latitans in suburbano quodam Macrinus, & ipse interfectus est.

Hic fuit exitus eius, cùm non multò antè scripsisset ad Senatum Romanum, se nolle imperium accipere, nisi volente Senatu. Quia multi mallent interfici Imperatores, quàm viuere, non potuit hoc summo fastigio honorum, quod & ipsi accidit.

Etsi autem totam HELIOGABALI mentionem prodesset deletam esse ex omnibus monumentis, propter horrendam spurciciem, tamen stirps recitatur propter Alexandrum Seuerum, Quia ex eadem stirpe turpissimum monstrum & honestus Princeps nati sunt.

IVLIA nupta Seuero, & deinde Bassiano, de qua suprà diximus, sororem habuit MAESAM, quæ Romæ apud Iulium diu vixit.

Hæc Mæsa filias duas habuit. Alterius nomen est Soæmis, alterius Mammæa.

Soæmis consuetudinem habuisse cum Bassiano dicitur, cùm Romæ adolescens esset. Inde natus dicitur hic Heliogabalus.

Auia & mater sequutæ Bassianum cum Iulia, redierunt ad vrbem Emesam in Syriam.

Ibi & Mammæa vixit, nupta viro nobili VARIO MARCELLO. Ex hoc Vario & Mammæa natus est Alexander Seuerus. Fuerunt igitur sororum filij duo dissimilimi cognati, Heliogabalus & Alexander Seuerus.

SORORES.

IVLIA nupta Seuero, deinde Bassiano.	MAESA filiæ.
SOAEMIS concubina Bassiani.	MAMMAEA nupta Vario Marcello.
Filius Heliogabalus.	Filius Alexander Seuerus.

Nomen HELIOGABALI est ab idolo, cuius sacerdos fuit hic Soæmidis filius. Fuit autem nomen vrbis in Phœnicia GEBAL, clara artificum industria, Inde nominatum esse Idolum existimo. EL GEBAL, id est, DEVM GEBAL. Postea Græci EL mutarunt in ἥλιος, Fortassis partim Græca

Græca, partim Syriaca vox est, ἥλιος & GABAL, quod significat terminum seu metam, quia Sol terminator est, & metas Annorum facit, fuitq; statua figura trianguli, vt Phœnicum & Chaldæorum Idola significarunt multa de astris.

Anno Mundi quatermillesimo, centesimo, octuagesimo quarto.

Anno Romæ nongentesimo septuagesimo secundo.

Anno Christi ducentesimo, vicesimo secundo.

VARIVS HELIOGABALVS.

VARIVS HELIOGABALVS filius Bassiani, vt existimabatur, Mæsæ Auiæ calliditate & largitionibus factus est Imperator. Regnauit biennium, & septem menses. Superauit turpitudine omnes, qui in historijs infames sunt propter libidines. Nominatus est Sardanapalus, sed multò fuit contaminatior. Fecit Cæsarem consobrinum Alexandrum, persuasus à matre & Mammæa, quæ metuebant oppresso isto, Imperium peruenturum ad alienum. Sed postea misit milites, qui Alexandrum trucidarent. Hoc cùm Prætoriani milites resciuissent, qui Alexandri mores probabant, ipsum Heliogabalum in Cloaca, in quam fugerat, interfecerunt. Postea tractum per Circum carnifices in Tibrim abiecerunt. Deinde & mater Soæmis, & multi scelerum ministri interfecti sunt.

Anno Mundi quatermilleſimo, centeſimo, octuageſimo ſeptimo.

Anno Romæ nongenteſimo, ſeptuageſimo quinto.

Anno Chriſti ducenteſimo, viceſimo quinto.

ALEXANDER SEVERVS.

ALEXANDER SEVERVS natus ex Mammæa, factus eſt Imperator, conſenſu Prætorianorum & Senatus, Tenuit Imperium annos tredecim, menſes tres. Mores fuerunt caſti & iuſti. Initio Imperij mox remouit ab officio infames, qui antea ſub turpiſſimo Tyranno creuerant. Delegit autem ex Senatu & ex doctis viris præcipuos, excellentes ſapientia & virtute, quos ad conſilia adhibuit, & ad domeſticam familiaritatem. Græcè eleganter doctus fuit, adeò, vt vitas bonorum principum Græco carmine deſcripſerit. Ex Latinis legit plurimùm Ciceronis officia, & libros de Republica. Familiariſſimus ei ex omnibus Iuriſconſultis VLPIANVS fuit, quem et, cùm milites in eum impetum facturi eſſent, texit ſua purpura, & milites repreſſit.

Nihil fecit aſperius toto imperij ſui tempore, quàm quòd fumo necauit Turinum Verconium, quia ſolitus eſſet fumos vendere, id eſt, fingere reſponſa Imperatoris, accepta pecunia, cùm cauſas nunquam ad Imperatorem retuliſſet, iuſſitq; Præconem clamare:

re: FVMO PVNITVR, QVI FVMOS VENDIDIT. Compererat enim, ſæpe eum ab vtraq; parte pecuniam accepiſſe. Supplicij exemplum ſumtum fuit ab Auidio Caſsio. Scribit autem Lampridius, Alexandrum deinceps in cauendis fumi venditoribus cautiorem fuiſſe, nec paſſum eſſe, vt de alijs quiſpiam malè apud ſe loqueretur. In eos, qui corrupti pecunia iniuſtè iudicauerant, duriter animaduertit, ſæpe hùc verſum recitans: ὃ πολλὰ κλέψας καὶ ὀλίγα δοὺς ἐκφευξέται.

Diſciplinam militarem ſeuerè rexit, exautorata ſemel integra Legione, & tribunis militum affectis capitali ſupplicio. Cùm fuſtibus ſubijciebantur milites, qui ſocios iniuria affecerant, iuſſit præconem clamare: QVOD TIBI NON VIS FIERI, ALTERI NE FECERIS. Hæc mandata Tribunis militum dedit: Si vis Tribunus eſſe, imò ſi viuere vis, manus militum contine: Nemo ſegetes atterat: Nemo ſalem, oleum, ligna auferat: Nemo ouem alterius rapiat: Annona ſua miles contentus ſit: ex præda hoſtium, non ex lacrymis Prouincialium habeat.

Stipendia conſtituit non ſolum docentibus literas & artes, ſed etiam diſcentibus pauperum ingenuorum filijs. In templa aurum inferri vetuit, recitans Perſij verſiculos ex Satyra ſecunda.

Dicite Pontifices: in templis quid facit aurum?
Quin ſuperis iuſtos mores caſtosq; dicamus.

Expeditiones magnas duas suscepit: Priorem versus Orientem contra Persas, Vicit Artaxerxem, qui antea regem Parthorum Artabanum interfecerat, & à Parthis regnum ad Persas rursus transtulerat. Altera expeditio suscepta est versus Occidentem in Germaniam, vbi cum milites asperiùs regeret, venit in odium, & quidem matris Mammææ accusata est auaricia, quæ dicebatur expilare Prouincias, & impedire liberalitatem filij erga milites.

Erat autem barbarus Thrax inter Duces MAXIMINVS, *ad quem deferebatur Imperium. Hoc duce milites seditiosi Moguntiæ Alexandrum cum matre Mammæa trucidarunt. Vixit annos viginti nouem, menses tres, dies septem, Mortuus die suo natali, qui fuit dies mortis Alexandri Magni, videlicet 28. Iunij.*

Inter signa, quæ mortem eius præcesserunt, fuit hoc quoq; : Mulier fatidica, in Gallia ex Sacerdotum familia, qui Druidæ nominabantur, proficiscenti in Germaniam dixit: VADE NEC SPERES VICTORIAM: NEC CONFIDAS MILITI tuo. *Fuerunt autem* DRVIDÆ *Sacerdotes gentis Gallicæ, nominati, vt ego existimo, à fidelitate, quasi dicas, Die Treiwen.*

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo.

Anno Romæ nongentesimo, octuagesimo octauo.

Anno Christi ducentesimo, tricesimo octauo.

MAXI-

MAXIMINVS,

MAXIMINVS *occiso Alexandro filio Mammææ, natus in Thracia infimo loco, factus est Imperator sine Senatus autoritate. Regnauit annos tres. Filium Maximinum Cæsarem fecit, Cùm pastor in Thracia fuisset, Romam venit Seueri tempore, vbi propter robur corporis, cùm cursu pedes æquaret currentem Seueri equum, receptus est inter custodes corporis Seueri. Postea sub* BASSIANO *Tribunus militum factus est. Sub Macrino rediit in patriam, & ditatus prædia emit. Sub Heliogabalo Romam rediit, sed sub tali portento militare noluit. Postea sub Alexandro rursus Tribunus factus tanto in honore fuit, vt Alexander sororem filio ipsius coniugem dare voluerit, nisi mater Soceri crudelitate deterrita fuisset.*

Cùm Imperator factus esset, non solùm in Milites in castris crudelitatem exercuit, sed etiam Romæ delatos Senatores citò multos interfecit, & multis facultates eripuit. Ac alij eum Cyclopem, alij Busiridem, alij Anteum propter sæuitiam nominarunt.

Cùm igitur in Africa procurator Fisci, quem ipse eò miserat, propter rapacitatem interfectus esset, exercitus qui ibi erat, senem nobilissimum, materna origine à Traiano ortum, GORDIANVM, *propter iusticiam Imperatorem fecit, recusantem, quia iam octogenarius erat.*

Erat autem tanta iustitia & modestia eius, vt Africanæ ciuitates sibi Scipionem aut Lælium redditum dicerent. Oppressi sunt tamen Gordiani duo, pater & filius, à Capelliano duce Maximini. Sed Romæ Senatus eum iudicauit hostem, & Imperatorem fecit Gordianum tertium, adiunctis duobus Consularibus: Pupieno Maximo Præfecto vrbis, & Celio Balbino. Maximinus iratus Senatui, & Romam ducturus exercitum, in via retinetur ad Aquileiam, quæ eum recipere noluerat. Hanc cùm obsideret cum filio, & fames in castris esset, milites cognita voluntate Senatus, medio die quiescentem in tentorio Maximinum patrem, & deinde filium interfecerunt. Hos versus in theatro coram ipso Græcè quidam recitauit, significans eum crudelitatis pœnas daturum esse, quãtumlibet confideret suo robore:

Elephas grandis est, & occiditur.
Leo fortis est, & occiditur.
Tigris fortis est, & occiditur.
Caue multos, si singulos non times.

Cùm autem Græcè loquentem non intelligeret Maximinus, & interroganti alia sententia diceretur, euasit Mimus sine supplicio.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo tertio.
Anno Romæ nongentesimo, nonagesimo primo.
Anno Christi ducentesimo, quadragesimo primo.

GOR-

GORDIANVS TERTIVS.

GORDIANVS TERTIVS *interfectis Maximinis ad Aquileiam, & Romæ occisis in seditione militari Balbino & Pupieno, imperare cœpit anno ætatis suæ sedecimo. Regnauit annos sex. Vixit annos viginti duos, amans iustitiæ, pudicus & alienus à crudelitate. Sapientem & iustum gubernatorem habuit Socerum Misitheum, quem fecit Præfectum Prætorio. Duxit exercitum contra Persas, qui Antiochiam occupauerant, & eam recepit profligatis Persicis exercitibus. Sed mortuo socero Misitheo, Philippus Arabs cùm fieret Præfectus prætorio, adolescentem Gordianum interfecit.*

Tristia signa initio imperij Gordiani fuerunt: eclipsis Solis tanta, vt medio die nocturnæ tenebræ fierent: & Terræ motus tantus, vt magnæ vrbes corruerint, & multi homines ruinis oppressi sint.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo nono.
Anno Romæ nongentesimo nonagesimo septimo.
Anno Christi ducentesimo, quadragesimo octauo

PHILIPPVS ARABS.

PHILIPPVS ARABS *obscuro genere natus, factus est Imperator necato Gordiano. Regnauit annos quinq;. Facta pace cum Persis accessit ad vrbem Romam, vbi anno secundo Imperij sui LV-*

DOS SECVLARES fecit ingenti pompa, Calendis Maij, cùm milleſimus annus eſſet vrbis Romæ. Quia Roma ædificari primùm cœperat die viceſimo primo Aprilis, vt ſuo loco dictum eſt.

Diligenter autem hic milleſimus annus vrbis obſeruandus eſt, quia temporum annotatio in multis hiſtorijs inde ſumitur. Magna pars vrbis Romæ in illis ludis Secularibus propter nocturnos lychnos conflagrauit.

Narrant hunc Philippum Arabem primum ex Imperatoribus Romanis factum eſſe CHRISTIANVM. Cumq; in Paſchate ad Cœnam Domini acceſſurus eſſet, non admiſſus eſt ab Epiſcopo Romano Fabiano, niſi prius inter cæteros, quorum explorabatur pœnitentia, in Templo ſtaret, ſicut mos fuit, reos manifeſtorum ſcelerum per aliquot dies ſtare certo loco, & egredi ex templo ante adminiſtrationem Cœnæ Domini. Poſtea cùm viderentur ſeriò emendationem promittere, ad Cœnam Domini admittebantur.

Rituum pœnitentiæ memoria tradita eſt, & magna certamina tunc quoq; fuerunt: An peccata remitterentur ſine illis ritibus. Vnde ſatis apparet, tunc à multis non perſpicuè traditam eſſe doctrinam de fide, gratis accipiente remiſſionem peccatorum, propter Mediatorem. Quid igitur intellexerit ille Arabicus miles, & qualis eius pietas fuerit, neſcimus. Sed tamen odio Chriſtiani nominis defecit ab eo Decius, qui rege-

regebat exercitum in Illyrico, vbi cùm Imperator nominatus eſſet, aduerſus eum expeditionem Philippus ſuſcepit. Sed Veronæ à ſuis militibus interficitur. Romæ filius Philippus à Prætorianis trucidatus eſt.

Anno Mundi quatermilleſimo, ducenteſimo, decimo quarto.

Anno Romæ milleſimo ſecundo.

Anno Chriſti ducenteſimo, quinquageſimo ſecundo.

DECIVS.

DECIVS Imperator factus, regnauit annos duos. Natus in Pannonia inferiore in familia nobili, creuit virtute & ſcientia rei militaris. Filium Decium Cæſarem fecit volente Senatu. Etſi autem breue eſt tempus Imperij illius, tamen duæ magnæ res eius tempore acciderunt. Atrociſſimam perſecutionem contra Chriſtianos Decius mouit. Occidit Romæ FABIANVM Epiſcopum: In vrbe Ieroſolyma ALEXANDRVM: Antiochiæ BABYLAM ſenem, qui cum tribus filijs ſuis iuſſus erat ſacrificare Idolis. Quod cum facere recuſarent, ducti ſunt ad ſupplicium pater & tres filij. Cumq; ſupplicio afficiendi eſſent, pater petiuit prius interfici filios, ne ſpectantes patris necem fierent languidiores. Ipſe interea & mater aſtantes confirmauerunt filios. Poſtea mater cùm fuiſſet ſpectatrix necis mariti & filiorum, eos ſepelijt. Hæc conſtantia fidei & fortitudo Babylæ Epiſcopi & filiorum in hiſtoria

ria Decij præcipuè recitatur, etsi passim magna agmina Christianorum trucidata sunt.

Interea Decius & Getas, qui postea Gotti nominati sunt, qui Istrum transierant, reprimere conatus est. Et priore prælio triginta millia Gottorum interfecit. Ac in posteriore prælio, cum Gotti arte traxissent Decium in loca palustria, filius fortiter dimicãs, in prima acie interfectus est. Pater ira & dolore longius procedens, mersus est in paludem, & ibi periit, cùm vixisset annos quinquaginta.

In hac Historia primùm scribitur, Gottos bellum intulisse Romanis, & intra limites Romani Imperij transisse. Nec dubium est, eandem Gentem nũcupatam esse GETAS & Gottos, & linguam eorum Teutonicam esse manifestum est. Vbi olim in Asia sedes fuerint, ex Herodoto apparet.

Inde progressi accesserunt ad Thraciam. Et postea longum tractum, à Pannonia vsq; ad littus Balticum & vicinas Insulas compleuerunt. Inde rursus effusi, primùm Pannoniam, deinde Italiam occuparunt. Nomen Getæ, Gedid, militem significat.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo decimo octauo.

Anno Romæ millesimo sexto.

Anno Christi ducentesimo, quinquagesimo sexto.

VA-

VALERIANVS.

VALERIANVS iam senex ab exercitu in Rhetia factus est Imperator. Regnauit annos quatuor, natus in familia Romana nobilissima, videlicet Cornelia, propter iusticiam & fortitudinem Senatui adeò carus, vt antea Censor consentientibus Decij Imperatoris & Senatus suffragijs factus fuerit. Postea cùm alibi alij Imperatores ab exercitibus creati & interfecti essent, hunc libenter & Senatus & omnis exercitus receperunt.

Fuit initiò mitis erga Christianos. sed postea à Mago Ægyptio incitatus est, vt persecutionem moueret, qui persuasit etiam ei, vt humanas hostias mactaret. Non diuturnus fuit hic furor. Profectus enim anno quarto Imperij in Orientem Valerianus contra Persas, victus & captus est à rege Persico Sapore, qui aliquot annos, quoties equum conscendit, pedem cerui Valeriani imponens, pro scabello eo vsus est. Tandem in extrema senecta viuenti cutem à ceruice ad pedes detraxit.

Id insigne exemplum inconstantiæ fortunæ consideremus. Sed simul etiam iudicium Dei agnoscamus, qui sic puniuit crudelitatem, quam aduersus Ecclesiam exercuit, & impietatem in mactatione humanarum hostiarum, & deploremus tantos furores in summo Imperij fastigio.

Eius

Eius tempore CYPRIANVS *in Africa trucidatus est.*

DIONYSIVS ALEXANDRINVS, *qui multis erroribus aduersatus fuit, senex in exilium pulsus est.*

CHEREMON *Episcopus in vrbe Nicopoli, cùm in exilium pulsus esset cum magna multitudine Christianorum, & propter senectam ipse & coniunx procedere non possent, spectante multitudine in cœlum sublati sunt Cheremon & coniunx. Ita Deus testimonium præsentiæ suæ inter exules ostendit.*

Tempore Valeriani & NOVATVS *Præsbyter Romanus atrox dissidium in Ecclesia excitauit, negans recipiendos esse lapsos, qui cùm metu supplicium negassent se Christianos esse, postea ad pœnitentiam redibant. Hæc species seueritatis multos traxit, vt Nouati sententiam sequerentur. Et hæc durities postea translata est ad alios lapsus. Quare nominabantur* CATHARI, *qui non recipiebant lapsos in manifesta delicta.*

Non multò post Alexandriæ MELETIVS *eodem dogmate Ecclesiam distraxit.*

Sed refutauit hunc errorem firmissimis testimonijs DIONYSIVS ALEXANDRINVS, *vitans etiam exempla superiorum ætatum. Et exemplum Petri notum est, de quo cùm antea dictum esset: Beatus es Simon: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus cœlestis: tamen ipse postea & lapsus & receptus est. Et Paulus recipit Corinthium, qui post mœstum redit ad pœnitentiam. Et dulcissima vox omnibus nota sit: Quoties remittam? Non septies, sed septuagies septies. Quibus verbis significatur & ingens infirmitas, & simul amplissima consolatio proponitur. Et Apocalyp. 3. dicitur: Age pœnitentiam: Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audiet vocem meam, & aperiet, ingrediar ad eum.*

Recitatur & digna consideratione historia de Iohanne Apostolo, qui adolescentem ex sodalicio latrunculorum reduxit. Sitq; grata pijs hæc vera commonefactio, & magis ament doctrinam, quæ in Ecclesijs nostris de hac quæstione traditur, cum videant Ecclesias nostras consentire cũ iudicijs sinceræ Antiquitatis. Magis etiam ament ritum priuatæ Absolutionis, quia veteres etiam hunc ritum citarunt, tanquam testimonium de recipiendis lapsis. Nota sit autem integra explicatio controuersiæ huius alibi tradita, vt sint præmuniti animi contra Anabaptistas, qui nostro tempore etiam Nouati & Meletij errorem sparserunt.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo, vicesimo tertio.

Anno Romæ millesimo vndecimo.

Anno Christi ducentesimo, sexagesimo primo.

GALLI-

GALLIENVS.

GALLIENVS filius Valeriani patre capto regnauit annos vndecim, similis Neroni aut Domitiano, deditus obscœnis voluptatibus & crudelis. Quare cùm ducibus & exercitibus inuisus esset, numerantur eius tempore triginta duces, qui à suis exercitibus facti sunt Imperatores, qui partim inter sese dimicarunt, partim à suis militibus interfecti sunt. Hæc laniena Ducum vires Imperij duriter afflixit, & gubernationem vbiq; turbauit.

Vnus fuit ex Ducibus excellens vir POSTHVMVS, qui Galliam rexit. Hic cùm septem annos teneret imperatorium nomen, & Gallienus exercitum aduersus eum misisset, FRANCOS sibi adiunxit, qui tunc ad Rhenum accesserant. Hic primum fit Francorum mentio in bellis Romanis.

Semper autem prudentes viri quæsiuerunt gentium, ac præsertim maiorum suorum stirpes: & quid σοφὸν inuitat ad cogitationem de parentibus, & quia gratum est, virtutem & honesta exempla maiorum intueri, & quia honestæ gentes disciplinam maiore cura retinuerunt.

Fuisse autem excellentem virtutem gentis Francicæ, ostendit magnitudo rerum gestarum, quòd in Gallia regnum constituerunt, quo multis seculis nullum est in genere humano magis ornatum Legibus, doctrinis & iudicijs: Et quòd Italia dignos esse censuit,

fuit, in quos transferret Romani Imperatoris dignitatem: Et quòd voluit totius Europæ præcipuos custodes esse.

Laudanda est igitur diligentia eorum, qui Francicæ gentis originem quæsiuerunt. Sed iustè reprehenduntur inepti Scriptores, qui fabulas ex sese finxerunt, de filijs Hectoris, quas omitto, & ex Troia Francos educunt.

Nomen Francorum celebre esse cœpit tempore Gallieni Imperatoris, quia Posthumus eos armauit contra Gallienum. Sed tunc fuisse eos in ripa Rheni, & vicinos Galliæ, Posthumi historia ostendit. Deinde expressè scribitur, Aurelianum triginta millia Francorum propè Moguntiam trucidasse. Postea Constantinus dimicauit cum Francis & Alamanis, & Reges eorum captos obiecit bestijs: & Hieronymus in vita Hilarionis inquit: Inter Saxones & Alemanos Fraci sunt, gens non tàm lata quàm valida.

ALEMANOS autem nominatos esse, qui sunt inter Syluam Martianam, Alpes & Noricum, non dubium est, propemodum vbi nunc sunt Sueui. Interiecti autem inter Suenos & Noricos & Syluam Turingicam sunt Franci nunc quoq;, sicut & Strabo inquit: Francos esse inter Noricos & Vindelicos, vt inter hos nunc quoq; interiecti sunt. Et nomen Francum est à Frey, quod liberum significat. Et Principum nomina sunt nostræ linguæ voces, VVarmund, Ludwig, Helffrich, & alia multa.

Satis igitur perspicuum est, non transijsse Francos ex Gallia in nostras regiones, inter Rhenum & Saltum Turingicum: Sed transijsse eos ex nostris regionibus à Saltu Turingico ad Rhenum, & inde in Galliam.

Sed quæ prima sedes Francorum fuerit, dubitatur. Beatus Rhenanus vicinos Frisijs fuisse, & inde ad ripam Rheni ascendisse existimat: quia non dubium est, Constantini tempore Francos tenuisse Sicambrorum regionem, & Batauiam, id est, Hollandiam. Et Claudianus scribit ad Stilliconem:

Rhenumq; minacem
Cornibus infractis adeò mitescere cogis,
Vt Salius iam rura colat, flexoq; Sycambri
In falcem curuent gladios, geminasq; viator
Cum videat ripas, quæ sit Romana requirat:
Vt iam trans fluuium non indignante Cayco
Pascat Belga pecus: mediumq; ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

Intelligi autem & SALIOS Francos ex Marcellino notum est. Quod nomen cùm à Sala flumine factum esse scribatur, tunc quoq; Francos regionem ad Salam versus Mœnum & Rhenum tenuisse appareat, vnde & SALINGI FRANCI dicti sunt.

Oppi-

Oppidum est è regione Coloniæ Agrippinæ Teutsch, vbi tabula in veteri Monasterio reperta est, in qua scriptum fuit, eam arcem à Constantino extructam esse, in terra Francorum, vt ibi præsidium ad defensionem Coloniæ Agrippinæ collocaretur.

An autem descenderint à ripa Mœni, quæri potest. Stabonis & Hieronymi dicta magis significant descendisse eos ad Rhenum, quàm primùm in littore Frisiaco natos esse.

A Gallieni Imperatoris morte ad Honorij Imperatoris tempus sunt anni circiter centum & triginta. Intra hoc tempus Franci cum multis Imperatoribus dimicarunt, & latè in ripa Germanica Rheni processerunt. Sed Honorij tempore trans Rhenum potiti sunt vrbe Treuirorum, & longius in Celticam & in Belgicum progressi sunt.

Scribitur autem hac occasione vocatos esse à Treuiris. Quia præses Honorij Lucius rapuerat vxorem viri nobilis. Vt igitur libidinosus Præses expelleretur, accersita sunt auxilia Francica, sicut sæpe propter libidines magna regna mutata sunt. Primum autem Regem Franci post transitum in Galliam VVarmundum nominant. Ab hoc initia pulcherrimi regni Francici, quod Celticam, Belgicum, & magnã Germaniæ partem tunc complexum est, recensen-

tur, vt postea sub Honorio dicetur. Nunc ad seriem temporum redeo.

Posthumus cùm haberet auxilia Gallica & Francica, septem annos tenuit Imperium, & sæpe vicit exercitus Gallieni. Tandem fraude interfectus est, Lolliani Ducis insidijs, quem statim Victorinus Præses Coloniæ Agrippinæ interfecit. Gallienum postea interfecit prope Mediolanum Cecropus Dalmata. Multiplex enim Ducum inter seſe, qui tunc Imperatores dici voluerunt, laniena fuit.

Anno Mundi quatermilleſimo, ducenteſimo triceſimo tertio.
Anno Romæ milleſimo, viceſimo primo.
Anno Chriſti ducenteſimo, ſeptuageſimo primo.

FLAVIVS CLAVDIVS.

FLAVIVS CLAVDIVS Imperator factus est ab exercitu ad Mediolanum, cuius iudicium postea comprobauit Senatus. Regnauit annum vnũ, & menſes nouem. Quanta fuerit ipſius virtus, ex Senatus teſtimonio apparet, in quo hæc verba recitata ſunt: Claudi Auguſte, tu Frater, tu Pater, tu amicus, tu bonus Senator, tu verè Princeps. Hæc præconia multas eximias virtutes complectuntur.

Dum autem Gallienus in luxu & popinis viuit, Et per

& per ſeditiones multi ſe Imperatores nominant, & inter ſe dimicant, trecenta millia Gottorum & Herulorum ad fluuium Tyram collecta, tranſierunt partim in Myſiam, partim in Macedoniam, & latè graſſati ſunt rapinis & cædibus. Obſederunt etiam magnas vrbes Theſſalonicam, & Caſſandream.

Aduerſus hos Claudius duxit exercitum, & magna celeritate, diſperſos in diuerſa loca oppreſſit, tantamq; multitudinem feliciter deleuit. Aliquantò post hæc prælia morbo extinctus est. Post eius mortem Senatus honoris ipſius cauſa clypeum aureum, in quo imago eius expreſſa fuit, in Capitolio collocauit.

Anno Mundi quatermilleſimo, ducenteſimo, triceſimo quinto
Anno Romæ milleſimo, viceſimo tertio.
Anno Chriſti ducenteſimo, ſeptuageſimo tertio.

VALERIVS AVRELIANVS.

VALERIVS AVRELIANVS, natus in Syrmio, in familia ignobili, matre ſacrificula Solis, cùm ſub Claudio præcipuus Dux eſſet contra Gotos, & ductor equitum, poſt eum ab exercitu Imperator factus est, cuius iudicium comprobauit Senatus. Regnauit annos ſex. Militari virtute excelluit, ſed propter crudelitatem venit in odium.

Fuit autem digna laude seueritas eius in regenda disciplina. In pœna militis, qui hospitam per vim compresserat, imitatus est Bessi supplicium: inflexis duabus arboribus eum alligauit, quæ cum rursus erigerentur, miles discerptus est.

Antequam factus est Imperator Aurelianus, pugnauit cum Francis ad Moguntiam, vbi triginta millia Francorum trucidata esse scribitur.

Postquàm autem successit Claudio, terribilis expeditio Marcomannorum & Suenorum retraxit eum in Italiam, qui iam Mediolanum ceperant, & terrorem vrbi Romæ similem Cimbrico incusserant. Munito igitur limite Imperij, properans in Italiam, apud Placentiam deleuit Marcomannos & Suenos, sed magna clade Romani exercitus prius accepta.

Fuerunt autem Marcomanni partim Boiemi, partim Morani & Austriaci, vt nunc nominamus, Sueui Alpibus vicini, qui se cum Marcomannis coniunxerant. Pacata Italia Romam profectus Aurelianus, seditiones vrbanas sedauit, & multis ciuibus interfectis, vtcunq; Iudicia restituit, & constituto vrbis statu, duxit exercitum aduersus Zenobiam, quæ Syriam & vicina loca tenebat, & filijs regna quærebat.

Hæc Regina velut Semiramus duxit exercitus & antea fortiter repulit Persas. Postea cùm Syriam Romanis ademtam tradere filijs conaretur, repetenti eam Aureliano cessuram se esse negauit. Facta sunt igitur

igitur aliquot prælia, in quibus Zenobia duce aliquoties Romani exercitus pulsi sunt. Tandem circumsessa Palmyra, cum Zenobia ex ea vrbe in loca tutiora discederet, conspectam in eo itinere Aurelianus cepit. Hic belli finis fuit. Viua Romam ducta est, vbi in triumpho splendidissimè ornata, currum Aureliani in magna turba captiuarum, anteceßit cum filijs & filiabus. Postea concessum est Zenobiæ, vt Romæ more priuatæ matronæ cum filiabus viueret.

Romæ Aurelianus cùm alia quædam paci vtilia constituit, tùm etiam ἀμνησίαν sanxit, ne audirẽtur, qui deferebant malè locutos de Principibus. Deinde rursus ex vrbe ad bellum Vindelicum discessit, vbi Boios, quos nunc Bohemos nominamus, egressos ex Saltibus suis, & populantes oram Vindelicam, repulit. Inde rediturus in Orientem non procul à Byzantio interfectus est à militibus, incitatis à Scriba Mnestheo, cui Aurelianus necem minatus fuerat, sed statim exercitus de Mnestheo pœnas sumsit, eumq; bestijs obiecit.

DE ECCLESIA.

DVM inter seseRomani Duces sub Gallieno belligerantur, creuit Ecclesia. Multi enim libẽtius amplexi sunt doctrinam de vero Deo, cùm viderent scelera, furores, & pœnas impiorum Principum, qui Idola defendebant. Simul autem, vt fit in confusionibus impiorum, praua ingenia sparserunt

runt impias opiniones. Ac præcipuè duæ furiæ diuersis locis valdè pernicioſæ fuerunt: Manes in Perſia, à quo Manichæi nominati ſunt, & Paulus Samoſatenus Antiochiæ. Attigit Aureliani tempora vterq. Impoſturæ autem diſſimiles fuerunt.

Manichæa pugnans cum iudicio rationis & ciuili conſuetudine vitæ, abſurda, monſtroſa, barbarica, ſpectro ſimilis, ſeu Chimæræ ſeu Empuſæ, conflata ex Stoicis deliramentis, & fanaticis furoribus, ac ſimulatis afflatibus.

Samoſatenica verò, vt bella meretricula fucata Philoſophicis coloribus, laſciuiens, & blandis illecebris inuitans curioſa ingenia, non tunc primùm nata, ſed antea Plotini diſputationibus Alexandriæ cõpta. Cognoſci vtraq. ex noſtræ ætatis ſpectaculis poteſt. Furores Anabaptiſtici ſimiles ſunt Manichæorum. Seruetus Hiſpanus, qui diu fuit in Academijs Mahometicis in Numidia, Samoſatenicam illam meretriculam in theatrum reduxit.

Cùm autem neceſſe ſit, vetera certamina, & veræ Eccleſiæ iudicia noſſe, non prætereundæ ſunt hæ maximarum rerum controuerſiæ, præſertim cùm res oſtendat, id quod Thucydides inquit accidere, vt donec eadem hominum natura manet, ſimilia multa accidant.

Vt autem de noſtræ ætatis controuerſijs rectiùs iudicare poßimus, prodeſt collatio veterum certaminum & iudiciorum.

Ne

Nec difficilis eſt refutatio Manichæorum, quia multi ſunt manifeſti furores. Et extant vetuſtæ refutationes, ſcriptæ ab Irenæo contra Marcionem, & ab Auguſtino contra Manichæos, quas legere eruditos vtile eſt, & multæ recentes contra Anabaptiſtas.

Fuerunt autem hæc præcipua capita Manichææ ſectæ. Vt Stoici dixerunt: Duo principia eſſe pariter æterna, Θεὸν καὶ ὕλην: Ita Manichæi duo principia pariter æterna, & inter ſe pugnantia finxerunt, Bonum & Malum. Bonum nominarunt Lucem, Malum tenebras & materiam, quam dixerunt malorum omnium cauſam eſſe. Ortos à malo nominarunt χοϊκοὺς καὶ ὑλικούς. Hos dixerunt, quia haberent ſemina malæ materiæ, neceſſariò ſceleratè facere, nec poſſe ad Deum conuerti. Contra verò ortos à bono Deo neceſſariò recta facere, nec damnari eos poſſe, quia ſunt in eis lucis ſemina. Nec teneri eos Lege, etiam cum contraria Legi faciant, quia Lex tantùm iudicet ortos à materia.

Ita docuerunt omnia neceſſariò fieri, bonas & malas actiones, & rurſus nullam eſſe humanæ voluntatis libertatem in bonis & malis actionibus, interioribus & exterioribus.

Reiectis etiam Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, nouum Euangelium ſcripſerunt, & vt antecelleret communi hominum multitudini & Semideiformes viderentur, ſimularunt Enthuſiaſmos ſeu afflatus, ſubitò in tur-

in turba se in terram abijcientes, & velut attoniti diu tacentes, deinde tanquam redeuntes, ex specu Trophonio, & plorantes, multa vaticinati sunt. Prorsus vt Anabaptistæ recens fecerunt in seditione Monasteriensi. Etsi autem in quibusdam manifesta simulatio fuit, tamen aliquibus reipsa à diabolis furores immissos esse certum est. Finxerunt etiam coniugium, politicum ordinem, Magistratus & iudicia, opera esse non lucis seu boni Dei, sed mali principij.

Hi furores multa tetra scelera, libidinum confusiones & seditiones pepererunt, sicut Historiæ Clementis, Epiphanij & Eusebij, inde vsq; à Marcionis tempore narrant, in quibus scribitur, colluuiem Marcionis oppidum Phrygiæ Pepuzam nominasse Ierosolymam, & ibi seditionem mouisse, prorsus vt Anabaptistæ seditionem in vrbe Monasteriensi mouerunt.

Tandem verò Manes dicitur hoc modo perijsse. Cùm se pro medico venditaret apud regem Persicum, & filium eius in curatione, seu dolo, seu inscitia necasset, Rex Persicus cutem ei detrahi iussit, & sic eum interfici.

Cohorrescamus autem hæc monstrosa dogmata legentes, & considerantes, quanta multitudo fascinatorum in ea secta fuerit, & quàm diu hæc pestis duraverit. Nam, vt Marcionis tempora omittam, post Aurelianum Manichæi magnos cœtus in Persia, Ægypto, Africa, & in multis Asiæ locis habuerunt amplius ducentis annis.

Hæc

Hæc cogitantes agnoscamus & esse Diabolos, & horribiliter insidiari Ecclesiæ, & non adsentiamur inexploratis dogmatibus, sed doctrinam Ecclesiæ rectè discamus, & assiduis votis à Deo petamus, vt nos doceat & gubernet, sicut Propheta clamat: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me. Sintq; in conspectu firmæ refutationes, sumtæ ex perspicuis testimonijs diuinis, quæ affirmant esse vnum & æternum principium bonum, Deum verum, creatorem omnium creaturarum, & vniuersæ materiæ corporum. Nec esse aliud æternum Principium pugnans cum bono: Nec peccatum ortum esse ab æterna natura, nec ex materia, sed à voluntate Diabolorum & primorum parentum, qui se liberè auerterunt à Deo, quia scriptum est: Non Deus volens impietatem tu es. Item, Iohan. 8. Quando mendacium Diabolus loquitur, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater mendacij.

Falsum est etiam, propter materiam diuersa malios posse conuerti, alios non posse conuerti: quia certum est, non esse discrimen in propagatione hominum, propter diuersas materias, quod ad peccatum attinet, sed omnes homines ex Adam & Heua propagatos, ex commixtione maris & fœminæ nascentes, adferre peccatum originis, vt Cap. 5. ad Romanos perspicuè dicitur.

Rur-

Rursus etiam omnes, qui in veris doloribus voce Euangelij, id est promissione gratiæ eriguntur, fiunt hæredes æternæ salutis, nec consolatio excutienda est his imaginationibus, quæ fingunt discrimen in hominum materia esse, aut in Deo προσωποληψίαν. Sed vtrac̃ concio vniuersalis est: Accusatio peccati in omnibus, qui nati sunt ex commixtione maris & fœminæ, & promissio gratiæ iuxta hæc dicta, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium dederit, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, Item: Deus vult omnes homines saluos fieri. Item: Non est in Deo προσωποληψία &c.

Quòd etiam Manichæi dixerunt: omnia necessariò fieri, bonas & malas actiones, tetrum & Diabolicum mendacium est, contumeliosum contra Deum & perniciosum moribus. Manifestum est enim Paulum affirmare, esse aliquam iusticiam carnis, quæ est externa gubernatio, qua homo liberè regit externa membra, ne faciant contra legem Dei. Ideo inquit: Lex Pædagogus est. Aliqua igitur libertas est & in non renatis, videlicet regendi externas actiones, seu, vt nos loquimur, regendi locomotiuam.

Multò verius est libertas in renatis. Ioseph adiuuatur à Spiritu sancto, vt heri coniugem fugiat, Et tamen liberè & volens, non coactus fugit. Dauid liberè & volens, non coactus rapit alterius coniugẽ, & potuerat imperare externis membris, ne alienam attingeret, præsertim cùm antea domicilium fuisset Spiritus sancti. Posse igitur labi renatos, ostendunt exempla Pharaonis, Saulis, Dauidis, Petri & aliorum innumerabilium, quorum aliqui rursus ad Deum conuertuntur, vt Aaron. Dauid. Aliqui ruunt in æternum exitium, non quòd sint ab alia materia orti, sed suæ voluntatis malicia.

Errores Manichæorum de coniugio & politico ordine, cùm manifestè impij sint, testimonia sunt, eam Sectam & similes Diabolorum organa esse. Cùm igitur Filius Dei velit discerni veram Ecclesiam ab impia colluuie doctrinarum voce, sicut scriptum est: Oues meæ vocem meam audiunt: Item, Ex fructibus eorum cognoscetis eos: sciamus Manichæos & similes, cùm manifestè impios furores defendant, nequaquam esse ciues Ecclesiæ Dei, & fugiamus & execremur eos, tanquam hostes Dei, & agmina Diabolorum.

Extant autem scripta de coniugio & Politico ordine in nostris Ecclesijs edita, quæ Manichæis, Anabaptistis et alijs fanaticis opponi volo. Nam huius scripti modus non patitur ea hic repeti. Sed nota sunt pijs, & alibi sæpe repetita sunt. Et mihi gratum est, prorsus eadem ab Irenæo dicta esse.

Adijciam pauca de PAVLO SAMOSATENO, qui blasphemiam renouauit, quam non tantùm ab Ebione & Cerintho post Apostolos sparsam

esse iudico, sed existimo primùm à Diabolis impulsum esse Cain, vt doctrinam de MESSIA irrideret, & negaret tunc adesse Ecclesiæ Filium Dei. Deinde secutæ sunt maiores tenebræ & Ethnica Idola. Postea in populo Israël Pharisæi & Zadducæi etiam negauerũt in Messia fore diuinam & humanam naturam. Ita deinceps semper habuit Diabolus sua organa, quæ Filium Dei contumelia affecerunt, spretis testimonijs Propheticis & Apostolicis, donec tandem eam blasphemiam horribili potentia regni Mahometici latè propagauit & stabiliuit. Hæc ingentia mala consideremus & Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ testimonijs nos confirmemus, & simul petamus nos ab ipso Filio Dei doceri & confirmari.

Existimo autem Samosateno tunc fuisse hanc occasionem spargendæ blasphemiæ. ZENOBIA mulier Arabica, quæ Antiochiam & Syriam tenebat, didicerat, vt multi alij Arabes, doctrinam Iudaicam. Huic reginæ cùm familiaris esset Paulus Samosatenus Antiochenus Episcopus, vt eam ad Christianos inflecteret, doctrinam de Messia transformauit in Iudaicas opiniones. Et recens in Schola Alexandrina Plotinus allegorias περὶ λόγου suæ Philosophiæ miscuerat. Et apparet multorum disputationibus hæc agitata esse. Inde sumsit præstigias Samosatenus, & contendit in Christo tantùm naturam humanam, & λόγον in Iohanne non intelligi oportere aliquid subsistens seu ὑφιστάμενον, sed posse intelligi decre-

decretum seu sonum euanescentem promissionis. Hæc in illo gynæceo Zenobiæ, & inter alios homines curiosos magnos plausus ciebant. Estq; defensus Samosatenus à Zenobia circiter decennium.

Aliquoties autem vicinarum Prouinciarum Episcopi ad refutandum Samosatenum conuenerũt. Fuitq; præcipua autoritas duorum, qui Samosateno contradixerunt: Dionysij Alexandrini, & Georgij Neocæsariensis, qui miraculis clarus fuit. Huius extat confessio, quam prodest omnibus notissimam esse, quæ recitatur in libro septimo historiæ Eusebij:

Vnus Deus, Pater Verbi viuentis, sapientiæ subsistentis & imaginis suæ, perfectus perfecti genitor, Pater Filij vnigeniti. Vnus Dominus, Solus ex solo, imago Patris, verbum efficax, Filius verus veri Patris, & inuisibilis ex inuisibili, sempiternus ex sempiterno, immortalis ex immortali. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo substantiam habens, qui per Filium apparuit, sanctificans, & per quem Deus super omnia & in omnibus cognoscitur.

Talia vetustatis Iudicia & testimonia recensere in historijs vtile est, quia cùm seruet Deus Ecclesiã nec sinat eam prorsus deleri, excitat aliquos, qui veritatem in Propheticis & Apostolicis scriptis & testimonijs traditam retineant, & alijs ostendant, ac in magnis certaminibus eos adiuuat, & suis testimonijs ornat. Hanc Ecclesiam vult Deus tanquam monumẽtum audiri, sicut scriptum est: Nisi vitulamea arasſetis,

setis, non inuenisse tis. Vult autem fontes considerari, ex quibus hi testes doctrinam hauserunt. Tunc igitur ostenderunt pij senes, semper & Prophetas, & deinde Apostolos idem docuisse, videlicet, missum esse ad Ecclesiam ab initio filium Dei, & hunc allocutum esse Patres, & custodem fuisse Ecclesiæ, Sicut Paulus inquit, adfuisse Christum Patribus in deserto. Et Iacob inquit: Benedicat his pueris Deus, & Angelus, qui eripuit me ex omnibus malis.

Ac dicta, quæ affirmant affuisse Ecclesiæ Messiam, antequam assumsit humanã naturam, perspicuè ostendunt τὸν λόγον, qui assumsit humanam naturam, nequaquam esse sonum euanescentem, sed aliquid viuum, intelligens, subsistens & ὑφιστάμενον, sicut ipse Dominus inquit: Antequam Abraham natus est, ego sum. Item: Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, antequam esset mundus. Item: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui ex cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Et dicta Prophetica multa congruunt, Mich. 5. Egressus eius ante dies Mundi. Zach. 12. Aspicient me, quem confixerunt. Deinde omnia dicta in Propheticis & Apostolicis scriptis, de omnipotentia & inuocatione Messiæ firma testimonia sunt de eius diuinitate, qualia hæc sunt: Ego vitam æternam do eis. Item: Sine me nihil potestis facere. Ego sum vitis, vos palmites. Et Ephes. 1. Qui est caput omnia in omnibus perficiens. Et valdè illustria sunt dicta Colos. 1. Per Christum condita sunt omnia, & ipse est

est ante omnia, & omnia per eum consistunt. Hæc cùm de Christo iam manifestato dicantur, necesse est in eo esse naturam diuinam. Et ad Ebræ. 1. dicitur: Per quem secula fecit, qui est ἀπαύγασμα gloriæ, & character substantiæ eius, ferens omnia verbo potentiæ suæ, &c.

Talibus dictis nos confirmemus, & testimonia veteris Ecclesiæ adiungamus, Irenæi & aliorum. Et quidem affirmat Irenæus, se doctrinam suam accepisse à Polycarpo Iohannis auditore. Discernit igitur Paulus Christum à cæteris Sanctis: ait in eo habitare diuinitatem σωματικῶς, quasi dicat: In cæteris, vt in Elia, Dauide, habitat diuinitas effectiuè & separabiliter: At in Christo inseparabiliter: & ita, vt humanæ naturæ vnitã sit mirando modo vnione hypostatica. Vetustas vsa est qualicunq; similitudine, quæ extat apud Athanasium, Cyrillum & Iustinum: Sicut anima gestat corpus humanum sic gestari, inquiunt, ab imagine coæterna Patri naturam in Christo. Verba apud Iustinum hæc sunt: τινὲς μοὶ τῶν ἐνσωμάτων ψυχῶν πρὸς τὸ σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν ἡμῖν ἁρμόδιόν γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά γοῦν.

Hæc breuiter inseruì historiæ, vt lectores & veteris Ecclesiæ iudicia considerent, & ab his commonefacti testimonia in fontibus quærant, & confirment in mentibus veras sententias de filio Dei, vt ar-

vt ardeat inuocatio, & alacriter confugiant ad eum, sicut præcipit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo quadragesimo primo,
Anno Romæ millesimo vicesimo primo.
Anno Christi ducentesimo, septuagesimo nono.

TACITVS.

TACITVS Imperator factus est ex Senatus consulto, cùm sex mensibus sine Imperatore exercitus essent, & Senatui iudicium permitterent, qui propter virtutem elegit Tacitum. Sed & senex fuit, & sexto mense Imperij mortuus est in vrbe Tarso. Quanquam autem FLORIANVS Taciti frater succedere ei conatus est, tamen exercitus elegit Imperatorem Valerium Probum, cuius virtus exercitibus nota erat.

Cùm igitur in concione militari dictum esset, quærendum esse Imperatorem fortem, sanctum & Probum, tota multitudo quasi omen sequens acclamauit: PROBE AVGVSTE, DII TE SERVENT.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo quadragesimo secundo.
Anno Romæ millesimo, tricesimo.
Anno Christi ducentesimo, octuagesimo.

VALE-

VALERIVS PROBVS.

VALERIVS PROBVS factus est Imperator suffragijs exercitus, qui Tarsi erat, & libenter receptus à Senatu & omnibus exercitibus. Regnauit annos sex, & menses tres. Natus fuit in Syrmio ex patre Tribuno, vir iustus & fortis.

Initio Imperij duxit exercitus ex Oriente in Galliam, quia & Franci eam inuaserant, & Lugduni PROCVLVS & Dux limitis Rhetici BONOSVS, nominauerant se Imperatores. Depulsis igitur ex Gallia Francis, & interfecto Proculo, pacata Gallia, Probus Bonoso, qui Rhetiam tenebat, & Alemanis bellum intulit, quos intra Nicrum cedere coëgit.

In hac Historia primùm inuenio nomen ALEMANORVM, quæ appellatio aboleuit nomen Rhetiæ. Nec dubium est, propriè hanc vocem in veteribus historijs tribui populis, qui sunt inter Alpes & Moguntiam.

Vnde nomen factum sit, quæritur. Quidam deducunt à Lacu Lemano. Alij existimant esse, quasi allerley Man, id est, promiscuam multitudinem, quæ concurrit ad libertatem recuperandã, propter Tyrannides Romanorum Ducum. Agathias à Græca voce dictos esse scribit, quasi ἀλήμονας, id est, errantes seu vagabundos, Ego existimo idem nomen esse ALAMORVM & ALEMANORVM,

Sunt autem hodie Alani non procul à Constantinopoli, quorum tanta est virtus, vt adhuc retineant libertatem & Ecclesias. Fuisse eos olim Getis & Dacis victos, apparet ex Dionysij versibus, vbi dicitur: Δάκων δ' ἄρα τοῦτο γένος, καὶ ἀλκήεντες ἀλανοί. *id est, Lataq; Dacorum regio, fortes & Alani. Est & apud Marcellinum libro 21. longa Alanorum descriptio. Bella cum Hunnis gesserunt tempore Valentis.*

Etsi autem nomen ALEMANI *victimum est, & effusam esse Alanorum gentem in occidentem constat: tamen non affirmo inde factam esse appellationem Alemanorum. Cæterùm Etymologia dulcis est, Alman ab Elam, quod est iuuenis, vnde & Alma est, quod virginem significat.*

Vt autem Francorum primùm fit mentio in Gallieni historia: Ita obseruabis inter gentes à Probo victas primùm nominari Alemanos. Repressit autem Probus vtranq; gentem, Francos & Alemanos, trucidatis quadringentis millibus hominum. Franci in Belgico victi sunt, & receptæ Gallicæ ciuitates sexaginta, Alemani ad Nicrum profligati sunt.

Simul in Rhetia BONOSVS, *qui se Imperatorem nominauerat, & Alemanos concitauerat, victus est. Hic laqueo sibi vitam finiuit. Et quia fuerat Heluo, & habuerat ventrem deformiter tumidum, iocus militaris sparsus est: Non hominem pendère, sed amphoram.*

Pacatis

Pacatis his regionibus, Probus in Asiam duxit exercitus per Thraciam, vbi Gottos repressit, & multa millia in agris imperij collocauit, Latrocinia in Cilicia sustulit. Cum Persis & Parthis pacem fecit, ac regressus ad bella magis necessaria, Sarmatica & Gottica, cùm in Syrmio milites oneraret labore: siccandi paludes, aliqui tumultuantes, seditionem aduersus eum mouerunt, & fugientem Probum Imperatorem in speculam interfecerunt. Reliquus exercitus dolens extinctum esse iustum, fortem, felicem vtilem Imperatorẽ, sepulcrũ ei fecit, cum hac inscriptione: Hic PROBVS IMPERATOR VERE PROBVS SITVS EST. VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM, VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

Quanquam autem excellens in eo virtus fuit, et gubernatio fœlix: Tamen exemplum est non solùm inconstantiæ fortunæ, sed potius ingratitudinis, leuitatis & furorum vulgi, quod eum temerario impetu & seditiosè oppressit. Et ad regulã congruit ὄχλῳ σὺν ἀμαθίᾳ μέγιστόν κακόν. *Item:* Λαῷ μὴ πίσυνε, πολύτροπος ἔστιν ὅμιλος,

Anno Mundi quatermilleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo octauo.

Anno Romæ milleſimo, triceſimo ſexto.

Anno Chriſti ducenteſimo, octuageſimo ſexto.

CARVS NARBONENSIS.

CARVS NARBONENSIS cum præfectus prætorio esset, propter virtutem suffragijs militaribus Imperator factus est. Regnauit biennio. Filios nuncupauit Cæsares, & CARINVM NVMERIANVM.

Probus honorificum testimonium de eo ad Senatum scripsit his verbis: Felix esset nostra Respublica, si plures CARI similes haberemus. Ideo Senatus libenter comprobauit militarem suffragationem, præsertim cùm virtus eius nobilitate generis & eruditione ornata esset.

Quia verò audita Probi morte vicini Pannonijs Sarmatæ rursus in Pannoniam & Thraciam irruptiones faciebant, primùm omnium CARVS Sarmatas repressit, sedecim millibus interfectis & viginti millibus captis.

Pacata vicinia transiuit in Asiam ad bellum Persicum. Cumq; ad fatalem Imperij Romani limitem, ad fluuium Tygridem peruenisset, mortuus est.

Successurus erat filius NVMERIANVS, qui propter nobilitatem, optimos mores, eruditionem, & patris memoriâ à Senatu et exercitu diligebatur, Sed eius Socer Arius Aper, vt Imperium infesè transferret, occidit eum. Id cum comperisset exercitus, in concione accusato Apro, Imperatorem elegit Diocletianum, qui mox Aprum palàm spectante exercitu interfecit. Id factum congruit cum vaticinio mulieris in TVNGRIS, quæ vnà DRVIDVM fuit. Sunt autem dictæ Sacerdotes DRVIDÆ, à fidelitate Trew, quasi dicas, die vertrawten. Hæc prædixerat Diocletiano, obiurgans eum, quòd parcè soluueret in hospitio, futurum esse Imperatorem, cùm APRVM occidisset.

Facta autem pace cum Persis, Diocletianus exercitum reduxit in Europam, & Carino in Dalmatia nominanti se Imperatorem occurrit. Carinus dissimilis patri & fratri, cùm flagitiosissimus esset, & Heliogabili mores imitaretur, ab exercitu desertus et occisus est.

Cùm igitur & Orientis & Occidentis exercitus Diocletianum fecissent Imperatorem, Senatus militarem suffragationem comprobauit.

Anno mundi quatermillesimo ducentesimo, quinquagesimo.
Anno Romæ millesimo tricesimo octauo.
Anno Christi ducentesimo, octuagesimo octauo.

DIOCLETIANVS.

DIOCLETIANVS natus in Dalmatia patre Scriba Senatoris Amilini, matre Diocles, Imperator factus est. Regnauit annos viginti.

Initio Imperij reducens exercitum ex Asia vicit Carinum in Dalmatia, qui patri Caro succedere conabatur. Postea cùm multi noui motus in Prouincijs orti essent, & metueret futurum, vt alibi alij crearentur Imperatores, maluit ipse collegam fidum suo iudicio eligere. Adiunxit ergo sibi collegam MAXIMIANVM, *fortem & peritum rei militaris, sed truculentum & libidinosum. Hunc pari potestate* AVGVSTVM *nominauit. Horum integra mansit concordia, & Diocletianus se Iouium nominauit, Maximianum Herculeum. Cùmq; propter diuersarum gentium motus opus esset pluribus fidelibus Ducibus, duo Augusti rursus nominant duos* CÆSARES: *Diocletianus* GALERIVM *Maximinum, natum in Thracia ripensi: Maximianus* FLAVIVM CONSTANTIVM χλῶρον, *cuius virtus tanta fuit, vt Carus Imperator, si vixisset, interfecturus filium flagitiosum, decreuerit successorem nominare hunc Constantium.*

Coniugijs etiam fœdera confirmata sunt. Diocletianus filiam Valeriam dat Maximino: Maximianus Herculeus priuignam Theodoram Constantio. Duo in Orientem proficiscuntur. Diocletianus Ægyptum recepit, obsessa Alexandria octo mensibus, magnã multitudinem trucidauit. Achilleum, qui se nominauerat Imperatorem, obiecit beslijs dilaniandum.

Maximinus contra Marsum Regem Persarum missus, primùm victus est. Postea vicit capta regia Gaza.

Maximianus primùm in Occidente Galliam pacauit, oppresso Æliano, qui vt se Imperatorem faceret, agricolas concitauerat. Deinde cum in Africa MILITES QVINQVAGENARII *seditionem mouissent, qui volebant dimissionem fieri, & dari agros Quinquagenarijs, profectus eò Maximianus eam seditionem repressit.*

Difficilima pars bellorum mandata fuit CONSTANTIO, *vt Francos & Alemanos domaret, qui cùm sæpe cum eis conflixisset, tandem sexaginta millibus Francorum & Alemanorum trucidatis recuperauit Belgicum & Rhetiam. Eo tempore* SPIRAM *ad Rhenum condidit, vbi matrem Claudiam sepelijt. Natus est enim Constantius ex Romana stirpe nobilissima, patre Eutropio, & matre Claudia filia Imperatoris Claudij, qui anteceſsit Aurelianum.*

Pacatis iam omnibus prouincijs, Imperatores Diocletianus & Maximianus, cùm circiter decem annos regnassent, Nicomediæ conueniunt, & de delendis Christianis deliberant. Quia dissensio Religionis magnas discordias in familijs & in Imperio pariebat. Et quia inter ipsos Christianos multa dissidia erant, diuulsos inter seſe facilius opprimi posse sperabant, iuxta dictum: Concordia res paruæ crescunt, Discordia maximæ dilabuntur. Erant etiam multi transfugæ & alij Sycophantæ inter eos, qui Christiani no-

minabantur, qui tanquam Furiæ & ἀλάσορες incitabant & armabant Imperatores.

Duravit hæc sæuitia circiter decennium, & numerari potest inter exempla diuturnæ crudelitatis præcipua, quæ Ecclesia sensit, qualem in Ægypto Pharaonum tempore, & deinde Antiochi experta est.

Edictum propositum est, simile Antiochi edicto: Vt omnes homines vbiq, sacrificarent Dijs Imperatorum: Non sacrificaturi afficerentur supplicijs: Et vt Templa & Libri delerentur. Nulla magna vrbs fuit, in qua non quotidie circiter centum raperentur ad supplicia. Conspectum est bestias parcere multis, qui eis obiecti erant. Abstinere etiam à Sanctorum cadaueribus. Ita ostendit Deus bestias mitiores esse Tyrannis. Et tamen bestiæ sæpe lacerarunt ipsos carnifices & impios spectatores. Annotatum est, in vno mense septendecim millia in diuersis locis interfecta esse. Hæc fiebant Diocletiani, Maximiani & Maximini crudelitate: Postea etiam Maxentij. Constantinus, qui Galliam & Germaniam regebat, nō fuit huius sæuitiæ socius, sed Christianis in hac parte Imperij, quam ipse tenuit, pepercit.

Militabat eius filius CONSTANTINVS apud Diocletianum in Ægypto, vbi & Diocletianus & Maximinus insidias ei struxerunt, vt eum è medio tollerent, sed effugiens rediit ad patrem in Galliam.

Ita

Ita cùm in Asia, & Syria et in Italia nobilissimi homines interfecti essent, & in multis vrbibus solitudo esset, Diocletianus & Maximianus Imperium vno die volentes deposuerunt: vel dolore, quòd perfici non posse viderunt ea, quæ moliti fuerant; vel metu Constantini. Diocletianus sibi ipse postea mortem conscinit, cùm Maxentium Constantinus interfecisset.

Qua in re considerandæ sunt vehementes naturæ, quæ incendia animorum dissimilima habent, nec secundas res, nec aduersas moderatè ferunt. Mouent iniustas res cœco & ingenti impetu. Postea frustrati opprimuntur magnitudine dolorum, sicut accidit Antonio & alijs multis.

Magis ostendit metum Maximianus, qui Romam rediit, vt à Prætorianis reciperetur, & rursus nominaretur Imperator. Sed cùm filius Maxentius eum expelleret, fugit Massyliam ad generum Constantinum, cui cùm struweret insidias, filia maritū patri prætulit, quæ detexit insidias. Ita cùm Deus Maximianum Constantino mirabiliter obtulisset, interfectus est Maximianus Massyliæ. Hic exitus fuit duorum sæuissimorum Tyrannorum, Diocletiani & Maximiani.

Romæ MAXENTIVS, Maximiani Herculei filius, eò dominabatur crudelius, quia Seuerum ad Rauennam vicerat, qui exercitum contra eum Romam ducturus erat. Cumq, & sæuitiam contra Christianos Maxentius exerceret, & raperet bone-

honestas matronas & virgines, & militibus concederet licentiam omnium scelerum, Senatus Constantinum ex Gallia accersiuit: Cui dubitanti an Romam duceret exercitum, ostendit Deus illustre signum victoriæ. Nam medio die in clara luce vidit Constantinus in cœlo igneam crucem, cum literis: ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ, id est, IN HOC VINCE.

Scribit Eusebius, hanc se narrationem ex ipso Constantino audiuisse.

Itaq; tanquam ducente Domino nostro Iesu Christo Romam cum exercitu properat. Etsi Maxentius imparatus erat, tamen occurrere fortissimo exercitui vsq; ad pontem Miluium ausus est. Ibi prælio victus & cum magna multitudine in flumen mersus perijt. Ideo Christiani dixerunt, interitum Maxentij similem fuisse pœnæ Pharaonis.

Sustulit ergo initiò Constantinus duos Tyrannos: Maximianum & eius filium Maxentium, cùm quidem Constantinus à Maximiano Cæsar nuncupatus esset. Cùm igitur potitus esset Constantinus Occidentis imperio, teneretq; eam partem, in qua plurimum roboris erat: Italiam, Hispaniam, Africam, Galliam, Germaniam & Britanniam, cum LICINIO tenente Illyricum, quem Maximinus Cæsarem nominauerat, facit fœdus, eiq; sororem Constantiam dat vxorem, & mittit eum in Asiam contra Maximinum. Interea pacem in Occidente restituit, Abolet decreta

decreta Tyrannica, & vetat Christianos iniuria affici, Et in prouincijs iudicia & præsidia ordinat.

Victus autem Maximinus à Licinio ad Tarsum, postea Phthiriasi inter sæuos cruciatus perijt, cùm examina vermium ei in inguinibus nata essent. Quo pœnæ modo significatum est, libidines eius puniri.

Extinctis igitur quatuor Tyrannis: Diocletiano, Maximiano, Maxentio & Maximino, tenent Imperium postea Collegæ, CONSTANTINVS & LICINIVS, & paulisper in imperio pax fuit.

Initium autem Imperij Constantini collocatur paulò ante Maxentium.

Videlicet in annum Mundi quatermillesimum, ducentesimum, septuagesimum secundum.

Annum Romæ millesimum, sexagesimum.

Annum Christi trecentesimum decimum.

Sunt ergo ab initio Diocletiani ad hunc annum, qui est initium Constantini Magni, viginti duo anni. Intra hos annos in toto genere humano horrendã lanienam aduersus ciues & hostes, & inter sese, exercuerunt Imperatores.

Suntq; anni à Iulij initio, vsq; ad primum annum Constantini, trecenti quinquaginta septem, qui mutationem in Imperio insignem fecit. Ac à Iulij initio

vsq;

vsq; ad captam Romam ab Alarico, sunt anni quadringenti, sexaginta & vnus.

CONSTANTINVS MAGNVS tenuit Imperium annos triginta duos, minus duobus mensibus. Vixit annos sexaginta sex. Natus est in familia, cuius fuit præcipua nobilitas in Dardanis ex Romana stirpe, cuius hæc series traditur.

EVTROPIVS. CLAVDIA vxor, filia Crispi, fratris Claudij Imperatoris.

CONSTANTINVS χλῶρος Imperator, conditor Spiræ: qui vicit Francos & Alemanos.

HELENA Britannica prima coniunx Constantij.	THEODORA Maximiani Priuigna, secunda coniunx Constantij.	
Constantinus Magnus	ANNIbalianus Dalmatij pater.	Constantius pater Galli & Iuliani.
		Constantia Licinij coniunx.

CON-

CONSTANTINVS MAGNVS.

MINERVINA prima coniunx Constantini magni.	FAVSTA secunda coniunx Constantini Magni filia Maximiani.				
	Eius filij				
CRISPVS.	Constantinus secundus.	Constantius.	Constans.	Constantia, coniunx Galli.	Helena coniunx Iuliani Imperatoris.

DALMATIVM Orienti præfecit Constantinus patruus, sed postea regnante Constantio interfectus est. GALLVM Constantinus Cæsarem fecit, & post Dalmatium Orienti præfecit. Hunc quoq; crudeliter dominantem Constantius interfici iussit. Iulianus post Constantium Imperator factus est.

Post hunc successor IOVINIANVS Pannonius ex alia familia fuit. Suntq; anni ab initio Constantini Magni vsq; ad mortem Iuliani, quinquaginta octo.

Post Maxentij interitum rexit Occidentem Constantinus: Licinius verò Orientem, qui Maximinos deiue-

deleuerat. Deinde pax fuit in imperio Romano, & Imperator am concordia circiter quinquennium.

Cùm verò Licinius paulatim odium aduersus Christianos ostenderet, & aliquot nobiles viros, propterea quòd abijcere professionem Christianam noluerant, interfecisset, multorum etiam raperet facultates & coniuges, multi exules ad Constantinum confugiunt, & petunt suscipi defensionem Christianorũ. Erant fœdera inter Collegas, Licinium & Constantinum, & Licinius coniugem habebat Sororem Constantini Constantiam. Primùm igitur hortatur Constantinus Licinium, vt iuxta edicta, quæ antea simul ediderant, parcat Christianis. Ille contrà superbè respondet: Se non impediendum esse in ea parte Imperij, quam regeret: Et bellum minitatur. Cùm autem iam Licinius violato priori edicto fœdus rupisset: & iusta sit defensio etiam contra Socios, ad debellandam manifestam sæuitiam, Constantinus cum filio Crispo exercitum in Thraciam ducit, vbi ad vrbem Adrianopolin, quæ nunc quoq; nota est, fuitq; olim Odrissa, magno prælio vicit Licinium, de quo & miracula narrantur: Conspectas esse in aere flammas supra exercitum Constantini. Scribit Marcellinus, in exercitu Constantini, qui contra Licinium ductus est, fuisse Francorum auxilia, qua ex re apparet, Constantinum Francorum virtutem magni fecisse.

Fugit

Fugit ex Europa Licinius in Bithyniam, & rursus exercitum collegit. Sed ibi quoq; victus pacem petit, missa ad victorem sorore ipsius Constantia, quæ vitam Licinio marito impetrauit: sed ita, vt priuatus Thessalonicæ cum coniuge viueret.

Aliquantò pòst Licinius, cum res nouas moliretur à Constantini præfecto Thessalonicæ interfectus est. Extinctis igitur quinq; Tyrannis: Diocletiano, Maximiano, Maxentio, Maximino & Licinio tenet Monarchiam solus CONSTANTINVS qui, cum leges & iudicia deleta essent, & non solùm bellis ciuilibus, sed etiam sæuitia, quam Tyranni contra Christianos exercuerant, vastatæ essent Prouintiæ, victor Constantinus & Ecclesias & Imperium restituere cœpit.

Estq; hæc mutatio vna inter præcipuas generis humani mutationes, difficilior quàm fuit Augusti, victo Antonio, & Iulij victo Pompeio. Bellum certè cũ Licinio longè maius fuit, quàm vel Iulij vel Augusti bella. Nam & Ducum par fuit magnitudo animi & potentia, & causa maior fuit, quàm Iulij vel Augusti. Dimicarunt enim, in vtram partem fieret inclinatio, An deinceps totus orbis pareret Christianis principibus, deleturis Ethnicas religiones: An verò pareret Ethnicis deleturis Christianos. Et multi erant duces & milites nobilissimi in exercitu Constantini, quorum patres & matres crudelissimè interfecti fuerant. Fuit igitur causa lon-

sa longè maior, quàm vlla in imperijs vnquam fuit. Et habebat robur Imperij Constantinus, vt de eo dici posſit : Et causaq; valet, causamq; tuentibus armis.

Vt autem Deus victoriam dedit Constantino: ita postea eum adiuuit in constitutione Imperij. Restituit leges & Iudicia, & multas nouas leges condidit: præsertim de coniugijs & pudicitia sanxit, vt capitali supplicio afficerentur Mœchi, & omnes, qui se deinceps polluerent libidinibus contra naturam, & scorta masculà iussit vbiq; interfici. Prohibuit & ciuibus Polygamiam. Sanxit ne Christiani vlla iniuria propter confessionem afficerentur: Et vt ad honores admitterentur. Nominatim verò excepit Hæreticos. Curauit rursus ædificari Christianorum templa, & reditus attribuit Pastoribus.

Pro militum vtilitate sanxit, vt prædia, ex quibus milites antea habuerant stipendia, transirent ad hæredes, & fierent propria familiarum, sed ita, vt certum numerum militum præberent. Id initium est eius moris, qui nunc seruatur in Feudis, vt nominamus, id est, prædijs militum.

Hoc beneficio tenuit Constantinus obligatos omnes honestos milites. Ideoq; hunc morem instituit, vt mallent in coniugijs honestè viuere, & procreare sobolem, quàm vagari vt antea.

Anno Mundi quatermillesimo, ducentesimo, nonagesimo septimo.

Anno

Anno Romæ millesimo, octuagesimo quinto.
Anno Constantini vicesimo sexto.

PACATIANO & Mecellio Coss. incoata est instauratio murorum Byzantij, qui à Seuero Imperatore destructi fuerant. Estq; interuallum inter destructionem factam tertio anno Seueri, ad hanc instaurationem, anni centum & triginta. Suntq; ab instauratione, donec à Mahometo capta est, mille, centum & octodecim anni. Capta est enim à Mahometo anno millesimo, quadringentesimo, quinquagesimo tertio.

Sunt vrbium & Imperiorum fatales periodi. Et multa Heroici viri faciunt fatali impetu, de quibus secus videtur alijs.

Verum est, vrbis Romæ, Italiæ & Imperij statum valdè languefactum esse, translata dignitate, & translatis familijs & opibus ex Italia in Thraciam. Nec quæro, quæ res mouerit Constantinum. Et si situs Byzantij valdè opportunus est ad tenendum Occidentis & Orientis imperium. Et tunc assiduis præsidijs in eo loco aduersus Gottos & Sarmatas opus erat, quæ quidem ibi commodissimè ali poterant. Sed potiorem causam tantæ mutationis fatum fuisse existimemus. Cùm Deus puniturus esset Italiam & Romam aduentu peregrinarum gentium, priùs voluit alibi arcem Imperij & doctrinarum condere.

Ipsa vrbs Byzantium olim à Carthaginensibus condita esse scribitur, & nominis Etymologia continua est: Bethzona, id est, domus cauponæ seu meretricis: Quia propter vbertatem soli & loci opportunitatem, copia ibi magna est omnium rerum necessariarum.

Constantinus nominauit Νέαν Ῥώμην, *quia voluit has duas ciuitates vnam esse: Et ciues in hac noua Roma tàm fieri Consules, quàm eos, qui in vrbe Roma nati erant & habitabant. Vicit autem consuetudo, vt hæc vrbs dicta sit* CONSTANTINI *vrbs, quæ quidem ab instauratione, vsq; ad hanc postremam expugnationem factam à Mahometo, etiam præcipua omnium doctrinarum sedes fuit.*

AN CONSTANTINVS VRBEM ROMAM ET OCCIdentis Imperium Romano Episcopo dederit?

VSitatè nominatur LIBER DECRETORVM *in quo & vetera & recentia decreta multa partim vera, partim commentitia & notha, & sententiæ scriptorum truncatæ, recitantur. In eo libro distin. 96. extat fabulosa Narratio, in qua fingitur Constantinus Romano Episcopo Sylnestro donasse vrbem Romam & Occidentis Imperium. Italiam, Galliam, Hispaniam, Germaniam, & alias vicinas Prouincias.*

Huius

Huius fabulæ refutatio scripta est à multis doctis viris. Et has disputationes nosse eò prodest, vt discrimen intelligatur potestatis politicæ & ministerij Euangelici. Nec existimetur, Apostolis aut eorum successoribus mandatum esse, noua Imperia constituere, aut regna transferre, sicut falsò dicitur in versu:

Petra dedit PETRO, *Petrus diadema Rudolpho.*

Considerandum est igitur in historijs, quomodo paulatim creuerint opes Episcoporum, & quando accesserint Imperia.

Pastoribus & alijs, qui in templis & Scholis docent, victus debetur. Quare initiò contulerunt pecuniam homines locupletes & benefici, & ad Doctores alendos, & adiuuandos egentes, dignos publica beneficentia, videlicet ægrotos & exules. Hæ collationes omnibus temporibus vsitatæ fuerunt, & Lege Mosaica ordinatæ sunt. Fuerunt igitur & in Ecclesijs publica Æraria, sicut & Tertullianus STIPIS *mentionem facit & nomen Missa tales contributiones significat, Deuteron. 16.*

Sed Imperia nec Apostoli, nec Episcopi, nec Pastores, nec præfecti ærarijs habebant, Sed hi, vt alij ciues priuati, parebant quolibet loco suis Magistratibus armatis. Nec ante Pipinum Caroli patrem legimus habuisse Romanos Episcopos Italiæ partem: aut tenuisse imperium in ea parte. Sed cum Longobardi

pulsis Hexarchis qui, Rauennam & alias quasdam vrbes rexerant, eam partem occuparent, & iam Romæ minitarentur, accersitus est Pipinus Caroli pater, qui repressit Longobardos, & vrbibus, quas Hexarchi rexerant, libertatem restituit.

Et quia magna erat Pontificum autoritas, vrbes, quæ Romæ propiores erant, cùm defensione indigebant, ad pontifices confugiebant. Ita paulatim aliquæ velut propriæ Romanæ sedis factæ sunt. Postea igitur LVDOVICVS TIVS tenens omnia, quæ Longobardi tenuerant, & tenens cæteras vrbes vsq; ad vrbem Romam, expressè distinxit loca, quæ volebat Romanam sedem, tanquam propria tenere, ab ijs quæ voluit Imperij partem esse. His initijs pars illa Romæ propior cœpit esse propria Pontificũ, non Pipini aut Caroli donatione, sed Ludouici Pij.

Præterea tradere Imperium est Iuramento obligare Senatum Romanum & exercitus, vt illi obtemperent, cui imperium traditur. Manifestum est autem, nec Senatum, nec exercitus tunc iurasse Romano Episcopo. Sed Constantinus, Iulianus, & deinde successores soli fuerunt exercituum Domini. Romæ etiam præfectos vrbis constituerunt: Constantinus Leontium, qui seditiones Romæ ortas oppressit, & autorem seditionis vrbe expulit, & postea, cùm nobilem virginem vi stuprasset vltimo supplicio adfecit. Iulianus Imperator præfectum vrbis constituit Apronianum, & deinde alij alios: Iustinianus in Italiam misit

misit Belisarium, qui & Syluerio Pontifici, Gottos reuocanti ad Romam occupandam, dignitatem ademit, eumq; relegauit. Postea Narses annos sedecim Italiæ Rector fuit. Deinde Exarchi Imperatorum Vicarij fuerunt, circiter annos centum & sexaginta, à Iustiniano secundo, vsq; ad Pipinum. Testis est igitur HISTORIA, Romanos Episcopos non tenuisse imperium vrbis Romæ aut Occidentis.

Additur & Argumentum à PERSONA seu officio EPISCOPI. Primùm hoc manifestò falsum est, quòd multi scribunt: PETRO datam esse summam potestatem, etiam imperia constituendi. Quia hæc dicta discernunt ministerium Euangelij et politica Imperia: Sicut Pater meus misit me, ita ego mitto vos. Regnum meum non est de hoc mundo. Reges gentium dominantur. Vos autem non sic. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia. Ergo etiamsi mittitur Petrus ad ministerium Euangelij, non tribuitur ei simul autoritas politica, constituendi aut mutandi Imperia, aut colligendi exercitus, aut bella mouendi. Sicut horum nihil fecit PAVLVS, etiamsi flagitiosissimam beluam NERONEM tenere florentissimum Imperium videbat. Sed quanquam dolebat talem pestem hoc fastigium generis humani tenere: tamen ordinem politicum Imperij sciebat Dei opus esse, & venerabatur.

Quòd verò in constitutione Bonifacij citant dictum: ECCE DVO GLADII HIC, Non se-

quitur, hac voce armatum esse PETRVM Imperio. Nam & ipse Filius Dei præliari eum prohibet. Et cùm Christus inquit: SATIS EST, significat querelam de duplici genere hostium. Satis est Pontificum & Pilati gladios aduersus vos strimgi.

Cùm autem distincta sunt officia: Euangelicum & politicum: Et de hoc politico expressè dictum est: Omnis anima potestati, quæ præest, sit subdita, Contrarium esset mandato diuino & seditiosum, rapere dominationem, quam legitimus Magistratus tenet. Fuisset igitur seditiosus & prædo Romanus Episcopus, si Constantini potestatem, aut exercitus, aut prouincias subditas non donatas, ad sese transtulisset, vt reuera seditiosi fuerunt deinde Pontifices, qui vrbem Romam aut alias, quæ fuerunt propriæ Imperatoris, non donatas occuparunt.

II. Argumentum.

Etsi historia testis est, vt dixi, non esse factam donationem Vrbis aut Prouinciarum à Constantino: tamen etiamsi oblata esset potentia illa Syluestro, non licuisset eam ipsi accipere in ea functione, in qua erat, & successoribus tradere. Quia vnusquisq; facere debet officia suæ vocationis, iuxta dictum: In hoc sitis ambitiosi, vt sitis quieti, & faciatis PROPRIA. Pastor debet docere: Rex gubernare exercitus, stipendia, bella, pacem corporum. Non sunt hæc igitur mandanda Pastori, sed vnusquisq; suo loco memor

memor sit regulæ: PROPRIA FACITE. Item: vnusquisq; sicut eum vocauit Deus, ita ambulet. Et Siracidæ tertio: Qui amat periculum, peribit in eo. Altiora te non stolidè quærito. Quæ tibi Deus præcepit, ea SANCTE cogita.

Itaq; dictum: VOS NON SIC, non tantùm sic intelligatur, quòd cum ministerio Euangelij non tradat Christus politicam potestatem: Sed etiam ne accipiatur & exerceatur à tenente ministerium. Huc adiungatur dictum: Nemo militans implicat se negocijs secularibus: Ita nec Pastores vult Paulus occupatos esse negocijs impedientibus ministerium Euangelicum. Hæc breuiter commemoraui de Fabula donationis, vt moniti iuniores, & historias considerent: & rectè discernant ministerium Euangelicum, & politicam potestatem.

DE NICENA SYNODO.

FEcerat pacem in imperio Constantinus deletis Tyrannis: & tulerat honestas leges: & restituerat iudicia: prohibuerat sæuitiam exerceri in Christianos: Fouebat Ecclesias, & attribuebat reditus: ademerat templa hæreticis Marcionitis, Manichæis & Samosatenicis.

Hanc tranquillitatem & imperij & Ecclesiarum turbauit Diabolus, qui odio Dei ab initio post lapsum

contumelia affecit Deum, & primis parentibus exitium machinatus est. Idem semper agit. Ac tunc quoque horribile incendium in Ægypto excitauit, quod vagatum est per totum Orientem. Impulit Presbyterum Alexandrinum ARIVM, vt fereret impium dogma, astutè fucatum contra diuinitatem Christi. Scribunt autem dolore repulsæ motum esse Arium, cùm non esset factus Episcopus, vt aduersaretur Episcopo Alexandro.

Existimo autem Arium reipsa idem sensisse, quod senserunt Ebion, Samosatenus & similes, sicut & Alexander Episcopus Alexandrinus de eo scribit: Scitis recens motam doctrinam contra Ecclesiæ pietatem, esse EBIONIS, ARTEMÆ & SAMOSATENI contagium: qui in Synodis & iudicijs Episcoporum vbiq; ex Ecclesia eiecti sunt.

Sed cùm non auderet Arius expressè negare λόγον esse ὑφιστάμενον, astutè alia specie struit insidias: Dicit non esse coæternum Patri λόγον, sed summam creaturam ex nihilo conditam. Et vsus est his formulis loquendi: ἦν πότε, ὅτε οὐκ ἦν λόγος, hoc est, erat Pater, cùm nondum esset λόγος. Item dixit esse λόγον ἐξ οὐκ ὄντων, ex non existentibus, id est, ex nihilo. Hæc est summa sententiæ Arij, quam si quis propriè aspiciet, deprehendet eam vicinam esse Samosateni impietati. Negat autem reipsa Filium esse de essentia patris, & omnipotentem, quia dicit esse ἐξ οὐκ ὄντων

Pij opposuerunt Caput primum Iohannis, vbi dicitur: καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Item dicta de omnipotentia Filij, vt mox Iohannis primo dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Item: Ego vitam æternam do eis. Et: Sine me nihil potestis facere. Matth. 18. Vbicũque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Adesse vbiq;, exaudire & opitulari vbiq;, propria sunt diuinæ naturæ. Coloss. 1. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & omnia per eum consistunt. Ebræ. 1. Per quem & secula fecit, qui est fulgor gloriæ, & effigies substantiæ eius, sustentans omnia. Dicta etiam de inuocatione, testantur filium omnipotentem esse, sicut Ecclesia semper dixit: χριστὲ ἐλέησον.

Talia Testimonia sint in conspectu, & in quotidiana inuocatione cogitentur. Ac confirmati testimonijs veræ sententiæ, legamus & historiam & certamina.

Cùm autem Arius traxisset in suam sententiam aliquot Episcopos, & iam non obscura discordia esset, Constantinus edictum mittit in omnes regiones, quo conuocat omnes Episcopos ad vrbem Bithyniæ NICEAM, vt ibi in Synodo confessio singulorum, & confessionis testimonia audiantur: & quantum fieri posset, discordia tollatur. Curat & publicis vehiculis eos aduehi.

Conuenerunt igitur trecenti, decem & octo Episcopi. Inter hos Martyres multi fuerunt mutilati aliqua corporis parte, cùm adhuc sæuitiam exercerent Maximinus & Licinius. Aduenerunt Presbyteri, Legati Episcoporum, qui propter senectam & morbos accedere non potuerant. Adfuerunt & Laici multi, viri docti & pij. Hæc Synodus incoata est anno trecentesimo, vicesimo octauo Christi, Anno imperij Constantini decimo nono.

Est autem dignissimum opus sapientibus & magnis regibus, iusto modo & ordine tollere dissidia Ecclesiarum, indicere, & rectè regere Synodos, sicut fecerunt Constantinus, Theodosius primus & Theodosius secundus, & Martianus, vt infrà dicetur.

Nec rectè sentiunt, qui dicunt, hanc curam indicendi Synodos, ad solos Episcopos pertinere: Quia lex diuina, & politicæ potestati & Doctoribus præcipit tollere blasphemias & Idola. Cùm igitur dissidia oriuntur, etiam Politica potestas curet legitimam cognitionem institui, in qua Doctores & alia membra Ecclesiæ idonea, & ipsi Principes, re inquisita, dicant suas sententias. Quia iudicium illud non est vnius gradus, sed omnium membrorum Ecclesiæ, quæ sunt idonea ad iudicandum. Postea cùm veritas patefacta est, fiat exequutio. Doctores refutent & damnent blasphemias. Potestas politica prohibeat externam professionem impiam, remoueat blasphemos, ne virus suum affient alijs.

Hanc

Hanc sententiam verissimam esse non dubium est. Et singuli Principes in sua ditione piam concordiam hoc modo tueantur: sed non seruiant alienis odijs: Nec sine pia cognitione gladios stringant: sed audiant vtranq; partem, sicut Deus sæpe præcepit. Et iuramentum Atticum erat: ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι & sint normæ iudicij, Scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola.

Assedit igitur Constantinus inter Episcopos, sede non altiore: & initiò hortatus est eos, ad placidam collationem, & ad inquisitionem veritatis, omissa Sophistica, & depulsa animorum acerbitate.

Primam sententiam dixit Εὐσέβιος Antiochenus Episcopus. Post longa certamina scriptum est Symbolum Nicenum, quod adhuc in Ecclesijs retinetur, quod plurimi sua subscriptione comprobarunt, Et subscripsit ipse Constantinus, qui ait, se adfuisse ceu vnum ex ipsis: Ac valdè lætor, inquit, Me fuisse vestrum commilitum, donec omnium conueniens inquisitio facta est, & veritate in lucem prolata, concordia constituta est.

Tres autem fuerunt magnæ causæ, quæ ad doctrinam pertinuerunt, de quibus præcipuè Synodus testimonia ostendit. Rursus damnatum est impium dogma Samosateni. Deinde & Arianum. Postea & Nouati & Meletij error damnatus est, qui docuerunt, lapsos redeuntes ad pœnitentiam non recipiendos esse.

Qua

Qua de re Imperator falsè reprehendens arrogantiam Acesij Nouatianorum Episcopi, inquit: SCAIAS ACESI ADMOVE, ET SOLVS IN COELVM ASCENDE. Hac ironia significabat, illum falsò fingere, se & suos sine peccato esse.

Postea deliberationes aliæ acceſſerunt: vt eodem die omnes Ecclesiæ Paſcha celebrarent. Nec alij Iudaicum diem, alij alium obseruarent. Item vt Alexandrinus Episcopus inspector esset Ecclesiarum Orientis, Romanus Occidentis.

Quædam etiam de temporibus publicæ pœnitentiæ ordinauerunt, quod ritibus eius ætatis tribuitum est. Nec verò æstimandum est, voluisse eos hæc decreta paria esse Articulis fidei.

Propositum etiam fuit à quibusdam, vt Sacerdotibus maritis prohiberetur consuetudo coniugalis.

Sed senex PAPHNVTIVS, cui & in confessione oculus effossus erat, & qui Episcopus erat in Ægyptiaca Theba, dissuasit hanc legem, dicens coniugia non dissoluenda esse, & coniugalem consuetudinem castitatem esse. Synodus Paphnutij sententiam sequuta, censuit nequaquam recipiendam esse contrariam.

Decreta etiam hæc facta sunt: Ne quis se castraret. Item: Ne Clerici Vsuras acciperent. Et ne haberent secum Mulieres, quæ non essent coniuges. Inde apparet,

apparet in ea Synodo de multis negocijs deliberationes incidisse, quæ discernendæ sunt.

Accidit hoc quoq; : Cùm multi Episcopi priuatas inter se accusationes Imperatori exhibuissent, vt Imperator obsignatas omnes asseruari iuberet, dicens, Prius publicam causam agendam esse, deinde se de illis actuum esse. Hunc fasciculum in exitu Synodi proferri iussit, & adhuc obsignatum in ignem conijci, inspectantibus omnibus Episcopis, Et addidit hæc verba: Sacerdotum crimina non efferenda esse in publicum, quia talibus scandalis hominum animi à doctrina alienentur. Ac ἀμνηστίαν priuatarum offensionum sanxit, Et hortatus est, vt eandem vocem doctrinæ sonarent omnes, Et Ecclesiarum concordiam tuerentur.

Hic fuit exitus Synodi Nicenæ, quæ duravit triennium & aliquantò diutiùs.

Ipso Synodi tempore Imperator celebrauit vicesimum annum Imperij sui. Inde sciri potest tempus, quo hæc Synodus conuocata est.

Profuit pijs huius Synodi confessio & prodest nunc quoq;. Sed tunc neq; prorsus extinctum est Arianum incendium, & aliquantò pòst latiùs in Asia vagatum est, quàm antea. In ea distractione Ecclesiarum, quia dubitatio odium doctrinæ parit, deinde multitudo pertæsa obscurarum disputationum & rixarum inter Christianos, libentius recepit Mahometi dogma plausibile prophanis ingenijs, quia tantùm

tantùm est particula Legis proposita ad tuendam pacem inter ciues.

Seneca inquit: Nunquam vicia bona fide mansuescunt, ac repressa aliquantisper, tamen erumpunt. Ita cùm aliqui impij Episcopi clàm sentientes cum Ario, metu Imperatoris simularent, se Nicenum Symbolum amplecti, paulatim sese aperuerunt: Sicut in Euripidis versibus dicitur:

ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακὸς·
ὁ δ' ἐσθλὸς ἐσθλὸς οὐδὲ συμφορᾶς ὑπὸ
φύσιν μεθεῖτο. ἀλλὰ χρηστὸς ὢν ἀεί.

Cùmq; inflectere animum Imperatoris conarentur, nacti sunt ad eam rẽ artificem idoneum Sacerdotem, qui apud Constantiam sororem Imperatoris, quæ fuerat nupta Licinio, erat. Is afflauit Constantiæ Arij contagia, & perfecit, vt fratri hortatrix esset, vt Arium ab exilio reuocaret, & causam rursus cognosci iuberet: Accenditur & odium contra ATHANASIVM.

Procedunt in aula artificia Simonis & Aniculæ. Reuocat Arium Constantinus, & mandat causam rursus cognosci in Tyro, Ac verba sunt in Epistola Imperatoris: Si quis recusabit venire, mittam qui eum doceant non aduersari huic edicto: & mandat seuerissimè, Ecclesiam liberari à blasphemijs. Confluunt ergo Episcopi, sed præcipuè colludentes cum Ario. Et eò accessurus erat Imperator. Nam & in IORDANE decreuerat Baptismum accipere. Sed dum

dum hæc apparat, in morbum incidit in vrbe Nicomedia. Ibi cùm baptisatus esset, aliquantò pòst in suburbano mortuus est, anno ætatis suæ sexto & sexagesimo.

Anno Imperij tricesimo secundo, mimus duobus mensibus.

Verùm ante mortem vocauit Constantinopolim Imperator Episcopos, qui in vrbe Tyro conuenerant. Ac simul Arium ex Alexandria accersiuit. Voluit enim coram huius iudicij gubernator esse. Eò cùm venisset ARIVS, ortum est ingens certamen inter Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, rectè sentientem: & Eusebium Nicomediensem, qui astutissimè subleuabat Arium. Cùm autem instaret magnum certamen, post aliquot dierum congressus, Alexander Episcopus noctu manens in templo precatur Deum, vt ipse veritatem tueatur. Manè cum longa esset expectatio, tandem factio Ariana ad publicum consessum accedit. In eo itinere Arius deflectit de via publica consternatione oppressus, ac confidens in Latrinam ibi effudit inteſtina & extinctus est. Multitudo cognito eius interitu dilapsa est, & rursus cœpit autoritas maior esse rectè sentientium.

Id exemplum & pios commonefaciat, Veritatis defensionem petendam & expectandam esse à DEO: & puniri insignibus exemplis hostes veritatis, vt suprà de Montano & Priscilla dictum est, qui sibi ipsis fregerunt gulas laqueis. Ita & pœnas dedit

ARIVS insigni exemplo, quod penè simile est Iudæ exitio.

Aliquantò pòst mortuus est Constantinus Imperator, cuius virtutem & fortunam fuisse Heroicam, euentus ostendunt. Quia singulari felicitate, deletis Tyrannis, pacem orbi terrarum restituit: & fecit insignem mutationem in Imperio Romano, quæ tamen postea profuit generi humano, cùm illa pars Mundi versus Orientem defensa est per Constantinopolitanos Principes, Italia occupata à Gottis & alijs peregrinis gentibus.

Fuit iustus & seuerus, sed domesticas duas calamitates insignes habuit: Filium præstantem virum CRISPVM, natum exprima coniuge Mineruina, quem iam Cæsarem nominauerat, falsò accusatum à Nouerca, interfici iussit. Fuit autem Nouerca FAVSTA, filia Maximiani Herculei, quæ ad suos filios transferre imperium volebat. Postea Constantinus deprehensa calumnia, & coniugem Faustam iussit necari.

Nec tantùm his domesticis calamitatibus senectus Constantini afflicta est, sed accessit etiam consiliorum inconstantia, quæ auxit Ecclesiarum discordias. Arium exulantem reuocauit. Contra verò Athanasium in exilium misit in vrbem Treuirorum. Etsi igitur fundamenta concordiæ Ecclesiarum in Synodo Nicena iecerat, & maximè cupiebat Ecclesiam relinquere

quere tranquillam, tamen id non perfecit, sed creuerunt discordiæ Diabolorum fraudibus, qui organa habuerunt aliquot Episcopos & Sycophantas, qui Sinonijs artificijs senem Imperatorem deceperunt.

Nec imperij pax mortuo Constantino fuit diuturna: Nec posteritas eius fœlix fuit. Nam fratres ipsi inter sese dimicarunt. Adeò nulla est quantumuis magna felicitas in hac vita, cui non multæ calamitates misceantur. Suntq; digna consideratione verba Herodoti in Polymnia: Εἶναι δὲ δυνατὸν οὐδὲ ἕνα οὐδ' ἑπτὰ τῷ κακὸν ἐξ ἀρχῆς γινόμενον οὐ σωφρονίσθη: τοῖς δὲ μεγίστοις μέγιστα. Monent autem talia exempla, vt simus modesti, retineamus timorem Dei, & non moueamus non necessaria, & ardentius petamus nos à DEO regi & protegi.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo tertio.

Anno Romæ millesimo, nonagesimo primo.

Anno Christi trecentesimo, quadragesimo primo.

FIlij Constantini successerunt patri, diuisione Imperij in testamento hoc modo facta: CONSTANTINVS natu maximus tenuit Hispaniam, Galliam, Alpes & Britanniam: CONSTANS Italiam, Africam, Græciam, & Illyricum: CONSTANTIVS minimus natu Orientem tenuit. Hic cùm non esset par ingenio fratribus, tandem Monarchia

positus est: Cùm enim maximus natu Constantinus superbior, & inquietior esset cæteris, non contentus suis prouincijs, fratri Constanti bellum intulit, vt Italiam occuparet. Sed cùm ad Aquileiam peruenisset, prælio victus est à Constantis exercitu: & cùm equus vulneratus Constantinum exciußisset, multis ictibus confossus est, anno ætatis vicesimo quinto, Imperij nondum finito triennio.

CONSTANS IMPERATOR.

ACcesserunt igitur CONSTANTI ad suam partem omnes prouinciæ, quas frater Constantinus tenuerat. Regnauit annos tredecim, vixit annos triginta. Fratrem vicit anno ætatis suæ vicesimo. Fuit initiò iustus & strenuus, sed postea propter morbum articularem deditus voluptatibus neglexit gubernationem, & multa crudeliter fecit. Quare in vrbe AVGVSTA RHETICA contra eum factus est Imperator MAGNENTIVS, qui tunc præerat Rheticæ. Hic interfecit Constantem quiescentem in cubiculo. Estq; mors eius eò insignior, quòd Magnentium antea in Illyrico ipse seruauerat, tectum sua purpura, cùm milites eum interfecturi essent. Nunc talem gratiam seruatori reddidit, qualem Cassius & Brutus Iulio reddiderunt, Sed seipsum quoq; aliquantò pòst interfecit, vt mox dicam.

CON-

CONSTANTIVS IMPERATOR.

CONSTANTIVS enim tertius frater vt puniret Magnentium, septuaginta millia hominum aduersus eum duxit. His occurrit in Illyrico cum exercitu triginta millium Magnentius, confisus robore Gallico & Germanico. Etsi autem victor fuit Constantius, tamen cædes tanta facta est, vt in eo prælio vires Romani Imperij ita cecidisse dictum sit, vt peregrinæ gentes, quæ postea in Galliam & Italiam infusæ sunt, reprimi non potuerint. MAGNENTIVS victus Lugdunum fugit, vbi cum necasset amicos, quorum ei fides suspecta fuit, postea sibi ipse mortem consciuit.

Solus igitur Constantius Monarchia potitus, regnauit annos viginti quatuor. Mortuus anno ætatis suæ quadragesimo primo. Successit igitur patri adolescens, circiter annum decimum octauum ætatis suæ, qua in ætate facilè ab astutis Hypocritis deceptus est. Ac idem ille bresbyter, qui Constantiam sororem Constãtini Magni ad Arianos inflexerat, huius Principis animum ad eos inflexit, quia custos testamenti Patris fuerat. Idq; primum Constantio exhibuit.

Fuit autem felix in bellis ciuilibus. Postea duxit exercitum aduersus Alemanos, cum quibus cùm pacem peterent, fœdus fecit. Id actum esse in RAVRA

cis scribit Marcellinus. Nec verò dubium est, Rauracos fuisse, vbi nunc vrbs est BASILEA ad Rhenum. Postea nominantur Reges Alemanorum ad Argentoratum Festradus & Gnademarius. Vndecunq; igitur appellatio ALEMANORVM fuit, tunc eas gentes complexa est, quæ sedes tenuerunt ab Alpibus ad Moguntiam vsq;. A Moguntia, Rheni ripam & Belgicum, Franci tenuerunt. Hæ duæ appellationes illis temporibus præcipuæ fuerũt in hac regione, quæ ab Alpibus inter Rhenum & saltum Turingicum vsq; ad Mare porrigitur. Ac sæpe cum Romanis Alemani & Franci dimicarunt. Postea inter se magna bella gesserunt, donec Francorum fortuna fuit victrix.

Sed redeo ad Constantium. Is ex Oriente discedens aduersus Magnentium, præesse iussit Orienti filium Constantij, qui fuit frater Constantini Magni, nomine GALLVM, eumq; adoptatum Cæsarem dixit. Sed multa crudeliter & petulanter facientem iussit interfici, cùm annos quatuor Orienti præfuisset. Deinde IVLIANVM Galli fratrem, natum Patre Constantio, qui fuit Constantini Magni frater (vt iam dictum est) adoptatum Cæsarem dixit, eumq; aduersus Alemanos misit, quos Iulianus magno prælio ad Argentoratum vicit. Idem postea descendens ad Agrippinam Coloniam, recepit eam, occupatam à Francis, quos SALIOS nominant, à flumine SALA dictos, vt Marcellinus dicit. Hi Tungrorum sedes,

des, id est regionem Iuliacensem tunc tenebant. Postea & Francos Attuarios vicit, qui fuerunt vbi nunc Leodium est.

Interea Constantius Imperator bella cum Sarmatis & Persis gessit. Cùm autem audiuisset, Iulianum Imperatorem & Augustum dici, & cum exercitu ad Byzantium accedere, relicto Persico bello exercitum contra eum duxit. Sed in reditu in Cilicia febre extinctus est. Anno Imperij vicesimo quarto, ætatis quadragesimo primo.

Ipse narrauit se speciem, quam antea in secundis rebus sæpe lætam vidisset, tunc cùm ægrotaret, vidisse mœstam, & lugenti similem. Qua de re eruditi disputarunt fuisse Geniũ ipsius, qui solitus fuerit ipsum comitari: & citantur Græci versus: ἄπαυδ᾽ ἀνδρὶ τῷ γνωμοῦντι ἅπαντός ἐστι μυσαγωγὸς τὸ βίος.

ECCLESIÆ CERTAMINA POST MORTEM Constantini Magni.

ETiam sapientum & bonorum Principum animi sunt mutabiles. Ita Constantius Magnus biennio ante mortem à sorore Constantia persuasus, exulantem ARIVM reuocauit, & Athanasium relegauit. Ea mutatio voluntatis in Principe, rursus accẽdit Ariana certamina. Nã cùm pulso Athanasio

reuersus esset Alexandriam Arius, veluti triumphans, valdè confirmauit suam factionem: Et multi Episcopi, qui antea metu tacuerant, apertè eius sententiam propugnare cœperunt, præsertim post Constantini mortem.

Latuit autem exul Athanasius apud Maximinum Episcopum Treuirorum annos duos & menses quatuor. Nam filius Constantinus vir magnanimus, qui ex testamento Patris Gallias tenebat, perfecit, vt Athanasius in Alexandriam reduceretur. Iamq; Arius mortuus erat, vt antea dictum est: & adolescens Constantius nondum apertè tuebatur Arianos, etsi familiares ei erant Episcopi quidam Ariani.

Receptus Athanasius, triennio retinet gubernationem. Interea artificijs Eusebij Nicomedienſis & aliorum magis alienatus Constantius ab Orthodoxis, pellit ex Constantinopoli PAVLVM, & ex Alexandria ATHANASIVM rectè sentientes. Cum exercitu Georgius quidam præficitur Ecclesiæ Alexandrinæ. Abdidit igitur se in latebras Athanasius. Cumq; ab aduersarijs ad necem studiosè quæreretur, aliquantò post effugiens Romam profectus est. Rursus igitur exulat: Et Romæ aliquantisper manent apud Iulium Episcopum & ipse, & Paulus Constantinopolitanus. Deinde ad Constantem Imperatorem accedunt, qui victor Occidentem tenebat. Apud hunc tandem res eò deducitur, vt consensu fratrum

fratrum CONSTANTIS ET CONSTANTII Synodus indicta sit, quæ in Illyrico in vrbe SARDICA conuenit, Anno decimo post mortem Constantini Magni, Anno Christi trecentesimo quinquagesimo primo.

Conuenerunt in vrbe Sardica ducenti quinquaginta Episcopi. Inter hos fuerunt Athanasius & HOSIVS, Cordubensis Episcopus, quem Epistola Synodi dicit grandem natu fuisse εὐγηρότατον & maximè dignum honore, propter perpetuam constantiam in cõfessione veritatis inter multas afflictiones. Hæc Synodus testata est, se amplecti Nicenum Symbolũ, & damnat ab eo dissentientes. Extat Synodi decretũ apud Theodoretum, in quo hæc verba sunt μηδέποτε πατέρα χωρὶς υἱοῦ· μήτε υἱὸν χωρὶς πατρὸς μήτε γενέσθαι μήτε εἶναι δύνασθαι.

Tanta fuit autem eius ætatis calamitas, vt eodem tempore ἀντισύνοδος in Thracia in vrbe Philippoli conuenerit, quod accidit, quia non fuit vnicus gubernator, vt fuerat Nicenæ Synodi Constantinus: Et iam non erat Imperatorum consensus: Et adolescens Constantius à suis assentatoribus deprauabatur. Talia mala oriuntur ab ijs, qui Principum voluntates, distrahũt, Et quarto anno post hanc Synodum sequuta est Synodus Syrmiensis, cui interfuit Constantius contraria Sardicensi.

Cogitandum autem est, quanta calamitas fuerit, cùm subinde concurrerent Synodi, Antisynodi, & retractationes priorum Synodorum. Fuerunt enim impiæ Synodi frequentiores post Sardicensem sex, corrumpentes Nicenum Symbolum, videlicet: In Syrmio, Arimino, Mediolano, Seleucia Isauriæ, Constantinopoli, Antiochia, de quibus mox pauca dicam, vt considerentur Ecclesiæ calamitates. Prius enim Athanasij Historiam breuiter complectar.

Post Sardicensem Synodum Constans Imperator à fratre Constantio petijt, vt Athanasio gubernationem Alexandrinæ Ecclesiæ restitueret: & palàm minatus est, se eum reducturum esse, si frater non restituat. Ibi quanquam diu res arte differtur: tamen Constantij amici metuentes fratri suadent, vt potiùs reditum Athanasio concedat, quàm bellum ciuile attrahat. Tandem igitur concedit Athanasio reditum Constantius: Sed aliquantò pòst mortuo Constante rursus iubet eum eijci Constantius, quia fuerit fratri incitator ad bellum mouendum. Exulat igitur tertiò Athanasius, latitans in Lybia sex annos, vsq; ad mortem Constantij.

Interea magnam crudelitatem exercuit Alexandriæ Episcopus Georgius. Virgines duxit ad ignes, minitans eis necem, nisi iurarent se abiecturas esse doctrinam Athanasij.

Redijt autem Iulij tempore Athanasius, Et postea, quanquam Iulianus eum interfici iusserat, tamen manſit

manſit in gubernatione Ecclesiæ Alexandrinæ, vsq; ad annum septimum Valentiniani. Sunt q; anni sex & quadraginta ab initio gubernationis Athanasij vsq; ad eius mortem. Interea quantas viderit Ecclesiæ calamitates, & quas ærumnas ipse tulerit, in quibus tamen diuinitùs seruatus est, series historiæ ostendit.

Nicenæ Synodi finis incidit in annum vicesimum primum Constantini. In annum Christi trecentesimum, vicesimum nonum.

Anno triceſimo Conſtantini, Anno Chriſti trecenteſimo, triceſimo nono fuit Synodus Tyria, & receptus eſt Arius, qui tamen aliquantò poſt Conſtantinopoli mortuus eſt, cùm ex Tyro Synodus eò vocata eſſet.

Anno decimo poſt mortem Conſtantini.

Anno Chriſti trecenteſimo, quinquageſimo primo.

Anno poſt Nicenam Synodum triceſimo primo, fuit Synodus SARDICENSIS, pia, confirmans Nicenam.

Anno Conſtantij quinto decimo, videlicet quinto poſt Sardicenſem Synodum fuit Synodus STRMIENSIS, in qua & ipſe Conſtantius affuit, moto bello aduerſus Magnentium, contraria Nicenæ.

Sequuntur Syrmienſem exiguis interuallis Synodi impiæ: Arimenſis, Seleucienſis & Antiochena.

Occaſio

Occasio autem conuocandæ Synodi Syrmiensis hæc fuit: Vt semel motis rebus multi exemplo fiunt audaciores, & nouos tumultus mouent & ἀναρχίαν concedit licentiam, Photinus Syrmiensis Ecclesiæ Presbyter & Arianos & Orthodoxos vituperare cœpit, & abiecta vtraq; sententia renouauit blasphemiam Samosateni. Negauit esse duas naturas in Christo nato ex virgine. Ac λόγον in Iohanne interpretatus est, decretum de redemtione hominis, & restitutione vitæ æternæ, per hunc hominem, quem ad id missurus esset. Et contendit, nequaquam esse λόγον ὑφισάμενον, qui fuisset, antequam hic homo Christus ex virgine natus est.

Fuit autem tanta Photini confidentia, vt se audiri coram ipso Imperatore Constantio postularit. Aderant ex Asia præcipui Episcopi, inter quos cum excelleret BASILIVS *Ancyræ in Galatis Episcopus Arianus, hic acerrimè refutauit Phontium. In ea causa decreta facta sunt laude digna. Quòd λόγον sit ὑφισάμενον. Extant decreta in Socrate Scholastico, quæ digna sunt consideratione.*

I. DECRETVM.

Εἴ τις, τὸ, ΠΟΙΗΣΩΜΕΝ ΑΝΘΡΩΠΟΝ, μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγοι, ἀλλα αὐτὸν πρὸς αὐτὸν τὸν θεὸν ἐσκηνέναι ἀνάθεμα ἔσω. *Hoc est, si quis hoc,* FACIAMVS HOMINEM,

non Patrem ad filium dixisse, dixerit, sed ipsum ad sese Deum dixisse, Anathema sit.

II. DECRETVM.

Εἴ τις τῷ Ἰακὼβ μὴ τὸν υἱὸν ὡς ἄνθρωπον καταπεπαλαικέναι: ἀλλὰ τὸν ἀγένητον θεὸν, ἢ μέρος αὐτοῦ, λέγοι, Ἀνάθεμα ἔσω. *Hoc est: Si quis cum Iacob non Filium tanquam hominem colluctatum esse dixerit: sed non genitum Deum, aut partem Dei, Anathema sit.*

III. DECRETVM.

Εἴ τις τὸ ἔβρεξε κύριος παρὰ κυρίου, μὴ ἐπὶ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκλαμβάνοι, ἀλλ αὐτὸν παρὰ ἑαυτοῦ λέγοι ἐβρεχέναι, ἀνάθεμα ἔσω. Ἔβρεξε γὰρ κύριος ὁ υἱὸς παρὰ κυρίου τοῦ πατρός. *Hoc est, Si quis hoc:* PLVIT DOMINVS *à* DOMINO, *non de Patre & Filio accipit, sed ipsum à se ipso pluisse dixerit, Anathema sit. Pluit enim Filius Dominus à patre Domino.*

Hæc recito, quia ostendunt, & vetustatem hæc dicta in Moise de FILIO *intellexisse.*

Agitata est etiam tunc quæstio de his modis loquendi: Pater natura genuit Filium, non genuit voluntate, id est, contingenter, sicut contingenter creaturas condidit.

De his

Cætera acta Synodi Syrmiensis, impia & perniciosa fuerunt. Processit enim Synodus ad controuersiam ARII, cui vt humano consilio mederetur, conata est silentio obruere mentionem vocabuli ὁμούσιος, & voluit in Symbolo poni ὅμοιος pro ὁμοούσιος. Hunc cothurnum si vtrâq; pars acciperet, existimabant discordiæ finem fore, quia vtraq; pars Filium esse fateretur, & quidem similem Patri, omissa quæstione, An sit ὁμοούσιος. Subscripsit huic Decreto, & pius senex HOSIVS Cordubensis Episcopus, coactus vt narrant, cùm tamen antea veritatem constanter defendisset. Ita discessum est ex Syrmio. Sed mox ambiguitas ab Orthodoxis repudiata est, quòd insidiosa esset: Et semper in docendo ambiguitas dissensiones parit.

Post biennium Constantius Mediolanum venit, cùm iam victus esset Magnentius. Vt igitur Syrmiensia decreta confirmarentur, incitant eum Ariani, vt in Italia Synodos conuocet. Et scribit Theodoretus de leuitate Constantij hæc verba: τὸν πάντα ῥᾳδίως πειθόμενον, quòd facilè ad mala consilia impelleretur. Vocat igitur Episcopos Mediolanum, vbi Ariani ausi sunt primùm postulare, vt Synodi Tyriæ acta confirmarentur, & rursus ex Alexandria pelleretur Athanasius. Huic postulationi constantissimè aduersati sunt PAVLINVS Episcopus Treuirensis, & DIONYSIVS, Episcopus Albæ in Latio, intelligentes moliri ipsos oppressionem Symboli Nicæni.

Cùm

Cùm igitur Imperatori coràm dicerent, iniusta peti, discesserunt. Ita subitò hæc Synodus dissoluta est. Sed sequenti anno plures ARIMINVM conuocat. Ibi maiora & longiora certamina fuerunt. Palam petita est Syrmiensis decreti confirmatio. Et nominatim postulatum est, vt deleretur in Symbolo ὁμοούσιον. Sed occidentales circiter ducenti contradixerunt, qui ad Constantium Legatos & scriptum de sua confessione miserunt. Sed Constantius, vt eluderet acta contando, rescripsit, ne ex Synodo discederent, donec Legatos auditos remitteret. Cùm autem mora longior esset, pij ad suas Ecclesias redierunt. Hic fuit exitus Synodi Ariminensis.

Interea verò dat mandata Constantius in Oriente & Occidente, vt Syrmiensi decreto subscribatur, & pellantur ex Ecclesijs, qui nolint subscribere.

Eodem tempore Synodus fuit Orientalium in vrbe Isauriæ SELEVCIA, vbi maior fuit numerus Arianorum, ac plurimi receperunt vocabulum ὁμοιου. Sed cùm magnæ altercationes ortæ essent de hoc cothurno: An ὅμοιον intelligendum esset de Essentiæ similitudine, An verò voluntatis, & apertè affirmarent plurimi, se tantùm voluntatis similitudinem intelligere, surrexit Legatus Cæsaris, & dixit, se non adfuturum fine fine rixantibus. Cùm igitur hic nollet in consessum redire, discesserunt & multi Episcopi. Hic fuit exitus Synodi Seleucienſis.

Con-

Concurrerunt passim alibi alij. Sed breuiter recito frequentiores Synodos, quarum tristia exempla intuentes cogitemus, quanta fuerit Ecclesiæ calamitas, cùm subinde maiores distractiones ex Synodis orirentur.

Post bienmium cùm iam Constantius Antiochiam venisset propter bellum Persicum, Synodus eò conuocata est, quæ magis turbulenta fuit prioribus, et cumulauit blasphemias. Quia ibi ne hoc quidem recipere Impij voluerunt: FILIVM similem esse Patri, Et contenderunt esse dissimilem patri filium.

Exemplum verò extat Sophistices in hac narratione insigne. Vsus est enim ACACIVS hoc argumento:

Pater nemimem colit.
Filius colit patrem.
Ergo sunt dissimiles.

Cùmq; vsus esset hic præstigiator verbo, ἀσεβὴς, pro non colente alium, quod alioqui significat Impium, totius populi clamore reprehensa est prophanitas vocabuli. Postea etsi vocabulum aliter interpretabatur, tamen iusto odio Sophistices explosus est. Et addit Historicus. περὶ τοιαυτὰς ἀχολοῦ μενοι λέξεσι τὴν ἐκκλησίαν διέφθασαν: Circa tales occupati dictiones Ecclesiam distraxerunt. Vt omnibus ætatibus in defensione falsorum dogmatum singulares argutiæ excogitantur, quæ ipsa nouitate capiunt rudes.

Synodi

Synodi autem Antiochenæ finis fuit Constantij discessus, qui rediturus erat Byzantium, vt Iulianum reprimeret, Sed in reditu in Cilicia morbo extinctus est.

Breuiter autem de his impijs Synodis dixi, vt videant iuniores, sæpe etiam Synodis frequentibus magnos errores confirmatos esse: Nec anteferendas esse Synodos perspicuis testimonijs, quæ tradita sunt in scriptis Prepheticis & Apostolicis.

Ac iustè reprehenditur πολυπραγμοσύνη Constantij, qui toties conuocauit dissimili, mos homine fuit infelix, quia malorum consilijs regebatur, qui aut stabilire impia dogmata, aut arte maiores distractiones facere conabantur, ne ipsorum autoritas labefactaretur. Sicut & nostro tempore arte factas esse distractiones vidimus.

Duæ autem fuerunt piæ & vtiles Synodi tempore Constantij: Altera Sardicensis, de qua suprà dictum est, viuente adhuc Constante: Altera circa id tempus fuit GANGRENSIS, in oppido Galatarum Gangrâ, quod nomen scribunt significare Capream, lingua Heneta. Et hodie Boëmis id vocabulum Capream significat.

Narratur occasio, quod Eustathius quidam, secessus quæsiuerit, tanquam Monachus, Hunc imitati multi, ritus nouos instituerunt: Prohibuerũt coniugium, & multas nuptas ad se attraxerunt, quarum aliquæ etiã virili vestitu tectæ latere voluerũt. Fuitq;

cum multis stupri consuetudo. Damnauerunt habentes proprium. Noluerunt accedere ad communis Ecclesiæ Sacramenta, quia administraretur per Sacerdotes maritos. Instituerunt & delectum ciborum, &c.

Anno Mundi quatermillesimo.
Anno Romæ millesimo, centesimo, decimo quinto.
Anno Christi trecentesimo, sexagesimo quinto.

IVLIANVS APOSTATA.

IVLIANVS Apostata, regnauit solus annum & menses septem, cùm antea à Constantio Cæsar dictus, collega eius fuisset sexennio. Natus est, patre Constantio, fratre Constantini Magni, & matre Basilina nobilissima fœmina. Adolescens ab Episcopo Nicomediæ doctrinam Ecclesiæ didicit, & professione Christianus fuit, ac institutus in Collegio Nicomedensi, cùm valeret ingenio & eloquentia, citò factus est Lector in Ecclesia. Interea clam auditor fuit Libanij, qui tunc Nicomediæ Rhetor fuit, studiosus Atticæ elegantiæ, vt ostendunt eius scripta, quæ adhuc extant. Ille inflexit eum ad Ethnicos. Paulatim & alijs Ethnicis disertis & Philosophis familiaris factus, Iamblico, Maximo, Byzantio & alijs, cœpit superbè fastidire Ecclesiæ doctrinam, & anteferre opiniones Ethnicas natas in humana ratione, & palàm hostis factus est Christi.

Postea

Postea ingenij vanitate dedidit se & magicis artibus, & ex Magorum Præceptis mactauit HVMANAS HOSTIAS diuinationum causa. Ac solus imperio potitus edidit edicta contra Christianos. & rursus iussit aperiri templa Idolorum, & eis sacrificari, & in numismate symbolum fecit: IOVEM diadema ipsi imponentem, Palladem circumdantem ipsi chlamydem, Mercurium tribuentem ipsi sceptrum. Reditus Ecclesijs eripuit, ne possent ali docentes & discentes, & virulentos iocos addidit: Se facere expediliores ad regnum cœleste spoliatos facultatibus, quia in ipsorum libris scriptum sit: Beati pauperes, quia eorum est regnum cœlorum. Vetuit Christianis tribui honores militiæ. Prohibuit Christianorum filios admitti in Scholas Rhetoricas, dicens: οἰκείοις πλήξεσι βαλλόμεθα proprijs pennis ferimur: Scripsit & ipse libros contra Ecclesiæ doctrinam, in quibus præcipuè exagitat prohibitiones vindictæ. Ait tolli Magistratus, iudicia, pœnas, legitima bella, confirmari latrocinia in infinitum. Deniq; pugnare eam doctrinam cum sensu communi, & tollere nerues humanæ societatis.

Refutarunt has calumnias Nazianzenus & Cyrillus, qui tamen & ipsi frigidè respondent. Distinguunt consilia & præcepta, cùm responsio vera, firma & luculenta hæc sit: Euangelio maximè confirmari & muniri politicum ordinem. Nec prohi-

berè vindictam ordinatam, quæ ad officium Magistratus pertinet, sed inordinatam, quam priuati exercent, sicut hæc distinctio Dei beneficio in nostris Ecclesijs perspicuè illustrata est.

Iudæos etiam hortatus est odio Christianorum, vt suam politiam instaurarent, & eis defensionem & immunitates promisit. Conuenit igitur ingens multitudo Iudæorum, & magna spe collatis sumtibus & opibus Templum ædificare cœpit, Sed cùm fundamenta iacerent, magno terræ motu de hiscente terra inter fulmina totum opus disiectum est, & multa millia Iudæorum ruinis oppressa sunt. Ita didicerunt Iudæi se frustrà niti contra Dei decretũ. Inter ædificandum signa crucis inuestitu & in panibus passim Iudæis facta sunt, ac similia exercitui Iuliani facta sunt, ante annum accedenti ad Byzantium initio imperij.

Cæterùm & priuatim propter Christianam professionem aliquot interfecit, multis honores ademit, vt Iouiniano, Valentiniano & Valenti, cùm scripta legisset, in quibus doctrina Christiana defenderetur, reddidit ea cum hac breui inscriptione: ἀνέγνων, ἔγνων, κατέγνων.

Vicissim autem nostri scripta contra eum ediderunt. Et extant Nazianzeni duæ orationes, in quarum altera & gestuum ipsius descriptio est, memoria digna, quæ significat ex gestibus coniecturam de ingenijs & voluptatibus fieri. Verba hæc sunt: Fecit me vatem

me vatem gestuum ipsius deformitas & ingens admiratio, siquidem optimus vates est, qui ex coniecturis optimè ratiocinatur. Nequaquam verò mihi hæc boni hominis signa esse videbantur: Colli crebræ conuersiones, humeri alterni subsultantes, oculi torui, vagabundi, & furibundum quiddam contuentes, pedes instabiles, crebræ geniculationes, Nasus contumeliam & contemtum spirans, figura vultus derisionem significans, quoquo modo variabatur. Risus crebri altum crepantes, Nutus, renutus sine sermone, sermo interruptus, non complens sententiam, Interrogationes crebræ, confusaneæ & stultæ. Responsiones inconcinnæ, coaceruatæ, inter se dissidentes & sine ordine. Quis singula describat? Talem vidi ante facta, qualem esse postea facta ipsa ostenderunt. Et si adessent, qui nunc mecum fuerunt, & eadem viderunt, testes essent huius meæ narrationis, qui meminerunt etiam me edidisse hanc vocem: Quantam pestem Romana Monarchia nunc alit?

Fuit autem Athanasij vaticinium verum, qui cum Ecclesiæ passim in magno dolore & metu essent, dixit hunc Tyrannum NVBECVLAM esse citò transituram. Congruit enim exitus eius cum Psalmo. 55. Viri sanguinum & dolosi non attingent dimidium dierum suorum. Cumulauerat scelera, cultum idolorum, blasphemias, magiam, sæuitiam erga Christianos, seditionem contra Imperatorem.

Quanquam igitur antea, cum Cæsar esset, feliciter represserit Alemanos & Francos: tamen solus Imperio potitus citò perijt. Nam bellum gerens cum Persis, in prælio vulnus in cpate accepit à milite, qui quis fuerit, nescitur. Relatus in castra sanguinem cana manu excipiens sursum sparsit, clamans: Vicisti tandem Galilæe. Hac voce emissa, qua fatetur Impiam suam voluntatem, & ostendit ingentem fremitum, & sensum pœnarum, extinctus est, Anno ætatis suæ secundo & tricesimo.

Narrant Didymum Alexandrinum in somnio vidisse candidos equos, & in his equites dicere: Narrate Didymo, hac hora Iulianum interfectum esse.

Iam Lector integram Iuliani historiam intueatur, quæ exiguo tempore insignes mut ationes habuit. Decennio, cùm Collega esset Constantij, in bellis legitimis aduersus Alemanos & Francos, fuit felix. Postea mouit seditionem, & occupauit Constantij Prouinciam. Ostendit se hostem esse Christi sæuiciam exercuit in Christianos gladio stylo & varijs technis, bonorum & facultatum ereptione, & incitatis Iudæis. Palàm etiam exercuit magicas artes. Hæc scelera tristis exitus citò secutus est.

DE TEMPLO DELPHICO.

VTI-

VTilissimum est autem in historia Iuliani hoc cõsiderare, quod Deus duobus illustribus miraculis ostendit eodem tempore suam iram aduersus Iudæos & Ethnicos. Dixi antea quid acciderit Iudæis, cùm Ierosolymæ concedente Iuliano rursus condere templum cœpissent. Terræmotu disiectæ sunt moles, & absorpti multi homines, & pars operum & machinarum, & multi homines fulminibus accensi perierunt.

Eodem tempore in alia orbis terrarum parte Delphicum Templum, quod Ethnicis præcipuum fuit, diuinitùs, non hominum manibus, deletum est terræmotu & fulminibus, cùm Iulianus Legatos eò misisset, interrogaturus de euentu belli Persici. Sæpe antea direptum, & aliquoties deletum est Delphicum Templum, sed rursus extructum & ornatum. At post hanc euersionem diuinitùs factam, Iuliani tempore, nunquam deinde instauratum est.

Primi narrantur Phlegyæ, qui fuerunt in Thessalia Iapithæ, combussisse Delphicum Templum. Deinde partes aliquas, Xerxis milites. Post hunc Phocenses ipsi, Deinde Brenni exercitus accendit. Toties & instaurationes factæ sunt. At post Iulianum nulla facta est instauratio.

Horum duorum Templorum, Iudæi & Delphici euersio diuinitùs facta eodem tempore, insolentiam Iudæorum & Ethnicorum valdè repressit,

& pios confirmauit. Hæc miracula in Iuliani historia considerare valdè prodest.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo vicesimo nono.

Anno Romæ millesimo, centesimo, decimo septimo.

Anno Christi trecentesimo, sexagesimo septimo.

IOVINIANVS.

IOVINIANVS militum suffragijs factus est Imperator. Vixit in Imperio septem menses. Notus enim fuit militibus, & quia doctor fuerat ordinis Domesticorum, & quia Pater Varronianus clarus fuit, qui fuit Pannonicus. Comes ordinum agri Singidunensis, qui non procul abest ab Vlpia Traiana, quæ nunc Corona nominatur. Initiò professus est se Christianum esse, & amplecti Nicenam Synodum. Pacem fecit cum Persis, reddita ipsis Mesopotamia. Quia cùm sciret Imperium à Iuliano turbatum esse, redire in Asiam cogitabat, vt tranquillitatem Ecclesijs & multis gentibus restitueret. Iussit reuocari exules, qui pulsi erant propter veram professionem. Mandauit Ecclesijs restitui patrem redituum, quos eis Iulianus ademerat, ac testatus est propter famem nunc veteres reditus integros non posse restitui. Iussit rursus claudi Idolorum templa.

Cùm autem Antiochiæ aliquandiu moraretur, multis

multis prodigijs sequentia mala significata sunt. Cometa interdiu conspectus est. Conflagrauit locupletissima Bibliotheca Antiochena. Breui pòst Iouinianus, cùm ad Bythiniam accessisset, mortuus est morbo, qui ex intemperantia ortus esse existimabatur.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo, tricesimo.

Anno Romæ millesimo, centesimo, decimo octauo.

Anno Christi trecentesimo, sexagesimo octauo.

VALENTINIANVS PRIMVS.

VALENTINIANVS Imperator militum consensu factus est, cùm iterum Tribunus militum à Iouiniano factus esset. Nam sub Iuliano dimissus erat, eò quod sacrificulum pugno percussérat, aspersus lustrali aqua, in ianua Templi, vbi Idolo Iulianus sacrificabat. Tenuit Imperium annos vndecim. Natus fuit in Pannonia in oppido Bibalis, in ripa Saui, quod non procul fuit à Tauruno, quod nunc est Belgradum.

Pòst triginta dies accersiuit inde Valentem fratrem, eumq; consortem Imperij fecit, & Augustum nuncupauit. Aliquanto pòst & Gratianum filium Valentinianus Imperij consortem fecit, & Augustum nominauit. Fuit autem infelix fratrum dissimilitudo. Suntq; initio Imperij ingenti terræ motu significata

eata mala, quæ ex impietate & sæuicia Valentis orta sunt: Magnis spacijs & horrendis hiatibus mare terras reliquit. Commendauit autem Valenti Orientem frater. Ipse audita fama nouorum bellorum, quæ ALEMANNI & SAXONES mouerant, properauit in Galliam. Dux enim Alemanorum BRANDO Moguntiam ceperat, & inde magnam Christianorum multitudinem, viros & mulieres, abduxerat. Aliquot magnis prælijs Valentinianus Alemanos repressit. Ad Nicrum etiam condidit arces. Deinde infra Coloniam Agrippinam in Tungris repressit Saxones.

In vrbe Constantinopoli Valentinianus æneum modium collocauit, ne mensuræ diminui possent, & quibusdam, qui diminuerant, præcidit manus, quas ibi suspendit. Hæc Suidas.

SAXONES.

PRIMVM autem hic in bellis Imperatorum fit mentio SAXONVM, cum quibus & postea tanto cum periculo dimicatum est, vt Sidonius Apollinaris Episcopus Arelatensis scribat: Nullus hostis hoste SAXONE truculentior est, nec robore tantùm & audacia, sed etiam consilio & arte vincit. Ac limites veteris Saxoniæ fuerunt ad Occasum AMASIS, ad Ortum ALBIS, ad Meridiem Boiemi & Franci, ad Septentrionem Cimbrica Chersonesus, & in vicino littore Heneti.

Vt

Vt autem ex Oriente cæteras vicinas gentes progressas esse verisimile est, Getas, Daos, Cimmerios, Germanios, Syenos: Ita & horum vicinos Sacas ex Asia progressos esse existimo, & inde originem, & nomen esse Saxonum. Alij nomen Saxones faciunt ab Ascanes, sed sonus propior est vocabulo SACÆ & fuisse Sacas inter præcipuas gentes Persici regni ex Ctesia, Herodoto & Xenophonte apparet.

Nomen Ascanes significat custodem ignis, nomen Sacæ æquale est, quasi dicas, iusti & liberi, vel vates. Dum autem Valentinianus reprimit Alemanos & Saxones, interea Theodosius Magister equitum, qui postea factus est Imperator, bellum gerit in Rhetia, inde mittitur ad pacandam Africam contra Firmum. Redit deinde Valentinianus in Pannoniam commendata Gallia & vicinis Prouincijs filio Gratiano. Intulerant enim Quadi bellum vicinis Pannonijs. Sed territi aduentu Valentiniani pacem petũt. Ibi cùm in excusatione quædam falsò dixissent, iratus Valentinianus magna vocis contentione eos obiurgauit. Eam commotionem subita febris secuta est, qua intra paucos dies extinctus est, Anno ætatis quinquagesimo quinto, cùm tenuisset Imperium annos quindecim, menses octo, & dies viginti. Defendit Ecclesiæ pacem, amplexus Symbolum Nicenum. Fratri Valentini sepæ hortator fuit, vt & veritatem amplecteretur, & ne sæuiciam in recte sentientes exerceret.

Valen-

Valentinianus duas vxores habuit, Seueram & Iustinam. Ex Seuera natus est GRATIANVS, *qui Imperator factus, postea Theodosium & Valentinianum secundum sibi collegas adiunxit. Interfectus est autem* GRATIANVS *à Præside Galliæ* MAXIMO, *qui deinde apud Aquileiam à militibus suis vinctus,* THEODOSIO *traditus est, qui eum occidit.*

Ex IVSTINA *nati sunt Valentinus, secundus, Iusta, Grata & Galla, quam postea duxit Theodosius. Postquam autem Valentinianus secundus à Gratiano fratre consors Imperij factus est, cùm in vrbe Galliæ Vienna non cauet insidias, ab Arbogasto interficitur. Hi tristes exitus fuerunt filiorum Imperatoris, qui iusticiæ cultor fuit.*

Redeo autem ad Valentem, qui superstes fuit fratri circiter triennium, cùm antea simul cum fratre tenuisset Imperium annos ferè vndecim, indoctus & crudelis, amplexus Arianam impietatem, fratre eum dehortante. Orthodoxos Episcopos in exilia misit. Initiò bellum gessit cum Procopio Iuliani cognato, qui rapere Imperium conatus est. Hunc acie victum milites tradiderunt Valenti, qui eum occidi iussit. Deinde repressurus Persas, duxit exercitus ad Antiochiam. Eo tempore multa fecit crudeliter contra Orthodoxos. Reuocatus autem in Thraciam, quia Gotti vrbem Constantinopolin oppugnabant, in quorum exercitu nominatur Dux Fridigernus, nominantur & Turingi: reprimere Gottos cœpit, Sed cùm ad Adrianopolim præliaretur cum eis, vulnere accepto decidit ex equo, & in proximum tugurium ductus est, quod cùm sequentes hostes incendissent, ipse quoq; flamma consumptus est. Ita pœnas dedit iniustæ sæuitiæ, quam aduersus Orthodoxos exercuerat, & quidem proficiscenti ad prælium prædixit vir sanctus, igni perituru esse.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo quadragesimo quarto.

Anno Romæ millesimo, centesimo, tricesimo secundo.

Anno Christi trecentesimo, octuagesimo secundo.

GRATIANVS.

MORTVO *Valente* GRATIANVS *Valentiniani primi filius, natus ex Seuera in vrbe Syrmio: Et Valentinianus secundus, Gratiani frater natus ex Iustina, successerunt. Fecit autem Gratianus consortem Imperij Theodosium, cum quo annos quatuor regnauit, cùm antea cum patre annos octo, cum patruo tres regnasset. Fuit eruditus. Scripsit Carmen eleganter, & Oratoribus ætatis suæ præcipuis annumeratus est. Extat eius Epistola ad Ambrosium Mediolanensem Episcopum scripta, in qua profitetur se amplecti Symbolum Nicenum, & in fine addit Epiphonema, agnoscere se hanc suam confessionem non ita splendi-*

splendidè scriptam esse, vt magnitudo rei poscit, sed dicere se de Deo, quantum in hac infirmitate humana iuxta scripta Prophetica & Apostolica possit, non tantum, quantum de magnitudine rerum diuinarum se dicere posse optet.

Mortuo Valente reuocauit exulantes Episcopos Orthodoxos, & eiecit ex Ecclesijs hæreticos, & Symboli Niceni professionem omnes Ecclesias communi consensu amplecti iussit.

Viuo Valente post mortem patris ad Argentoratum Alemanorum triginta millia trucidauit, In eo prælio socios habuit Francos, vt scribit Marcellinus, & addit post eam victoriam vicinas prouincias aliquandiu tranquillas fuisse. Quare Gratianus Pannoniam adit, vt Valenti contra Gottos opitularetur. Sed Valens non expectato eo dimicans perijt.

Cùm igitur Gratianus fortem, fidelem & peritum Collegam quæreret, adiunxit sibi Theodosium. Hic Gottos in Thracia repressit. Ipse Gratianus in Galliam rediit, vbi omissa cura gubernationis deditus venationi & ludis, & Alanos milites domesticis anteferens, in odium venit, & Lugduni à Maximo Galliæ Præside interfectus est, anno ætatis vicesimo nono.

Interea Valentinianus Mediolani fuit adolescens, vbi Iustina eius mater fauens Arianis, Ambrosium Episcopum pellere conata est, & missis Gotticis satellitibus, vt iussit eum ex Templo eijci. Hi cùm irrupissent ad

sent ad eum armati, affirmat se Ambrosius non discessurum esse à suo grege, sed si velint eum interficere, in templo se expectare omnes casus. Ipse scribit de Gottis hæc verba: Olim plaustra eis domus erant, nunc templa pro plaustris habent. Vociferantur omnia Imperatoris esse, Sed Deus affirmat suas domos esse Templa, in quibus sonat vera Doctrina: Domus mea domus orationis vocabitur. Citat & hoc: Date Deo quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Cùm autem Valentinianus Maximum fugiens, auxilium à Theodosio peteret: rescripsit ei Theodosius, puniri eius impunitatem, se ipsi non defuturũ esse, si veram doctrinam amplecteretur. Occurrit igitur Maximo venienti Aquileiam Theodosius, vbi cùm prælio superatum Maximum sui Milites Theodosio tradidissent, iussit eum Theodosius interfici, quia & Gratianum occiderat, & postea misso ad eum Ambrosio Moguntiam, cedere de Imperio noluerat. Scribunt & Episcopum Martinum, cùm ei familiaris esset, dehortatorem fuisse belli aduersus Theodosium mouendi.

Ambragatius dux Maximi sese in mare præcipitauit. Pacata Italia & vicinis Prouincijs Theodosius Romã accessit, vbi & tẽpla Idolorum claudi curauit, & multa turpia exempla sustulit. Valentinianus verò in Galliam discessit, quam post Maximi interitum rexit annos circiter quinq. Erant autem

apud

apud eum Eugenius Scriba, & dux exercitum Arbogastus vir Gotticus, qui Francos repressérat. Per hos duos, Eugenium & Arbogastum corrupti cubicularij, Valentinianum in vrbe Galliæ Vienna laqueo strangulant. Eugenius, qui se Imperatorem nominauerat, postea captus non procul à Mediolano prostratus ad pedes Theodosij, à militibus trucidatus est. Arbogastus sibi manu sua mortem conscíuit. Ita seditiosi & parricidæ pœnas dederunt.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo, quadragesimo quinto.

Anno Romæ millesimo, centesimo, tricesimo tertio.

Anno Christi trecentesimo, octuagesimo tertio.

THEODOSIVS.

THEODOSIVS patre Honorio, matre Termantia, Hispanus genere, natus in familia nobili, cuius origo ad Traianum refertur, haud dubiè literarum & veræ pietatis cultor, iustitia & formidine excellens, postremus Romanum Imperium in Occidente & Oriente tenuit integrum. Nam sub filio Honorio FRANCI in Galliam progressi sunt, & mox VVarmundus regio nomine in Gallia regnare cœpit, & Roma capta est ab Alarico rege Gottorum.

Tenuit

Tenuit autem Imperium Theodosius annos decem et septem, quibus comprehenduntur anni duodecim, quibus Gratiani et Valentiniani secundi collega fuit. Cùm Magister equitum esset sub Valentiniano primo, pacauit Rhetiam & Africam. Deinde post mortem Valentis, factus Gratiani Collega, multis prælijs vicit Gottos, donec Athalaricus Rex Gottorum, qui Fridigerno successerat, pacem petiuit, inuitatus Constantinopolim, vbi cùm ordinem gubernationis senatorum & ducum, & Principis pietatem, iusticiam & modestiam considerasset, dixit se agnoscere à Deo hoc imperium ordinatum esse, nec fore felices eos, qui euertere conentur.

Postquàm verò Maximus Galliæ præses Gratiano interfecto & Gallia occupata in Italiam transijt, & multos crudeliter interfecit, necesse fuit eum parricidæ occurrere. Hunc cum vicisset, & interfici iussisset, Romam profectus, multa ibi emendauit, ac Valentinianum secundum in Galliam misit, ipse Constantinopolin redijt, vt discordias in Ecclesia tolleret, & eò conuocauit Episcopos ex multis prouincijs, ac monitus à Nectario Episcopo iussit scripta veterum Patrum proferri, qui ante dissidia vetustæ & purioris antiquitatis testimonia ediderant. Quia verba Prophetica & Apostolica prauis interpretationibus Hæretici eludebant. Hæc Synodus sua decreta Romã ad Damasum Romanum Episcopũ misit, cuius nomine extãt asseuerationes de multis quæstionibas, quas

postea recitabo. Interea Theodosius non solùm claudi Idolorum templa in multis locis iubet, sed etiam prorsus destrui. Et sacrificia Ethnica & ORGIA Bacchi, quæ tempore Valentis adhuc duraverant, prorsus aboleuit. Ita pacis tempore Ecclesias, honestas leges & iudicia restituit. Hoc exemplo commonefacti pij Principes sciant se debere Idola, blasphemias & impios cultus abolere.

Hæc dum in pace vtiliter agit in Oriente, nouum & terribile bellum in altera Orbis parte mouetur. Interfecto Valentiniano Eugenius & Arbogastius adducunt ingentem exercitum ad Alpes, vt Italiam occupent, & ostendit Eugenius se Iuliani exemplo instauraturum esse Ethnica sacra. In vexillis Herculem pingit. Iam Theodosio non solùm de Imperio aduersus seditiosos & parricidas dimicandum erat, sed etiam Christiani defendendi erant. Redit igitur ex Thracia in Italiam, & exercitum adducit, cui decem millia Gottorum adiunxerat. In vexillis pingi literas curat XPΣ, significantes nomen Christi. Sic & aureos cudi iussit, in quibus tenet vexillum, in quo erant hæ litteræ XPΣ. Videbat autẽ Theodosius difficilem & periculosam pugnam fore, quia magna multitudo & magnum robur fuit Gallici exercitus, & prælium in Angustijs Alpium Duces dissuadebant. Sed ipse cum noctem in precatione consumsisset, cui in somno species oblata esset, quæ fuerat hortata eum ad præliandum, ducit exercitum inter fauces Alpium, &

um & acerrimo prælio vincit hostem, cùm quidem & diuinitùs adiuuaretur magnis ventorum flatibus, qui contrarij erant hostibus. Quare & Claudianus scripsit:

O nimiùm dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Eugenius adductus est ad Theodosium, eumq; prostratus ad pedes eius veniam peteret, à militibus astantibus capite truncatus est. Arbogastius in fuga, ne retractus in conspectu victoris pœnas daret, ipse sibi manu sua mortem conscinit.

Pacato rursus imperio in Oriente & in Occidente THEODOSIVS Mediolani mansit, & Stilichonem Ducem, natum in gente Heneta, ad restituendam pacem in Gallia & Germania misit. Quia seditiosis Eugenio & Arbogasto coniunctæ fuerant. Eo tempore STILICO has regiones vicinas Albi & Harcimiæ peruagatus est, vt ex Claudiano intelligi potest, qui inquit:

Germanis responsa dabat legesq; Caycis
Arduus, & flauis signabat iura Suëuis.

Item:

non indignante Cayco
Pascat Belga greges.

Et quidem dicit, non armis, sed opinione iusticiæ, motas has gentes quieuisse.

Nec fama fefellit
Iusticiæ, vidêre pium, vidêre fidelem,

Quem veniens timuit, rediens Germanus amauit.
Ante tubam nobis audax Germania seruis.

Inuenio & tunc Saxonicos & Turingicos exercitus collocatos esse ad defensionem limitis Imperij contra Sarmatas, siue ad Viadrum siue ad Vistulam.

RECitatis bellis Theodosij, quæ & iusta & Ecclesiæ necessaria fuerunt, vita domestica & acta in pace considerentur. Natus ex Christianis parentibus in Hispania, rectè didicit Ecclesiæ doctrinam, & amplexus est Symbolum Nicenum, & nullius Hæreseos contagio infectus fuit. Coniugem habuit priorem PLACILLAM, ex qua nati sunt ARCADIVS & HONORIVS. Huius matronæ castitas, pietas ac beneficentia erga pauperes valdè prædicantur. Hac mortua duxit filiam Valentiniani primi GALLAM ex quâ nata est PLACIDIA GALLA, quæ postea nupsit Constantio. Baptismum accepturus Thessalonicæ, vbi ægrotauerat post prælia Gottica, interrogauit Episcopum de doctrina, ne ab hæretico Episcopo Baptismum acciperet. Is cùm confessionem suam & suæ ecclesiæ exposuisset, & ostendisset se amplecti Symbolum Nicenum, Theodosium baptizauit. Hæc circumspectio, pietatem eius ostendit, quam declarant & acta ipsius in Synodis & euersione Idolorum.

Exemplum est pœnitentiæ & reuerentiæ erga Ecclesiam, quòd ab Ambrosio exclusus ex templo, & lamentis ostendit pœnitentiam, & octo mensibus non

non rediit in Templum, donec acciperet sententiam absolutionis ab Ambrosio. Fuit autem hæc causa, cur ab Ecclesia arceretur: Victo Maximo, cùm Mediolani esset Theodosius, per seditionem multitudinis in vrbe Thessalonica interfecti sunt, VDERICVS Præfectus, & multi nobiles viri. Iratus igitur Imperator eò cohortes aliquot misit, quæ septem millia hominum interfecerunt. Ambrosius iniustam crudelitatem esse sentiens, quòd non inquisitis sontibus promiscua cæde sæuitum esset in turbam innocentem & sontes, iubet Theodosium agnoscere delictum.

Etsi autem seueritas Ambrosij pia fuit: tamen causa consideretur indignationis Theodosij. Non fuit causa euersio statuæ Imperatoris aut coniugis, aut petulantia conuitiorum, vt aliqui narrant. Talia errata atrociter punire, tyrannicum est. Nec id solùm mouit Theodosium, quòd Præfectum & multos viros nobiles multitudo iniustè trucidauerat, etsi hic dolor mouere Principem non debet: Sed alia fuit in Principe casto maior causa dolorum: Rapuerat AVRIGA Gubernator Ludorum Circensium adolescentem ad stuprum: Hunc aurigam præfectus vir honestus incluserat carceri, Quia verò populus industria huius Aurigæ delectabatur, poscit, vt impunitus dimittatur, quod cum denegaret Præfectus, per seditionem occisus est.

Tria igitur magna scelera concurrunt: Quòd noluerunt puniri tantum scelus aurigæ: Quòd seditionem

nem in causa turpissima mouerunt: Quod Præfectum & alios viros nobiles trucidauerunt. Propter has tantas causas cùm Princeps iusto dolore exarserit, non existimetur, deliquisse more tyrannorum, qui propter nullas aut leues causas, magnam sæuiciam exercent, etsi excessit modum. Sed in magnis viris Nemesis valdè inflammatur. Hanc excusationem Theodosij addidi, quia multi de causa errant.

Cùm autem instaret Festus dies mense Decembri, quo publicè celebratur recordatio Natiuitatis CHRISTI ex virgine, accessit Theodosius ad Templum, & reuerenter petiuit absolutionem, quam & pronunciauit ei Ambrosius. Addidit autem commonefactionem, vt ferret legem, vt post rescripta Imperatoris differantur supplicia capitalia dies triginta, ne Rei iniusta ira rebus non satis inquisitis, interficerentur. Sumtum est autem exemplum ex Attica consuetudine.

Vt autem maximè prodest discernere bonos Principes à malis, vt Dei opera, & virtutum exempla considerentur: Ita non est inutile conferre bonos. Constantinus bella maiora gessit, et terribilior fuit. Sed Theodosius etiam magnis rebus gestis, in toto Imperio pacem fecit, Ecclesias protexit, & dissidia sustulit, conuocata pia Synodo. fuitq; in coniugijs felicior, Vterq; veritatis eò fuit studiosior, quia literas nôrant, & fontes doctrinæ melius cognoscere poterant, quàm indocti. Verùm Deus protexit, ne à Tyrannis

rannis vincerentur. Qui ambo Deum rectè coluerunt, & Ecclesijs benefecerunt. Congruit exitus ad dictum: Plantati in domo Domini, etiam in senecta florebunt.

Mortuus est autem Theodosius Mediolani, anno ætatis sexagesimo quinto, die Septembris decimo septimo. Anno Imperij decimo septimo. Corpus Constantinopoli sepultum est. Extat laudatio Theodosij apud Ambrosium, qui inquit: Dilexi virum, qui cùm corpore solueretur, magis de Ecclesiarum statu, quàm de suis periculis angebatur.

Post eum Imperium in Pannonia, Italia & Hispania à Gottis & Vandalis, deinde ab Hunnis dilaceratum est. Galliam verò partim Franci, partim Burgundi occuparunt. Prius autem, quàm de successoribus dicam, aspiciamus Ecclesiam, qualis fuerit post mortem Constantini, sub Constantio, Iuliano, Iouiniano, Valentiniano primo, Valente, Gratiano & Theodosio.

In Oriente, quia Constantinus deceptus blanditijs sororis reuocauerat Arium, in Ecclesijs passim rursus excitatum est incendium Arianæ impietatis, & crebris Synodis dissidia aucta sunt. Hæc mala cum Imperator Constans, qui Occidentem tenebat, reprimere conaretur, perfecit, vt Synodus pia conueniret in vrbe Sardica, Anno post Nicenam Synodum vicesimo. Etsi autem Sardicensis Synodus pia Decreta fecit, & Occidenti profuit; tamen Constantius, cùm nõ

solùm propter adolescentiam leuis esset, sed etiam natura futilis, & domi ab assentatoribus regeretur, fauit Arianis, & permisit, vt latè spargerent errorem.

Fueruntq; post mortem Constantij aliæ Synodi contrariæ Sardicensi: Prima Syrmiensis, anno quinto post Sardicensem. Mox sequuta est Arimimensis vbi Cothurnus factus in Syrmio profertur, videlicet, vt pro ὁμοούσιον in Symbolo legeretur ὅμοιον, Discedentibus igitur pijs ex Arimino, cùm Imperator faueret impijs, audacia in Oriente creuit, & impia Synodus futilitate Imperatoris in vrbem Isauriæ Seleuciam conuocata est.

Biennio post Synodum Seleucianam rursus frequens Synodus impiorum conuenit Antiochiæ, quò Constantius propter bellum Persicum exercitus duxerat, vbi, vt fit inter malos, dissidia creuerunt. Natum est ibi tetrum Sophisma, de quo supra diximus: Pater est εὐσεβὴς, Filius est ἀσεβὴς. Ergo est inæqualitas.

Mota est contentio de Spiritu sancto: An sit ὑφιστάμενον, de qua controuersia postea, vt dicam, regnante Theodosio in Synodo Constantinopolitana, & in Damasi decretis, vera doctrina restituta est.

Ex Antiochena Synodo Constantius rediturus in Europam aduersus Iulianum, in itinere mortuus est, cùm Ecclesias dilacerasset multis impijs Synodis.

Secuta

Secuta est maior calamitas sub successore Iuliano Apostata, anno Christi trecentesimo, sexagesimo sexto. Ad priora dissidia accesserunt multa mala: Iulianus ipse palàm defecit ad Ethnicos, & Ecclesijs reditus ademit, & in multos Christianos sæuiciam exercuit. Publica etiam Ethnicorum sacrificia restituit, & multi exemplo Principis à vera Ecclesia defecerunt, vt dicitur: Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Post biennium extincto Iuliano lenitæ sunt hæ calamitates: Iouinianus enim Symbolum Nicenum amplecti se professus est, & Ecclesijs pios pastores & redituum partem restituit. Sub Valentiniano etiam mediocris tranquillitas fuit Ecclesiarum Occidentis: Sed Valens in Oriente confirmauit Arianorum impietatem, & multos pios Episcopos ex Ecclesijs expulit. In his tristissimis spectaculis dubitet aliquis: An & vbi fuerit vera Ecclesia, cùm tantum esset dissidiorum & furorum in maxima parte generis humani. Etsi autem vera Ecclesia exigua fuit, & oppressa Constantij, Iuliani & Valentis tyrannide: tamen Deus seruauit reliquias. Romæ erant duo Episcopi: Alter præerat pijs, alter Arianis. Erant & duo Constantinopoli: Nazianzenus rectè docebat. Sed regium templum tenebat Demophilus Arianus. Basilius Cæsareæ propugnator fuit veræ doctrinæ, Ambrosius Mediolani. Hilarius in Gallia, & quidem in Occidente minus contagiorum fuit, quàm in Oriente.

Non igitur cogitemus, nullam esse Dei Ecclesiam, cùm horribiles generis humani confusiones intuemur, sed firma assensione teneamus articulum: Credo esse Ecclesiam Catholicam. Et simul sciamus hunc esse cœtum, qui fundamentum retinet, & nos in hunc cœtum includamus, & testimonia diuina aspiciamus, quibus suam doctrinam Deus confirmauit. Deploremus etiam miseriam generis humani, quòd semper horrendæ confusiones sunt, fuerunt & erunt, quarum causæ notæ sunt ex doctrina Ecclesiæ, & veris gemitibus petamus nos regi & protegi.

Hæc admonitio in historijs sæpe repetenda est, & contra talia spectacula nos confirmemus. Deinde tales historiæ multa de Synodis monent. Vult Deus esse iudicia Ecclesiæ, vult conuenire pios, vt confessionem ostendant, & falsa dogmata reijciant, sicut Actorum 15. conueniunt Apostoli.

Multæ fuerunt piæ Synodi, vt anno Christi ducentesimo, septuagesimo tertio ANTIOCHENA, *in qua senes multi conuenerunt, qui dixerunt testimonia contra Samosatenum. Deinde anno Christi trecentesimo, vicesimo octauo* NICENA, *contra Arium & Nouatianos, Anno trecentesimo quinquagesimo* SARDICENSIS *quæ Nicenam confirmauit. Anno trecentesimo, octuagesimo quinto* CONSTANTINOPOLITANA *initio Theo-*

Theodosij primi, in qua vera doctrina de Filio & Spiritu sancto illustrata est.

Interea verò multæ concussationes impiæ fuerunt, in quibus magna frequentia fuit Episcoporum: Vt paulò ante mortem Constantini Synodus TYRIA *fuit, Anno Christi trecentesimo, quadragesimo quinto, contraria Nicenæ. Deinde Constantij tempore. Anno Christi trecentesimo, quinquagesimo sexto* SYRMIENSIS, *cui interfuit Imperator, contraria Nicenæ. Anno trecentesimo, sexagesimo secundo* ARIMINENSIS. *Anno trecentesimo, sexagesimo secundo* SELEVCIENSIS. *Anno trecentesimo, sexagesimo quinto* ANTIOCHENA, *cui Constantius Imperator interfuit paulò ante mortem. Hæ tres etiam corruperunt Symbolum Nicenum. Sint igitur in conspectu etiam impiæ Synodi, vt refutari possint hi, qui vociferantur, Synodos non posse errare.*

Cùm autem in Ecclesia oporteat esse iudicia, sciamus normam esse iudiciorum scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola. Curandum est igitur, vt Synodi rectè regantur, nec discedant à norma, vt aut multitudini, aut Tyrannis assententur, sicut tunc sententiæ gratæ Constantio dicebantur, & regula tenenda est: δῆ διακρῖναι οὐ πλήθη, ἀλλὰ πίστιν.

Fuit Constantini tempore & GANGRENSIS *Synodus, quæ pia fuit. Est autem Gangra*

vrbs

vrbs vicina Galatis, in ea parte, quam Heneti tenuerunt. Et scribunt veteres, lingua Heneta Gangram significare Capream, vt nunc quoq; Heneti Capream nominant. Ibi aduersus Eustathium quendam & eius imitatores Decreta facta sunt, qui certos cibos & coniugia prohibebant, & nolebant accedere ad eas Ecclesias, vbi sacerdotes erant mariti. Huius Synodi memoria retinenda est, vt & hoc vetus testimonium contra superstitiones de cibis & prohibitione coniugij notum sit.

Deinde post Valentem regnante Theodosio, ex prioribus fluctibus aliquantulum emersit Ecclesia. Hic enim Synodum conuenire iussit Constantinopoli, in qua contra Arianos & contra Macedonium & Eunomium & similes, qui negabant Spiritum sanctũ esse ὑφιστάμενον, decreta facta sunt.

Eodem tempore & DAMASVS ROMAE Synodum conuocauit, & decreta facta sunt communi deliberatione piorum, qui Constantinopoli & Romæ erant, quæ recitantur à Theodoreto libro 5. Sunt quoq; reuocati exules: pulsi ex Ecclesijs tempore Valentis. Consilium etiam Theodosij memoria dignum est, qui cùm Hæretici eluderent testimonia Prophetica & Apostolica, iussit proferri testimonia ex pijs scriptoribus, qui ante dissidia illa fuerunt, & Codices ex veteribus Bibliothecis suo sumptu protulit, vt consensu purioris antiquitatis conuicti Hæretici cederent. Idem si nunc fieret, multæ dissensiones rectè tolli possent.

possent. Etsi enim vociferantur aduersarij nostri se defendere veterem consensum: tamen oppugnant reipsa, ac ludunt nomine consensus, cùm intelligunt tantùm recentium temporum consuetudinem, pugnantem cum antiquitate. Manifestũ est enim, multa tetra deliria recepta esse, ignota vetustati. Etsi autem Fides nititur verbo Dei, & norma iudicij esse debent scripta Prophetica & Apostolica & Symbola: tamen vocem purioris Ecclesiæ docentis & commonefacientis, audire pium est, iuxta dictum: Nisi arassetis vitula mea, non inuenissetis.

Consideremus autem ætates Scriptorum, & fide dignos discernamus ab impuris. Ætas Theodosij habuit laudatos scriptores: Basilianum, Ambrosium, Nazianzenum, Theodoretum. Extat & Hieronymi confessio ad Damasum.

Vixit autem HIERONYMVS annos viginti post Theodosium, & mortuus est in Bethlehem, anno ætatis nonagesimo primo, Anno Christi quadringentesimo vicesimo, die Martij vltimo.

Interfuisse scribitur Synodo Treuirensi, cùm Martino Turinensi & Ambrosio, cùm aliquantò antè DAMASVS esset mortuus.

Post Damasum Romanus Episcopus fuit SIRICIVS, qui Presbyteros cœlibes, cùm ducerent vxores, remouebat à ministerio: Et Presbyteris maritis prohibuit consuetudinem coniugalem, & non obtemperantes remouit à ministerio. Extant verba

eius

eius in libro Decretorum Distinct. 82. vbi contra cõiugium & Declamatio contumeliosa edicto inseritur, & insulsè citatur dictum Pauli: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Hic cogitetur, quantum scelus sit, tali Sophistica ludere in Ecclesia. Certum est enim apud Paulum dici, in carne eos esse, qui reguntur carne, non Spiritu sancto, et amittentes fidem & bonam conscientiam, obtemperant cupiditatibus carnis, vel non frenant cupiditates carnis, quæ pugnant cum lege Dei.

Post Ciricium decreta de cœlibatu magis etiam exasperata sunt. Nam & Gregorius iussit remoueri ab officio presbyteros maritos, qui ostendebant se nolle abstinere à consuetudine coniugum. Hæ distractiones præsentium coniugiorum, & prohibitiones futurorum, per sese magna peccata fuerunt, & causa fuerunt multorum scelerum. Sed de sequentibus decretis suo loco dicetur. Considerandæ enim sunt tempora, vt ostendi possit, leges de Cœlibatu post Apostolos humana audacia conditas esse.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo sexagesimo secundo.

Anno Romæ millesimo, centesimo, quinquagesimo.

Anno Christi quadringentesimo.

MOrtuo Theodosio successerunt filij, ARCADIVS in Oriente, & HONORIVS in Occidente, quos viuos Theodosius consortes Imperij fecerat, & Imperatores & Augustos nominauerat, Sed propter ætatem adiunxit tutores præcipuos duces, Arcadio Ruffinum, Honorio Stilliconem, Gildonem Africæ præesse voluit. Hos cum putaret fidos fore, quanquam sapiens Princeps, tamen deceptus est. Impulit enim eos ad perfidiam regni cupiditas, vt ille inquit: Si violandum est jus, regnandi gratia violes, in alijs pium esse decet.

Ac primus Ruffinus natus in Gente Gallica attraxit Alaricum regem Gottorum, qui antea duxerat Gottica auxilia sub Theodosio gerente bellum aduersus Eugenium. Terrebat enim metu Gottici exercitus Arcadium, & postulabat se fieri Collegam Arcadij, & Imperatorem nominari, Sed hoc petentem ante tribunal Italici milites trucidârunt. Hic exitus perfidiæ fuit Ruffini.

Post Ruffini mortem & alius dux Gotticus & Arianus, nomine CAIANVS, seditionem aduersus Arcadium mouit, in qua manifestis miraculis Deus ostendit, se vrbem Constantinopolin & Arcadium protexisse. Antecessit autem hunc tumultum ingens Cometa, qui flammas ad terram vsq; sparsit. Ac diserte inquit Historicus: Neminem fuisse, qui talem Cometam antea vidisset.

Primùm autem cùm incendere Regiam Arcadij in vrbe Constantinopoli Caianus noctu conaretur, conspectus est exercitus Angelorum, qui depulit Caiani milites. Constabat enim domum non custoditam esse humanis præsidijs. Cùm

Cùm autem cognitis consilijs Caiani Arcadius præsidia accerseret, apertè bellum Caianus molitur. Occupat Phrygiam, & passim direptiones & vastationes facit. Tandem ratibus ad vrbem Constantinopolim accedit. Huic classis Arcadij occurrit, quæ habuit ventos secundos, qui rates Caiani euerterunt, & exercitum eius in mare demerserunt. Ipse cùm euasisset, postea in vicinis montibus deprehensus, interfectus est. Hæc diuina testimonia confirmauerunt pios in vera doctrina, & autoritatem Arcadij auxerunt, qui & ipse constanter retinuit Symbolum Nicenum, nec fuit crudelis.

Reprehenditur autem, quòd nimiam potentiam permiserit Eunuchis & vxori Eudoxiæ, quæ IOHANNI Chrysostomo inimica fuit, taxanti eius fastum. Et quidem Eunuchus EVTROPIVS, cuius fuit summa potentia, iustas pœnas dedit. Hunc talem fuisse præstigiatorem scribunt, vt Gorgoni comparatus sit, vt sæpe in aulis regnant tales pestes, quales apud Tyberium fuit Seianus, apud Seuerum Plautianus. Hic Eutropius cùm venderet Magistratus & sententias, daret accriperet Prouincias, quibus vellet, & tandem Consul factus esset, transferre in se Imperium conatus est. Sed in ipso consulatu ARCADIVS ei caput præcidi iussit. Scribunt autem hunc ipsum Eutropium fuisse ante id tempus suasorem legis, vt liceret sontes ex templis vi abducere, qua lege postea & ipse ex templo extractus est. De Eudo-

Eudoxiæ odio aduersus Iohannem Chrysostomum, postea dicetur.

Vixit Arcadius annos vnum & triginta, tenuit Imperium post mortem patris annos tredecim, ac filium reliquit pium & salutarem Orienti; quem pater viuens Augustum nominauerat.

FRATRES.

VALENTINIANVS VALENS.
habuit duas vxores

SEVERAM, ex ea filius est GRATIANVS, Hic Collegam fecit Theodosium, interfectus Lugduni à Maximo.

IVSTINAM, ex qua VALENTINIANVS secundus, ambæ factæ Monachæ. Viennæ in ciuiculo, fraude Eugenij.

Iusta, Grata, GALLA, quam duxit Theodosius.

THEODOSIVS Collega Gratiani, cuius vxores.

PLACILLA ex hac sunt ARCADIVS HONORIVS

GALLA ex qua est PLACIDIA Galla. abducta ex vrbe Roma. per Alaricum, & data

Adaulpho Gottico, postea recepta per Constantium. Ex his scilicet Constantio & Placidia sorore Honorij natus est VALENTINIANVS Tertius.

EX ARCADIO sunt

THEODOSIVS II. habuit coniugem Εὐδοκίαν filiam Leontij Philosophi Athenien sis. Filia Eudoxia nupta Valentiniano tertio, abducta in Aphricam per Genserico cum duabus filiabus Placidia II. & Eudoxia III.

PVLCHERIA PLACILLA, & MARINA.

Placidiam duxit Olibrius, qui septem mensibus Romæ Imperator fuit. Eudoxiam III duxit filius Genserici, cui filium peperit Hildericum. Deinde relicto marito propter Arianam sectam, Ierosolymæ mortua est.

Ex priore Placidia, filia primi Theodosij, & Constantio, quem Honorius Collegam fecit, natus est Valentinianus tertius interfectus propter adulterii, & necem Aëtij, Vltimus Occidentis Imperator vsq; ad

ad Carolum Magnum, etsi multi interea se Imperatores nominârunt, & variæ fuerunt dilacerationes. Valentiniani filiæ fuerunt Placidia secunda, nupta Olibrio. Eudoxia tertia, nupta filio Genserici.

DE HONORIO.

HONORIVS Theodosij primi filius, frater Arcadij, tenuit Occidentem annos vnum et triginta. Initio Imperij edicto prohibuit gladiatorum pugnas. Promulgator legis obrutus est lapidibus.

Anno eius octauo, Anno videlicet Christi quadringentesimo sexto, FRANCI occuparunt vrbem Treuirorum accersiti à Senatore, cuius vxorem rapuerat LVCIVS, præses Romanus. Ita libidines occasionem mutationis Imperij præbuerunt, vt sæpe accidit. Cumq; ex vrbe Treuirorum, deinde in Belgicum & Celticam progressi sunt, initium regni Francorum, ab occupatione vrbis Treuirorum sumitur. Et quanquàm antea quoq; Reges Francorum nominentur, priusquàm in Galliam transierunt: tamen postquàm in Galliam transierunt, in hac serie primus Rex nominatur VVarmundus.

Supra de Gentis origine dixi, de qua citaui Strabonem, qui Francos inquit sedes habuisse inter Noricum & Vindelicos. Et Hieronymus inquit: Francos inter Saxones & Alemanos habitare, gentẽ non tàm latam quàm validam. Fuisse eos vicinos Fluuio Salæ,

ex Marcellino apparet. Progressi igitur à Mœno ad ripam Rheni accesserunt, vbi cum Aureliano, Probo & Constantino dimicarunt, & quidem fuisse exercitum Francorum inter auxilia Constantini contra Licinium scribit Marcellinus. Deinde paulatim confirmatis viribus in Galliam transierunt, & sumitur initium ab occupatione vrbis Treuirorum.

Hæc fuerunt initia dilacerationis Imperij Romani versus Galliam: Altera dilaceratio à Pannonia versus Italiam à Gottis facta est, nec dubium est Gottos Getas esse, qui olim in Asia fuerunt, vt Herodoti historia ostendit: Inde paulatim, vt multæ aliæ gentes, progressi sunt versus Pannoniam, Inde accesserunt ad Vistulam ad littus Balticum, & Scandiam occuparunt. Cùm enim primorum hominum sedes in Oriente fuerit, consentaneum est inde versus Occidentem progressos esse posteros, nec primùm natos esse in scopulis nostri maris, vt quidam ineptè fabulantur.

Alexander non procul ab Insula Peuce, quæ notissima est, paululùm supra Byzantium, dimicauit cum rege Getico SYRMO, vnde Syrmium dictum est. Aliquantò pòst Lysimachus à Rege Getico acie victus & captus est, & liberaliter dimissus concessit, vt ad Istrum Getæ sedes haberent, & regi Getarum filiam dedit vxorem, vt narrat Pausanias. Tunc igitur regionem viciniam Byzantio ad Istrum tenuerunt: & Græcis noti fuerunt, & paulatim latius dominati

minati sunt. Nominat enim Strabo ducem Getarum VVarfestum, qui Thraciam Romanis temporibus populatus est. Deinde notissimum est Romanos Imperatores in vicina ora Pannoniæ cum Getis & Gottis sæpe dimicasse. Narrant & hodie Gottos tenere Chersonesum Tauricam, quæ non procul abest à Constantinopoli, & lingua eos nostra loqui affirmant. Diu igitur Getarum sedem fuisse regiones ad Tyram & ad Istrum constat, quæ nunc sunt partim VValachia, partim Bulgaria.

Valens Imperator non procul à Constantinopoli ab eis victus est. Deinde repressit eos Theodosius. Auxilia etiam eorum sibi adiunxit contra Maximū & Eugenium, & stipendia eis dedit. Hæc cùm deinde Arcadius & Honorius pendere nollent, bellum contra eos mouerunt. Erat autem Stillico ortus ex gente Heneta, inimica Gottis. Ideò contra Gottos & Francos attraxit in Galliam, Burgundos, Sueuos, Alanos, & alias gentes littori Baltico vicinas. Hæ fuerunt occasiones bellorum Gotticorum & Vandalicorum, quibus in Occidente Imperium dilaceratum est.

Anno autem Honorij decimo octauo, Anno Christi quadringentesimo nono, Radagisus ducenta millia Gottorum in Italiam duxit. Sed cùm transisset Apenninum ad Fesulam, multitudo fame dissipata à Stillicone Consule oppressa & deleta est. Radagisus fugiens captus & strangulatus est. Captiuorū greges

singulis aureis venditi sunt. Etsi autem hæc initia Gottis in Italia non fuerunt læta, vt plerunq; Deus scelera vtriusq; partis varijs bellorum vicibus punit: Tamen non mox finis fuit horum bellorum. Reliquiæ crearunt regem Alaricum, qui ductor fuerat exercitus apud Theodosium contra Eugenium. Cùm his paciscitur Stillico, vt in Gallias discedant, vbi simulabat se eos Francis oppositurum esse. Discedunt igitur ad Alpes, ibi die Paschatos, cùm iussu Stilliconis quidam ex eius Ducibus fraude eos adortus esset, Gotti fuerunt victores. Aliquantò pòst Honorius seu verè seu falsò suspicans Stiliconem Imperium ad se translaturum esse, iubet eum & filium eius Eucherium interfici.

Cùm igitur Italia Duce orbata esset, Alaricus omissa Gallia pergit Romam, & circumsessam biennio capit Calendis Aprilis, Anno decimo octauo Honorij. Anno Christi quadringentesimo, decimo quarto. Anno Romæ millesimo, centesimo, sexagesimo quarto. Anno post Radagisi mortem quinto.

Vrbs non est deleta, multitudo etiam, quæ in Christiana templa confugerat, non interfecta est, Sed ex templis, & ex alijs thesauris publicis & priuatis ingens præda congesta est, & Placidia Galla filia primi Theodosij, Imperatorum Arcadij & Honorij soror, capta est, & desponsata cognato Alarici Adaulpho. Nam Alaricus iam senex erat.

Vt autem reliquam Italiam occuparet & spoliaret Alaricus, duxit exercitum in Campaniam, & ad Siciliam vsq; accessit, vbi in vltima Italiæ ora morbo extinctus est Rex Gotticus. Post eum factus est Adaulphus rex, qui exercitum in Italiam reduxit, vbi Placidiæ intercessione lenitus non deleuit vrbẽ, vt fuerant hortatores Gotti, & pace facta cum Honorio propter affinitatem discessit in Galliam, & inde in Hispaniam, cuius magna pars iam à Sueuis, Vandalis & Alanis occupata erat, qui ex Gallia à Constantio pulsi erant. Anno autem tertio post discessum ex Italia Adaulphus in Hispania à suis interfectus est. Aduersus hunc misit Honorius ducem Constantium Patricium Romanum, qui Galliam Narbonensem & vicinam partem regebat, & feliciter inde Vandalos expulerat. Hunc iussit repetere Placidiam, spem ei & Coniugij & Imperij faciens.

Erant autem in Hispania discordiæ inter Gottos & Vandalos, & Constantius malebat fœdera cum Gottis renouari, ne nouum bellum Galliæ & Italiæ attraheret. Reddit igitur volens Placidiam, quam Honorius dedit Constantio vxorem, & ipsum consortem Imperij facit. Ex his, videlicet ex Constantio & Placidia filia Theodosij primi natus est VALENTINIANVS Tertius, vltimus Imperator Occidentis vsq; ad Carolum Magnum.

VVallia in Hispania bellum Vandalis infert. Franci procedunt in Belgico, in Italia et Gallia Narbonensi. Postquàm Constantius Cæsar factus est, pax fuit, Sed post reditum Placidiæ, tantum biennio vixit Honorius, & aliquantò antè eam mortuus est Cõstantius, post quem Galliam rexit Aëtius natus in Mysia, id est, VValachia, Dux sapiens & fortis. Præfecerat Honorius Africæ BONIFACIVM Thracem, ad quem multæ sunt Augustini Epistolæ. Ac fuerunt tunc præcipui gubernatores Occidentis. In Oriente tunc Imperator erat Theodosius secundus adolescens, Arcadij filius, cui pater Tutorem dederat virum excellentem sapientia & virtute ANTHEMIVM. de quo inquit Græcus Historicus: Φρονιμώτατος καὶ εὐδόκιμος καὶ ἄριστος.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo, septuagesimo quarto.
Anno Romæ millesimo, centesimo, sexagesimo secundo.
Anno Christi quadringentesimo, duodecimo.
Anno Honorij decimo quinto.

THEODOSIVS.

THEODOSIVS Secundus Arcadij filius, natus ex Eudoxia filia seu Gratiani seu Botonis, successit mortuo patri, natus annos ferè nouem. Tenuit Imperium Orientis à morte patris annos quadraginta

ginta duo. Vixit annos quinquaginta vnum. Tutorem habuit ANTHEMIVM, cuius sapientia, non tantum publica negocia feliciter gubernata sunt: Sed etiam adolescens ad doctrinas, pietatem & optimos mores assuefactus est, cùm plerique tutores indulgentiores sint Principibus. Sed adiutricẽ habuit Anthemius PVLCHERIAM Theodosij sororem, excellentem ingenio, eruditione & pietate, cuius consilio etiam postea regnante Theodosio, res maximæ gubernatæ sunt.

Fuit THEODOSIVS Princeps eruditus, firmus in doctrina Symbolorum, & rectè inuocans Deum. Vt Gotti tranquilli essent, pacem cum eis fecit, & eorum auxilijs vsus est contra Hunnos & Persas. Cùm Persas duobus magnis prælijs vicisset, tamen de pace facienda victor legatos ad eos misit. Ita postea Orientem tenuit pacatum, nec in pace voluptatibus se dedidit, sed vtiles leges condidit, quarum multæ adhuc extant, vt de coniugijs. Et in Ecclesijs concordiam constituit. Conuocauit piam Synodum Ephesinam, in qua Nestorij impietas damnata est, vt postea dicemus, qui contendebat in Christo non fuisse duas naturas vnitas inseparabiliter, sed humanæ naturæ assuisse λόγον, vt cæteris sanctis, Dauidi aut Esaiæ.

Mos fuit Theodosio manè precationes dicere, & Psalmos canere cum coniuge & sororibus. Habuit autem coniugem EVDOKIAM filiam Leontij Philosophi

Athenienſis, adeò eruditam, vt poëmata ſcripſerit de victoria Arcadij, & de victorijs mariti. Ab ipſa dicuntur eſſe congeſta ὁμηρόκεντρα. Scripſit Theodoſius ſua manu libros noui teſtamenti, quorum aliquã partem quotidie legit. De dogmatibus cum doctiſſimis viris ita diſſeruit, vt intelligi poſſet, eum non inferiorem eſſe eruditione. Bibliothecam Byzantij vndiq; veteribus libris Eccleſiaſticis & Ethnicis coëmtis valdè auxit. Talis cum domi eſſet, tamen & militiæ labores patienter tulit. Duces habuit præcipuos, Gratianum, Ardaburium, Aſperem, Ariobindam, quos fuiſſe Gottos hiſtoriæ ipſe narrant, & appellationum ſonus ad noſtram linguam congruit. Miſit Aſperem & Gratianum in Africam, ſed Genſericus eorum exercitum vicit. Martianum captum dimiſit, quia viderat eum inter reliquos captiuos dormientem tegi ab Aquila. Is poſtea in Imperio ſucceſſor fuit Theodoſij. Placidè autem mortuus eſt Conſtantinopoli Theodoſius ſecundus, cum vixiſſet annos quinquaginta vnum. Sepultus eſt in ſepulchro Theodoſij primi, & patris Arcadij. Mortem eius anteceſſit Terræ motus, qui durauit ſex menſes, concuſſit Conſtantinopolin & multa Aſiæ loca. Dehiſcente terra multa oppida abſorpta ſunt. Mare alibi fugiens hiatu abſorptum, alibi in terram effuſum, multa oppida obruit. Hæc prodigia ſequentes Imperij ruinas & Mahometica initia ſignificarunt.

Anno

Anno Mundi quatermilleſimo, trecenteſimo, nonageſimo ſecundo.

Anno Romæ milleſimo, centeſimo, octuageſimo

Anno Chriſti quadringenteſimo, triceſimo.

Anno Theodoſij ſecundi nono.

MOrtuo Honorio conſortem Imperij fecit VALENTINIANVM Tertium Theodoſius ſecundus, natus ex Conſtantio & Placidia prima, Honorij ſorore. Tenuit Imperium Valentinianus tertius annos triginta. Coniugem habuit filiam Theodoſij ſecundi Eudoxiam ſecundam. Fuit vltimus Imperator Occidentis vſq; ad Carolum Magnum, etſi interea multi ſeditioſi nominari Imperatores voluerunt, qui tamen vix exiguam partem Italiæ habuerunt. Pœnas autem cumularunt & Valentiniani mores, qui mœchus, magus, & Ducum benè meritorum parricida fuit.

Duo tunc præcipui Duces in Occidente fuerunt: BONIFACIVS, quem ſcribunt Thracem fuiſſe, qui rexit Africam: et AETIVS natus in VValachia, qui rexit Narbonenſem Galliam. Inter hos cùm ſimultas eſſet, Bonifacius metu Imperatoris dicitur attraxiſſe Genſericum in Africam. Alij magis ſignificant, Genſericum poſſeſſione Hiſpaniæ pulſum à VVallia rege Gottico quæſiuiſſe ſedes in Africa. Quæcunq; cauſa fuit ingreſſi in Africam Vandali, vicerunt Bonifacium & alios Romanos exercitus, & Carthaginem occuparunt.

Anno

Anno Theodosij secundi tricesimo quarto.
Anno Valentiniani tertij decimo septimo.
Anno Christi quadringentesimo, quadragesimo quinto.

Cùm autem Gensericus defensor esset Arianæ impietatis, magnam crudelitatem in pios exercuit. Metuens igitur odia suorum, cum Valentiniano pacem fecit, qui concessit ei partem Africæ, quam vsq; ad Bellisarij tempus retinuerunt, annos nonaginta sex. Attraxit autem Gensericus Attilam & Hunnos contra Gottos in Hispaniam. Progressus igitur Attila ex Pannonia cum quingentis millibus, in Germaniam & Italiam peruenit ad Tolosam vsq;, ibi Aëtius optimo consilio ad societatem belli adiunxit Francos, quorum rex fuit Meroueus nepos VVarmundi, & Gottos, quorum rex fuit Theodoricus, qui Vallia successerat. Nunquam duos maiores exercitus inter sese oppositos fuisse scribitur.

Pugna facta anno secundo Martiani. Anno Valentiniani Tertij vicesimo septimo, prope Tolosam ab hora nona diei tota nocte vsq; ad sequentem diem, & trucidata sunt centum octoginta millia hominum. Attila fractus hac clade, & metuens filium Theodorici regis Gottici, reliquias exercitus sui abduxit. Ita victores existimati sunt Aëtius, Franci & Gotti. Et regis Gottici Theodorici interfecti filius Dorismundus, ardens iusta ira fugientem Attilam sequendum esse censuit.

Etsi

Etsi autem Aëtius vidit vtile esse reliquias exercitus deleri, ne Attila Italiam inuaderet: Tamen sequi eum noluit, cuius consilij quam habuerit causam non disputo: Fortassis, vt sapientes dicunt, hosti fugienti argenteum pontem faciendum esse, cogitauit non sine maiore periculo rursus dimicaturos esse, aut Valentinianum propter malos mores odit. Interea enim dum hæ res magnæ ab Aëtio geruntur, Valentinianus Romæ adulteria exercet.

Fuit inter præcipuos viros tunc Romæ Maximus ex eius Maximi stirpe, quem Theodosius ante annos aliquot bello vicit. Huic maximo cùm in ludo annulum detraxisset Valentinianus, mittit eum ad Maximi coniugem, & eam, simulans maritum hæc agere, vocat ad coniugem Imperatoris. Hac fallacia adductam in aulam Maximi coniugẽ vi comprimit. De hac iniuria cùm illa apud maritum queritur, cœpit is & de Imperio rapiendo, & de Valentiniano necando cogitare. Alienat eius animum ab Aëtio, quem fingit appetere t Imperium. Falsa igitur suspitione motus Valentinianus, iubet interfici Aëtium optimè meritum, vt Alexander Parmenionem interfecit. Postea cùm interrogaret Valentinianus quendam: An existimaret iustè interfectum esse Aëtium: Nescio, inquit ille, an iustè interfeceris eum, Hoc scio, te dextram tuam sinistra præcidisse. Nec multò pòst incitat Maximus duos milites Aëtij, vt Valentinianum Imperatorem interficiant. Ita

pœnas

pœnas dat libidinum, magiæ & necis Aëtij Valentinianus Tertius.

Deinde Maximus rapit Imperium, & ducit vxorem Eudoxiam secundam, quæ fuerat coniunx Valentiniani tertij. Apud hanc cùm iactaret Maximus, se amore ipsius, & spe huius coniugij motum interfecisse priorem maritum Valentinianum, irata mulier accersit Genſericum ex Africa Romam, hoc venien-te Maximus, cùm fugere conaretur, interficitur à Romano milite VRSO. *Genſericus Romam ingressus cum ingenti exercitu, flectitur à Leone Episcopo & Eudoxia, ne vrbem incendat, dies tamen quatuordecim direptioni, & quærendæ prædæ tribuit. Eudoxiam auexit cum filia Eudoxia tertia, Matrem duxit Genſericus, filio autem dedit filiam Eudoxiam tertiam, vt postea dicetur.*

Considerentur autem hîc insignia exempla iudicij diuini in Valentiniano & Maximo, iuxta regulam: Omnis qui gladium acceperit, gladio peribit. Tempora etiam conferantur, vt videas, quàm breui spacio pœnæ aliæ alias secutæ sint in Imperij ruinis. Bis capta est Roma intra anos quadraginta quatuor. Primùm ab Alarico Gothico rege, anno Christi quadringentesimo, decimo quarto, tempore Honorij. Deinde à Genſerico Rege Vandalico, anno quadringentesimo, quinquagesimo nono, anno Martiani sexto.

DE

DE ECCLESIA.

ARCADII *tempore fuit Episcopus Constantinopolitanus* IOHANNES, *cui nomen* CHRYSOSTOMI *tribuerunt, quem antea Presbyterum Antiochenum fuisse scribunt. Huic eloquentia autoritatem & potentiam auxit. Quare multa & in aula egit, & aduersos vicinos, quibus præerat.*

Fuit autem ingrata eius seueritas, quæ aliquibus nimia visa est, cùm verum sit, in gubernatione iusticiam temperatam ἐπιεικείᾳ *dominari debere. Luxum & spectacula, quæ multa vicia alebant, iustè taxabat, quare in odium multorum ac præcipuè coniugis Arcadij venit Eudoxiæ, quæ statuam sibi non procùl à templo in Columna marmorea collocauerat, apud quam Histriones & Mimi crebras Comœdias exhibebant. Hanc statuam & hos ludos præsertim Templo vicinos tolli Chrysostomus voluit. Quamobrem cùm Eudoxia ei irascitur, arte res eò deducta est, vt excussus Episcopi dignitate in exilium mitteretur. Ad tales machinationes opus est Sycophanta.*

Habuerat apud se Chrysostomus Hypocritam astutum & facundum SEVERIANVM, *cuius auxit existimationem, quia sæpe iubebat eum publicè concionari.* SEDAVLÆ, SPES TVTENTIÆ, ET AMBITIO, SAEPE MVTANT HOMINES. *Hunc Seuerianum Eudoxia*

doxia contra Chrysostomum incitat, qui nactus cùm alias causas tùm vero & hanc, quòd inter Epiphanium & Chrysostomum magna dissensio de libris Origenis orta esset. Adiungit igitur se factioni Episcoporum, qui aliquot Chrysostomum oderant. Cùm adiuuaretur ab Eudoxia, perfecit, vt Chrysostomus eijceretur, qui in concione Eudoxiam comparauerat Herodiadi, inchoans concionem: Iam iterum insanit Herodias. Etsi conuicium fortassis asperius fuit: tamen reprehensio statuæ & ludorum iusta fuit, sed accesserant odia aliorum ex alijs causis.

Cæterùm de Origenis libris iustior fuit Epiphanij sententia, qui eos condemnari voluit, quàm Chrysostomi, qui condemnationi aduersatus est. Improbauerat eos & ante Constantini tempora Methodius Lyciæ Episcopus, & deinde Tyri, vir sanctus, qui propter allegorias comparauerat eum Sirenibus. Idq; reprehendit, quòd intempestiuis allegorijs discessirit à natiua sententia in scriptis Propheticis & Apostolicis, & dogmata quædam corruperit. Nec dubium est, errores quosdam dogmatum insignes sparsos fuisse in libris Origenis, vt ostendit Epiphanius. Libri autem Origenis, qui nunc extant, partim sunt mutili, partim sunt centones ab alijs assuti, & in his quoq; obuia sunt manifesta errata.

Sunt & in Chrysostomo contagia quædam errorum, quæ pius Lector & rectè eruditus agnoscere & iudicare potest. Multa tamen, præsertim de moribus

bus honestè dicit. Cum Episcopi cæteri in Synodo statuere vellent, lapsos post Baptismum & redeuntes ad pœnitentiam, semel tantùm recipiendos esse: Ille contrà dixit: Imò millies agens pœnitentiam ingredere: χιλιάκις μετανοοῦντας εἴσελθε. Hanc vocem tunc reprehensam, iudico probandam esse, si rectè intelligatur, quia fuit opposita errori Nouatianorum.

Mortuus est autem Chrysostomus in exilio in Armeniæ limite, anno ante mortem Arcadij, qui mortuus est anno Christi quadringentesimo duodecimo, biennio antequam vrbs Roma ab Alarico capta est. Vir eloquens fuit, sed scripta magis declamatoria sunt, quàm διδασκαλικά. Quare interdum extra metas currit, vt in hyperbolis laudum vitæ monasticæ.

Tempore Theodosij secundi celebres Synodi de his controuersijs fuerunt, Pelagiana & Nestoriana, Anno Christi quadringentesimo, vicesimo primo, Anno Theodosij secundi decimo. Anno Honorij vicesimo quinto Carthaginensis Synodus, in qua fuerunt Episcopi ducenti decem & septem, inter quos præcipuè clarus fuit AVGVSTINVS egressus annos sexaginta, damnauit Pelagij errores.

Fuit autem Pelagius Monachus Romæ, qui doctrinam Euangelij de Lege, de Peccato, de Gratia, prorsus in Pharisaicam seu Philosophicam transformauit. Contendit non esse peccatum originis, & ho-

mines libero arbitrio posse satis facere legi Dei. Vocabulo Gratiæ dixit significari non remissionem peccatorum gratuitam, & donationem Spiritus sancti, sed ipsam doctrinæ promulgationem. Satisfieri autem legi Dei externa obedientia: Nec peccata esse prauas inclinationes, & hominem externa disciplina coram Deo iustum esse, etiam sine Spiritu sancto, & mereri remissionem peccatorum & vitam æternam: Fidem esse notitiam legis & historiæ, vt vulgus loquitur, cùm de professione vtitur vocabulo fidei. Hæc cùm sint plausibilia rationi, quæ disciplinam externam intelligit, summa huius doctrinæ omnibus temporibus latè vagata est. Apud Iudæos Pharisaica erat, postea Origenica reprehensa à Methodio viro sancto. Deinde Pelagiana, nec aliud est doctrinæ genus reipsa in Scoto & Occam & similibus.

Hæc collatio vtilis est ad iudicanda doctrinarum genera. Opposuit autem refutationem Augustinus, qui affirmat esse peccatum originis, & discernit externam disciplinam ab obedientia interiore. Concedit in homine, etiam non renato, esse libertatem seu facultatem faciendi externa legis opera, sed negat sine Spiritu sancto posse fieri interiora opera, scilicet verum timorem Dei, veram dilectionem Dei, lætitiam acquiescentem in Deo, fiduciam accipientem remissionem peccatorum. Pugnat acerrimè, ne vocabulo Gratiæ intelligatur doctrina, sed donatio Spiri-

Spiritus sancti. Extabat illis temporibus decretum illud: Impossibile est legem fieri sine gratia, quod prodest notissimum esse, & sic declaratum est, vt complectamur, & gratuitam imputationem iustitiæ, & donationem Spiritus sancti. Renati faciunt legem per gratiam, id est placent Deo, imputata iustitia propter Mediatorem, & simul Spiritus sanctus in eis incoat fidem & nouam obedientiam, quæ tamen non satisfacit legi DEI, sed placet propter Mediatorem fide.

Sunt autem discernenda tempora librorum Augustini, quia & ipsi accidit in hac causa, vt fuerint δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι. Et ipse inquit, se scribendo proficere. Quanquam autem in posterioribus libris alicubi sunt ἀκυρολογίαι: tamen certum est reipsa congruere eius sententiam cum nostris Ecclesijs, sed accedat in iudicando dexteritas & candor.

De eadem controuersia & alia Synodus Meleuitana in Aphrica fecit decreta contra Pelagium. Scripsit autem vtraq; Synodus ad Innocentium Episcopum Romanum, eumq; hortatur, vt & ipse improbet errores natos Romæ, nec propagari eos patiatur. Extant Epistolæ & Synodorum & Innocentij in libro epistolarum Augustini. Fugiens igitur Pelagius ex vrbe Roma, peruagatus est orbem, vt suffragatores quæreret, sicut factionum duces varijs modis attrahit socios. Venit Ierosolymam, vbi Hieronymus ei adhuc

viuens aduersatus est. Inde in Britanniam discessit, quæ iam defecerat à Romano Imperio. Quare tutius ibi hospitium habuit.

Hæc certamina etiam viuente Pelagio diu duráuerunt, quod indicant tot Synodi & Scriptorum tempora. Nam Hieronymus decennio ante mortem Augustini decessit. Dixi enim supra, Hieronymum Stridonensem mortuum esse in Bethlehem, Anno ætatis suæ nonagesimo primo, Anno Christi quadringentesimo viceſimo.

Extant autem nominatim contra Pelagianos Hieronymi scripta, in quibus hæc sunt verba: Tunc iusti sumus, cùm nos peccatores esse confitemur: Et iusticia nostra non ex proprio merito, sed ex Dei misericordia consistit.

Augustinus enim mortuus est anno ætatis suæ septuagesimo sexto. Anno Christi quadringentesimo, tricesimo. Regnantibus Theodosio secundo, & Valentiniano tertio, obsidente vrbem Hipponem Genserico, vbi Augustinus fuerat Episcopus annos quadraginta, inde vsque ab initio Arcadij ferè ad finem Theodosij secundi, inter magna certamina. Refutauit enim Manichæos, Donatistas & Pelagianos, & scriptas refutationes posteritati vtiles reliquit.

Mense tertio obsidionis mortuus est, sæpè deplorans non solùm Imperij ruinam, sed multò magis Ecclesiarũ dilacerationes, quia Genserichus Arianus erat,

erat, et successores magnam sæuiciam contra rectè sentientes exercuerant. Cùm igitur magnarum calamitatum spectator esset, & præuideret tristiora mala secutura esse, (Nam post Vandalicorum regum impietatem, deinde statim Africam furores Mahometici depressérunt) assiduis & ardentibus votis Ecclesiam Deo commendauit.

DE SYNODO EPHESINA.

NOn diu post AVGVSTINI mortem conuocata est Synodus EPHESINA à Theodosio secundo. Expressè enim scribitur, Theodosium literas misisse ad omnes Archiepiscopos, ac præcepisse, vt Ephesum venirent cum Episcopis, si quis non veniret, reum fore. Est autem pronunciatum de controuersia à Nestorio mota, qui cum natus esset in Syria, factus est Episcopus Constantinopoli propter facundiam. Aiunt fuisse indoctum, & sprevisse probata veterum scripta, & cùm esset iuuenis audax, loquax, & gloriæ cupidus, accidit quod in versu veteri dicitur: νέῳ φιλοδόξῳ πρώιμος πονηρία.

Dogma ipsius reipsa hoc fuit: τὸν λόγον affuisse homini Christo per assistentiam, sic enim loquitur, seu societatem, sicut affuit Heliæ & alijs Prophetis, nec fuisse duas naturas in Christo vnione hy-

postatica vnitas. Ideò solitus est dicere: Noli gloriari Iudæe. Non enim Deum crucifixisti, sed hominem. Hoc cùm plausibiliter diceretur, habuit multorum studia. Cumq; saniores, qui insidias intelligebant, aduersarentur ei, excusabant eum sui, quod certamen inter ipsum & aduersarios λογομαχία videretur. Sed reipsa nequaquam fuit λογομαχία. Etiam veteres quidam iudicauerunt eum renouare Iudaicum Samosateni dogma, etiamsi aliquantò aliter pingeret, sicut sæpe renouatum est, & existimo eum suas præstigias ad illam metam direxisse.

Ostendunt & decreta contra Nestorium facta, controuersiam fuisse de re maxima, non λογομαχίαν. Sic enim loquitur decretum: Si quis in Christo diuidens ὑποστάσεις post vnionem & dicens λόγον coniunctum fuisse homini societate seu potestate, non naturali vnione, anathema sit. Hinc & doctrina de communicatione Idiomatum tradita est. Pugnatum est de his propositionibus, loquentibus de Christo: Deus est passus, Deus est crucifixus, vt sciretur hanc personam Christum, esse Deum, nec λόγον tantùm affuisse ei, vt Eliæ & alijs Prophetis. Nominatur enim figura loquendi communicatio Idiomatum, cùm proprietas vni naturæ conueniens tribuitur personæ in concreto, vt significetur in ea persona duas naturas esse vnitas vnione hypostatica. Vetustas vsa est hac similitudine: Sicut anima & corpus

pus sunt vnum completum ὑφιστάμενον, ita, vt anima gestet corpus, quod dissoluitur ab anima desertum: Sic λόγος gestat naturam humanam, animam & corpus, sed inseparabiliter.

Extat hæc similitudo apud Athanasium, Cyrillum & Iustinum, qui tamen addit correctionem: τίνες μὲν τῶν ἑνώσιν ὡσπερ ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἄρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά γε τοῦτο. Et tamen, vt retineatur discrimen naturarum, non dicitur: Diuinitas est passa, quia vocabulum in abstracto significat naturam secundum se consideratam. Sed concreta significant personam, in qua sunt duæ naturæ.

Et hac doctrina de communicatione Idiomatum opus esse, intelligi potest ex multis dictis Christi: Antequàm Abraham natus est, ego sum. Vbicunq; sunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum. Aspicient me quem confixerunt. Talia dicta plurima obuia sunt, quæ illustrantur ex doctrina de communicatione Idiomatum.

Hæc commemoro, vt intelligi possit, Nestorij controuersiam non fuisse λογομαχίαν, etli tunc quoq; alij aliter iudicauerunt. Synodus Ephesi conuenit anno Christi quadringentesimo, tricesimo quinto, Anno Theodosij secũdi vicesimo quarto: Fuit turbulenta. Nam Cyrillus Alexandrinus Episcopus cum

suis suffragatoribus damnauit Nestorium. Iohannes Antiochenus & eius suffragatores excusarunt eum, & Cyrillo aduersati sunt. Sed Cyrillus rectissimè docuit aliter λόγον in Christo esse, aliter in Helia et alijs Prophetis. Post discessum, cùm Ecclesia Constantinopolitana probaret Cyrilli sententiam, Nestorius in loca barbarica infra Thebas Ægyptias relegatus est, vbi in exilio scribitur mortuus esse lingua consumta à vermibus. Existimo ipsum Phthiriasi extinctũ esse.

Ante Nestorij certamen, accidit Constantinopoli in templo tragicum exemplum, quod tunc quoq; multi dixerunt signum esse futuri diſsidij. Confugerant in templum aliquot serui, quibus dominus eorum atrocia minatus erat. Cumq; iuberentur egredi, gladijs repellebant homines, Tandem & interfecto sacerdote & alio vulnerato seipsos interfecerunt. Ea de re recitati sunt versus digni memoria:

Σημεῖα γὰρ τοιαῦτα γίγνεσθ φιλεῖ,
ὅταν θ ναοῖς ἐγκατασκήψῃ μίσος.

Fuit Theodosius secundus Princeps laude dignus propter pietatem, iustitiam, castitatem & modestiam. Profuit eius gubernatio Ecclesijs, in qua multa rectè egit Pulcheriæ sororis consilio, & Deus eum contra inimicos Ruffinum, Caïnam, Persas & alios Barbaros mirabiliter defendit. Protexit etiam eum

eum aduersus Attilam, à quo tamen pacem emit, data magna pecunia.

Hoc ipso tempore non multò ante mortem Theodosij mota est primùm Eutychis controuersia. In hoc postremo actu fuit incautior Theodosius, sed culpam ipse quoq; in vxorem Eudoxiam contulit, quæ fuerat æquior factioni Eutychis sicut extremus actus Constantini, cùm reuocauit Arium, fuit infelix, quem etiam mulier soror Cõstantini rexerat. Cùm autem discordia inter Pulcheriam & Eudoxiam incidisset, cessit Pulcheria, & abstimuit à consilijs gubernationis, ideo facilius fuit Eudoxiæ tueri & euehere quos uolebat.

Indicta est Synodus altera Ephesi infelix, in qua iudices armatis militibus septi fuerunt, & confirmata est Eutychis opinio factione DIOSCORI Episcopi Alexandrini. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus rectè sentiens, calcibus ex consessu expulsus, & triduo pòst mortuus est. Mortuum etiam Dioscorus pedibus calcauit. Est & THEODORETO, cuius extant scripta, ademta dignitas. Deniq; ita acta sunt omnia, vt hæc Synodus sit infamis, & nominata sit λῃστικὴ, latronum concursus.

Monet igitur exemplum, vt in conuocandis Synodis circumspecti sint Principes, & quòd Theodosio alioqui bono Principi hæc acta notam asperserunt, simus memores humanæ infirmitatis, de qua dictum

est: Non est iustus in terra, qui cum bona fecit, non etiam peccet. Item μόνα θεῷ γέρας τελεία ἀρετή. Postea Theodosius agnoscens errorem obiurgauit cõiugem, quæ simulans votum, profecta est Ierosolymam. Ita post septem annos Pulcheria in aulam reuocata est, nec diu pòst Theodosius vixit, cuius morte & Attilæ bellis impedita est cognitio controuersiæ Eutychis vsq; ad tertium annum Martiani. Quæ fuerint præstigiæ Eutychis, tunc exponam, cum de Chalcedonensi Synodo dicetur.

DE CRETENSI Mose.

IN temporibus THEODOSII extat narratio apud Socratem historicum de Cretensi Mose, quam propter Scriptoris grauitatem nolui omittere. Posse enim accidere miras impostoras, etiam nostra ætas vidit in exemplo Monasterienſi, vbi fanatici homines simularunt Enthusiasmos, & nouum regnum constituere cœperunt: Sicut & olim in oppido Phrygiæ Pepuza, fanatici homines concurrerunt, & magnam pecuniam prætextu vaticiniorum collegerunt, donec tandem MONTANVS eorum magister sibi laqueo vitam finiuit, & alij alijs casibus perierunt.

Talia exempla meminisse vtile est, ne præstigiatoribus inexplorato doctrinæ genere credatur, & vt precatio sit ardentior, vt Deus regat mentes, ne laqueis

laqueis Diaboli implicentur, sicut vidimus ipsi ingeniosos homines horribiliter euersos esse in seditione Agricolarum, & vrbe Monasterienſi.

Historia verò Cretensis hæc est: Quidam impostor simulauit se esse Mosen, cælo demissum, vt reducat Iudæos in patriam per mare. Vagatur integro anno per Cretam, & Iudæis diem constituit: Fingit vaticinia, colligit pecuniam, & tandem die constituto adducit multitudinem ad littus, vbi iubet primos desilire in mare, quorum aliqui cùm desiliissent, perierunt. Mox ad eum locum vicini nautæ properant, & aliquos recipiunt, & ad multitudinem vociferantur, ne desiliant. Ita multitudo seruata est, & impostor se subduxit. Hæc fuit occasio multis, vt relicto Iudaismo amplecterentur doctrinam Christi. Cùm autem singulis ætatibus aliqui tales sint Cretenses Mosæ, qui falso prætextu religionis tumultus excitant, commonefaciat lectores hæc historia, vt sint memores dicti: Probate spiritus, an ex Deo sint. Et cogites illud Epicharmi: νῦφε νοῦ μίμησο ἀπίσω, ἄρρα ταῦτα φρενῶν.

Anno Mundi quatermilleſimo, quadringenteſimo, decimo ſexto.
Anno Romæ milleſimo, ducenteſimo quarto.
Anno Chriſti quadringenteſimo, quinquageſimo quarto.

MAR-

MARTIANVS.

MARTIANVS Theodosio secundo in Orientis Imperio successit, cùm fuisset antea ductor exercitus Theodosij secundi in Africa contra Gensericum, & deinde in Syria contra Persas, non solùm propter militiam antecellens autoritate, sed etiam propter iusticiam & pietatem. Cùm igitur magna esset autoritas Pulcheriæ sororis Theodosij secundi, hæc Martianum iam ingressum senectam propter virtutem ad coniugium et Imperium inuitauit, sed hoc pacto, ne eam attingeret, quia iam grandiuscula moritura esset virgo. Tenuit Imperium Martianus annos sex, & menses sex. Et vt Ecclesiæ discordias sedaret, fecit & cum Persis & cum Vandalis in Africa pacem. Nam ibi olim captiuus promiserat Genserico, se, si Imperator fieret, non illaturum bellum Vandalis. Genscricus enim contemplans captiuos, viderat ei dormienti in campo, & in æstu aquilam tegere caput, ne radijs solis læderetur. Hoc spectaculo delectatus dimisit eum, præsagiens Imperatorem fore, & pactus est, ne Vandalis bellum inferret.

Anno secundo Martiani Attila victus est ad Tolosam magno prælio, vt suprà diximus. Inde egressus, cùm vires in Pannonia reparasset, Italiam inuasit capta Aquileia, Mediolanum & Ticinum diruit, & cùm Romam accessurus esset, missi obuiam LEO Roma-

Romanus Episcopus, & pars Senatus petiuerunt pacem, & supplices orauerunt, vt parceret vrbi Romæ, quæ tot excellentes viros olim genuisset, quorum virtus in toto orbe clara sit. Flectitur præter omnium opinionem Attila, & exercitum in Pannoniam reduxit. Interrogatus causam, cur subitò oratione supplicii motus esset, dixit se vidisse senem astantem Leoni Romano Episcopo specie supra humanam terribili, minitantem ei mortem, nisi supplicibus parceret. Ita etiã terribilium Tyrannorum impetum sæpe Deus frangit.

Redit inde in Pannoniam, & vt natura fuit inquieta, minitatur vicinis omnibus. Sed iam fatalis finis instabat tantæ sæuiciæ. Etsi multas habuit coniuges Attila more gentis, tamen iuuenculam ducit, quam nominant Hildico, filiam regis Bactrianorum. In ijs nuptijs, cùm et laboribus certaminum equestrium, & vino & Venere corpus eius inflammatum esset, nocte extinctus est, sanguine copioso in fauces exundante, & ex ore erumpente. Tantum enim hic euentus describitur, & Epiphonema additur: Iustum fuisse suo sanguine necari, qui tàm multum humani sanguinis hauserat. Sed aut venæ ruptæ sunt, aut apoplexia anteceßit, cum qua hæc effusio sanguinis facilè accidere potuit. Nec tantum ipsius mors exemplum est iudicij diuini, sed etiam filiorum interitus post ipsum, & regni dissipatio.

Cùm-

Conferri Monarchæ aliter alij possunt. sed in his tribus hæc similia sunt: In Alexandro, Attila & Tamerlane, quòd ex paternis regnis angustis progressi magnos exercitus duxerunt, & magna parte orbis terrarum potiti sunt, quam tamen non diu tenuerunt. Et cum essent mortui, regna variè dilacerata sunt, iuxta dictum: Summisq; negatum est Stare diu. Ac ostendunt hæc exempla, non solis humanis consilijs & viribus parari & teneri imperia: sed veram esse Danielis vocem: DEVS transfert & stabilit regna.

De annis Attilæ narrationes dissimiles sunt, sed ab expeditione, in qua in Germaniam & Galliam eduxit ex Pannonia quingenta millia hominum vsq; ad mortem, inuenio annos circiter duodecim. Prosper enim scribit Coss. Theodosio & Albino, Attilam interfecto fratre Buda solum regno potitum, multarum gentium exercitum duxisse. Hic fuit annus Christi quadringentesimus, quadragesimus septimus.

Pugna ad Tolosam, in qua victus est ab Aëtio, facta est secundo Martiani anno. Hic fuit annus Christi quadringentesimus, quinquagesimus quintus. Consumti sunt igitur anni circiter sex in vastatione Germaniæ & Galliæ, quo tempore multi sancti viri & matronæ passim interfecti sunt. Captæ & dirutæ præcipuæ urbes, Colonia Agrippina, Tungria, Argentoratum, urbs Rauracorum, Lugdunum, & aliæ multæ.

Sed urbs Aurelianensis pietate Episcopi ANIANI mirabiliter defensa est. Nam cum ab Attila frustra precatus esset, vt urbi parceret, postea veniente Aëtio sæua tempestas inter præliandum magnam multitudinem Hunnorum perdidit, ita reliquit obsidionem Attila. Deinde post pugnam ad Tolosam circiter quadriennium vixit. Mortuus est enim vinente Martiano, cui dormienti ea nocte, qua mortuus est Attila, species in somnio ostensa est fracti arcus Attilæ.

Quamquàm igitur regnum tenuit amplissimum, tamen vastationes tantùm fecit, nec constituit formam regni, nec vni ex filijs Monarchiam tradidit, nec prouincias eis distribuit. Fuit igitur Tyrannus, & cursus eius Europæ fatalis pœna fuit, & de filijs accidit quod scriptum est: Semen Impiorum peribit. Rursus enim in Pannonia Gotti regnum recuperarunt. Cum enim filij Attilæ inter se de successione circiter triennium dissiderent, Rex Gepidarum Ardaricus bellum mouit aduersus Hunnos, & trucidatis triginta millibus Hunnorum, & filio Attilæ Ellac maximo natu, potitus est regno Pannoniæ. Alter autem frater Chaba cum parte Hunnorum in veterem patriam discessit. Pars in Pannoniæ mansit, etsi regnum Gotti tenuerunt annis circiter centum, donec Hunni & Auares Iustiniani Imperatoris tempore, tunc effusi sunt in ea loca, quæ nunc Bulgari & VValachi tenent, & in vicinam Pannoniam.

Varia

Variæ mutationes in omnibus regnis acciderunt, vt sunt res humanæ instabiles. Et Deus omnium gentium peccata mutationibus imperiorum & vastationibus punit, sed propter regionis fertilitatem & opportunitatem præcipuè in Pannoniam sæpe infusæ sunt peregrinæ gentes.

Hoc igitur loco facta insigni mutatione post Attilam, aliquid de veteribus appellationibus inserere volui. Notissimum est vocabulum Cethim, vnde nomen est μακέτης, *id est, Macedo, & Liber Maccabæorum ait Alexandrum egressum esse ex terra Cethim. Hodieq; fluuius diuimens Macedoniam & Illyricum nominatur Chetim. Quæ autem & vbi sit Macedonia, notum est.*

Fuerunt autem vicini Macedonum Thucydidis tempore Pœones ad Strymonem, & significatio vocabulorum eadem est. Nam Pœon Græcis idem est, quod Hebræis Chetim, quod significat percussores. Alij nomen Pœon fecerunt à Pæan, quod vetustis est carmen triumphale, aut est nomen patris Philoctetæ qui fuit Herculis comes.

Siue igitur à victorijs, siue ab Herculis comite nominati sunt Pœonij, nomen esse antiquissimum testantur Homerus, Euripides & Thucydides. Et quia vox Græca est, coloniam esse Græcam apparet. Cùm verò paulatim à Strymone progressi sunt ad Istrum, deinde nominata est Pannonia voce aliquantulùm deflexa à Pœonia. Cumq; strips fuerit Græca, vrbes vete-

teris Pannoniæ magis ornatæ fuerunt legibus, ædificijs, disciplina, quàm aliæ vicinæ. Post prædicationem Apostolorum, citò etiam Ecclesiæ ibi cõstitutæ sunt, & studia Græcæ linguæ ibi floruerunt. Nam Irenæus Episcopus in Syrmio, supplicio affectus est. Fuisse autem Thucydidis tempore Getas vicinos Pœonijs manifestum est, & Alexander cum Getico rege Syrmo bellum gessit, inde Syrmium denominatum esse à Syrmo, consentaneum est.

Diu autem Romani Pannoniam defenderunt contra vicinos Getas & Dacos, donec tandem Valentis Imperatoris tempore Getæ victores Pannoniam occuparunt. Et eosdem esse Getas & Gottos non dubium est. Vetustior autem sedes Getarum in Asia quæ fuerit, ex Herodoto intelligi potest.

Valentiniani III. tempore Attila Hunnos in Pannoniam adduxit, & latè regnauit, cui & Gotti parere non recusarunt. Vbi autem veteres Hunni fuerint, ex Plinio intelligi potest, qui collocat eos apud Tocharos, qui Bactrianis vicini fuerunt. Sonus vocabuli certè congruit cum verbo Chana, quod est, castra posuit. Inde potest esse Hunni, quasi castra ponentes. Sed tertio anno post Attilæ mortem Gotti rursus potiti sunt regno Pannoniæ. Nam Gepidæ, qui nunc sunt Sepusij, pars fuerunt Gottorum. Fuit autem Ardaricus, qui filium Attilæ vicit, Rex Gepidarum.

Post annos centum, tempore Iustiniani, redierunt Hunni, & adiuncti eis fuerunt Auares, qui occuparunt Thraciam & vicinas regiones & Pannoniam. Fuerunt autem Auares Hunnorum vicini, ex ea regione, quæ hodie retinet nomen Iura, vltra Moscouiam. Et nomen Vngari vsurpari cœpit, compositum ex Hunis & iura, sicut apud Iornandem scribitur Hunniuar, quod Hunni & Auares mixti fuerunt.

Etsi autem tunc Longobardi Noricum & vicina loca tenuerunt, tamen inde citò discesserunt, & Vngari possessionem regni tenuerunt inde vsq; à Iustiniano ad Regem Matthiam annos circiter octingentos. Interea magna bella cum Bulgaris, postea cum Longobardis in Italia, deinde cum Germanis post Arnolphum Imperatorem, tempore Henrici Aucupis, & deinceps gesserunt, sed tamen possessio Pannoniæ penes Hungaros mansit, qui recens circiter centum annos, Deo iuuante, fortiter represserunt Turcos, ac velut murus reliquæ Europæ aduersus eos fuerunt. Quòd verò quidam narrant Carolum potitum esse Pannonia, & coloniam eò deduxisse, manifesta fabula est. Sed Teutonicam linguam retinentes, ad Carpatum, & in vicinia, reliquiæ sunt Gottorum veterum.

Hæc breuiter hîc recitaui, vt series rerum Pannonicarum aliquo modo in conspectu esset.

Vt

Vt autem Ardaricus vicit filium Attilæ Ellac: Ita circa Budam Vallemir rex Gotticus vicit alium filium Attilæ Dincionem. Reliquit autem hæredem fratrem Theudomir, cum quo summa concordia vixerat. Is Theudomir pater est Theodorici Veronensis, vt nos nominamus, qui à Zenone in Italiam missus Odoacrum oppressit, & Italiam rexit annos triginta tres.

QVO TEMPORE CONDITA SIT VRBS VENETA IN SINV Maris Adriatici.

GEntem Henetam vicinam fuisse Phrygiæ, manifestum est ex Homero & Apollonio. Ea regio postea dicta est Paphlagonia à Paphlago Phinei filio. Deinde Galatis in ea regione sedes datæ sunt, quos in Asiam attraxit ANTIOCHVS Hierax inter Phrygiam & Chalybes, qui venas ferri & argenti habuerunt, vnde nomen fuit Alybe, ab Hebræa voce Iobel, quod propriè significat Metallum. Ex vote autem Alybe factum est nomen CHALYBES.

Mentionem facit Henetorum & Herodotus, sed tunc cum tenuerunt littus maris Adriatici. Consentaneum est autem vetustiorem sedem fuisse, quam tenuerunt belli Troiani tempore prope Phrygiam. Ac narrant post bellum Troianum ab Antenore ad si-

num maris Adriatici Henetos ductos esse, fortassis idem duxit eos in vicinam Illyriam.

Ptolemæus scribit Henetos esse maximam gentem Sarmatiæ. Compleuerunt enim magna spacia, quæ nunc nominantur Russia & Polonia. Inde & ad littus maris Baltici effusi sunt, Vnde Ptolemæi tempore nomen fuit vsitatum sinus Venetici.

Nomen HENETI prorsus vt sonat significat Hebræis vagabundos seu νόμαδας, qui latè protesserunt. Non poterant autem sine consilio, iusticia & fortitudine tàm latè dominari & regna constituere. Hæc de vetustate & virtute gentis Henetæ considerentur.

Cumq; linguæ discernant gentes, comprehendo appellatione Henetorum nationes, quæ linguam retinent, cuius hodie vsus est apud Henetos sparsos ad sinum maris Adriatici, qui & nunc appellantur Veneti. Retinent nomen & Heneti in littore Arctoo, lingua illa vicina mari Adriatico vtentes.

Quanquàm autem in Dialectis exigua dissimilitudo est: tamen eandem esse originem harum gentium consentaneum est, Illyricæ, Polonicæ & Boiemicæ, & nostrorum Henetorum, & alibi loquentium eadem lingua.

Nominabatur autem olim tota regio in littore Sinus Adriatici VENETIA, videlicet circa Patauium

tauium & Vincentiam. Et scribit Polybius, in eo littore aliam esse linguam, quam sit alibi in Italia.

Cùm autem ATTILA obsideret Aquileiam, & magnas vastationes in vicinia faceret, multi homines nobiles & honesti, sperantes se tutos fore in aquis occuparunt in vicino mari locum, qui adhuc vocatur Riuus altus: & cumulata arena, domos extruxerunt, & vrbi nomen VENETIÆ à vicina regione indiderunt.

Incoatam esse ædificationem scribunt anno Martiani tertio, videlicet anno Christi quadringentesimo septuagesimo sexto. Ac singulari felicitate vrbs adeò creuit, vt multis seculis vnica sit vrbium Regina in toto genere humano, antecellens cæteris omnibus, forma gubernationis optima, excellentia artium & gloria rerum gestarum.

Anni sunt autem ab incoatione asq; ad hunc annum Christi 1559. mille, octoginta tres. Tot annis nunquam in externi hostis potestatem venit, etsi multa bella varia fortuna gesserit, in quibus sæpe victrix multarum Insularum & vrbium domina facta est.

DE SYNODO CHALCEDONENSI.

ANNO secundo Martiani Synodus conuenit in vrbe CHALCEDONE, quæ è regione Byzantij sita est, in qua sexcenti & triginta Episcopi fuerunt, edicto Martiani Imperatoris conuocati, qui

& ipse Disputationi interfuit, ne seditiosis tumultibus facultas dicendi sententias impediretur. Et verba Martiani recitantur distinct. 96. *Nos ad confirmandam fidem, non ad ostendendã potentiam, exemplo Constantini Imperatoris pij Synodo interesse volumus, vt inuenta veritate dissidia tollantur.*

Dictum est autem suprà, non multò ante Theodosij Secundi mortem, conuocatam fuisse Synodum alteram ad Ephesum, quæ propter necem Flauiani & alias seditiones ibi motas, nominatur λῃστικὴ *Synodus. Ibi cum Eutychis factio impediret cognitionem, creuerunt postea discordiæ. Statim igitur Martianus post mortem Theodosij doctrinam Eutychis cognosci voluit, & piam concordiam restitui.*

Fuit EVTTCHES *Monachus Constantinopoli eo tempore, quo fuit ibi Episcopus* NESTORIVS, *quem cùm damnatum esse sciret, quòd contenderat* λόγον *tantùm assumsisse homini Christo tanquàm socium, vt assumsit Eliæ & alijs sanctis, ipse Eutyches postea ad contrariam hyperbolen delapsus, confusionem naturarum finxit: Dixit naturam humanam conuersam esse in* λόγον. *Nec tribuit proprietates suas cuiq; naturæ: sed contendit* τὸν λόγον *mortuum esse, & naturam humanam esse ipsam* τοῦ λόγου *naturam. Deniq; vniuersam doctrinam Ecclesiæ de communicatione Idiomatum deleuit. Extant acta Synodi apud Nicephorum.*

Vtile

Vtile est autem pijs, tenere aliquas illustres refutationes errorum, quæ sunt accuratè scriptæ à Theodoreto, qui cùm in Synodo, quæ λῃστικὴ *nominatur, officio Episcopi iniustè spoliatus esset, nunc in Chalcedonensi restitutus est. Is rectè scribit duas in Christo nato ex virgine naturas esse,* λόγον, *et assumtam naturam humanam, & vtramq; retinere suam proprietatem, nec faciendam esse confusionem naturarum. Verè natura humana est, non spectrum, assumta à* λόγῳ, *nec est ipsa natura humana assumta* τοῦ λόγου, *vt & Petrus distinxit naturas 1. Pet. 4. Cùm Christus passus sit pro nobis carne. Et in actis cap. 2. Non relicta est anima eius in inferno, nec caro eius vidit corruptionem. Et Lucæ 24. Spiritus carnem & ossa non habet.*

Hæc & similia testimonia sint in conspectu, quæ perspicuè affirmãt verè humanam naturam in Christo esse, & simus memores dicti Iohannis in Epistola: Omnis Spiritus, qui non fatetur IESVM CHRISTVM *in carne venisse, ex Deo non est.*

Ibi enim Theodoretus narrat, quomodo vetustas de humana natura locuta sit, citata sententia Irenæi: Quiescente λόγῳ *in crucifixione & morte. præsente tamen apud humanam naturam in perferendo & resurgendo:* ἐν τῷ ὑπομένειν καὶ ἀναστῆσαι, ἡσυχάζοντος τοῦ λόγου ἐν τῷ σαρκοῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν, *Sic & Athanasius loquitur in libro*

incarnatione Verbi: Cùm non esset possibile ipsum meri λόγον, quippe immortalem patris filium, corpus quod mori posset, accepit.

Sic vetustas locuta est, & tamen retinet hos modos loquendi in concreto de persona: Christus mortuus est. Et de Christo: Deus mortuus est, vt significetur, hanc personam Christum, verè Deum esse: Ac Nestorij impietas refutetur, qui fingebat τὸν λόγον adesse Christo vt socium, sicut omnibus sanctis adest. Latini nominarunt hanc loquendi formam communicationem Idiomatum, de qua Theodoretus ait: κοινὰ τὸ προσώπου γέγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια.

Tandem post longa certamina Martianus perfecit, vt decretum communi consensu plurimorum fieret, in quo primùm omnes testati sunt, se amplecti Nicenæ Synodi Symbolum. Deinde damnata sunt dogmata Nestorij & Eutychis.

Hic labor Martiani etsi multis profuit, tamen non vbiq; extinxit dissidia. Sed in vrbe Ierosolyma mulier inquieta Eudoxia vidua, quæ fuerat Theodosij Secundi vxor, fouebat reliquias factionis Eutychianæ.

Aliquantò pòst, cum contra Zenonem Imperatorem BASILISCVS seditionem mouisset, vt armaret se multorum Episcoporum fauore, publicè edictum proposuit, quo Acta Synodi Chalcedonensis prorsus

prorsus damnauit. Huic edicto subscripserunt Episcopi plures quingentis. Fuit & huic Basilisco incitatrix vxor.

Miror autem rabiem ingeniorum, quòd tanta fuit pertinacia in manifesta absurditate, videlicet in hoc prodigioso errore, quòd non humana natura, sed diuina mortua fuerit.

Vt autem Nestorius rectè Samosateni impietatem restituit: Ita suspicor Eutychen idem voluisse, etiamsi aliter pinxit suum dogma. Sed Basiliscus breui pœnas dedit sui furoris. Captus enim à Zenone missus est cum vxore & alijs quibusdam in carcerẽ, vbi in magno frigore & fame captiui se mutuò complexi, & deplorantes suam calamitatem extincti sunt.

VANDALORVM SÆVICIA IN AERICA.

CVm initia sæuiciæ Vandalorum in Martiani tempora incidant, breuiter hìc complectar seriem regni, quod in Africa VANDALI tenuerunt annos nonaginta quinq;. Numerat Plinius Vandalos inter Germanos in littore maris Germanici, vbi nunc Megelburgenses & Pomerani sunt. Non dubito autem Vandalos ex Heneta stirpe esse, sed credibile est, cùm vicini crebra inter se bella gesserint Heneti & Germani, vsq; ad recentia tempora, aliàs alios victores fuisse, & partem Henetorum linguam &

leges Germanicas accepisse. Eam partem existimo Vandalos à Plinio nominari.

Cùm autem linguæ discernant gentes, facilè intelligi potest, aliam esse gentem Henetam, aliam Teutonicam, & adhuc in eo littore gentes quædam Heneta lingua loquuntur. Et arbitror non recens in ea loca venisse Henetos, sed olim cum Getis & Dais, paulatim progressos esse.

Dion scribit fontes Albis esse in Vandalicis montibus. Diu igitur diuersæ gentes ibi fuerunt in ea regione, quæ habuit Boiemiæ nomen. Boij, Marcomani & Heneti. Boij significat aduenas, Marcomani limitaneos, Heneti latè vagantes.

GENSERICVS I. VANDALORVM REX.

ANNO quadringentesimo, tricesimo quarto, cùm de Hispaniæ possessione inter sese Gotti & Vandali dimicarent, GENSERICVS Rex Vandalorum impar Gottis, inclinatus à Bonifacio Duce Valentiniani, adduxit in Africam quinquaginta millia Vandalorum. Et occupata parte Africæ concedente Bonifacio, deinde Hipponem, Carthaginem & alias vicinas vrbes fraude & armis cepit. Vexauit Siciliam. Populatus est vrbem Romam & Campaniam Martiani tempore. Post Carthaginem captam tenuit regnum annos triginta septem, vir astutus, intentus in occasiones varias, fœdera faciens & violans pro

pro opportunitate. Interdum victus, arte se rursus erexit: Penè Sertorio similis. Regnum in aliena terra non magnis copijs adeptus. Addictus Arianis, expulit Episcopos rectè sentientes.

HONORICVS II.

HONORICVS successit Genserico, anno Christi quadringentesimo sexagesimo sexto. Tenuit regnum annos septem, Cuius tempus insigne est ingenti crudelitate regis, fame & pestilentia Africæ, & tetro exitu Tyranni. Honestas matronas & virgines nudatas suspendit, facibus vssit corpora, præcidit mamillas & brachia nolentibus assentiri Arianæ impietati. In ipso supplicio DIONISIA matrona nobilis filium vnicum MAIORICVM raptum ad necem confirmauit inquiens: Memento fili, te in nomine patris, & Filij & Spiritus sancti baptisatum esse.

Cùm talibus supplicijs & exilijs multa millia hominum sustulisset Honoricus, secuta est sterilitas propter siccitatem, in qua & homines & pecudes fame perierunt, & latè vagata est pestilentia, in qua & φθειρίασθ regis corpus ita putrefactum est, vt alia membra post alia deciderint. Vxor Eudoxia filia Imperatoris Valentiniani, mater Hilderici pij regis, discessit à marito tanquam voti causa Ierosolymam proficiscens, vbi in lachrymis & precatione vixit.

III. REX.

III. REX.

GVNDAMVNDVS *natus ex fratre Honorici succeſsit, qui regnum tenuit annos duodecim, exercuit & hic ſæuiciam aduerſus rectè ſentientes.*

IIII. REX.

THRASIMVNDVS *regnauit annos vigmti ſeptem, qui quanquam erat Arianus, tamen ſæuitiam non exercuit.*

V. REX.

HILDERICVS *natus ex Eudoxia rectè ſentiens, reſtituit Eccleſias in Africa. Tenuit regnum annos ſeptem. Sed per ſeditionem à Gilimero captus eſt, & aliquantò poſt necatus.*

VI. REX.

GILIMER *natus ex fratre Honorici fuit audax & peritus rei militaris, mouit ſeditionem aduerſus Hildericum, quia Vandali eum oderant diſſentientem ab Arianis. Capto igitur Hilderico & filijs, & quibuſdam cognatis eius, regnum tenuit Gilimer annos quinq. Hildericum etiam poſtremo anno interfecit.*

Quia

Quia verè Iuſtiniano cum Hilderico fœdus erat, liberare captum ſtudebat. Sed cùm Gilimer ſuperbè reſponderet, & multi in Africa defenſionem contra impium & crudelem regem peterent, miſit eò Iuſtinianus ducem Beliſarium, excellentem iuſticia, ſcientia rei militaris, fortitudine, beneficentia, & modeſtia. Huic, cùm primo prælio vicisſet Gilimerum, Carthaginenſes vltrò vrbem patefecerunt. Poſtea fugientem Gilimerum ex alijs locis in alia & in ſolitudines, coëgit Beliſarius fame, vt ſeſe dederet, & duxit eum captiuum Conſtantinopolim, vbi cùm in Triumpho Beliſarij ſupplex ad Iuſtinianum duceretur, cogitans fortunæ vices in hac calamitate, in quam ſenex inciderat, hæc verba edidit: Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas.

Ita pœnas dedit Gilimer crudelitatis, quam exercuerat aduerſus Hildericum & multos alios. Et ſimul cum eo reliquiæ Vandalorum in Africa deletæ ſunt, quam tenuerant Vandali annos nonaginta quinque. Ac rurſus Africa Romanorum prouincia facta eſt vſq; ad Heraclij tempora. Poſtea eam Saraceni inuaſerunt.

Fuit autem IVSTINIANVS *beneficus erga Hilderici filios & nepotes, & eis in Thracia dedit Prædia & victum. Sed Gilimerum longius in Galliam relegauit.*

Hanc

Hanc seriem Regni Vandalici in Africa breuiter hîc comprehendere volui, vt tota in conspectu esset, etiamsi posteriora bella ad sequentium Imperatorum tempora pertinent.

Anno Mundi quatermillesimo, quadringentesimo, vicesimo tertio.

Anno Romæ millesimo, ducentesimo, vndecimo.

Anno Christi quadringentesimo, sexagesimo primo.

DE LEONE.

Leo natus in Thracia, factus est ex Tribuno militari Imperator Constãtinopoli, Senatus & exercitus suffragatione, Coronatus ab Anatolio Patriarcha. Atq; hunc primum inuenio à Patriarcha coronatum. Nec verò coronatio seu Patriarcha dedit Imperium, sed testis fuit, eum qui electus erat, Christianum esse, & alienum esse à falsis dogmatibus, Eamq; ob causam professio doctrinæ ante coronationem petebatur, vt postea in Anastasij Imperatoris coronatione dicetur. Tenuit Imperium Leo annos septendecim. Princeps iustus, & eò vtilis, quia cùm ipse alienus esset à falsis dogmatibus, Ecclesiæ minus turbatæ sunt, nec Episcopi rectè sentientes ex suis sedibus expulsi sunt.

Fuit

Fuit autem tunc magna potentia duorum Principum, qui quanquam Gotti erant & Ariani: tamen inter Patricios asciti fuerant, Asparis & Ardaburij, quorum suffragatione præcipuè adiutus erat Leo. Sed hi cum postea insidiarentur vitæ Leonis, ac dicerent: φάγομεν τὸν Λέοντα, πρὶν ἂν τὸν ἡμᾶς ἔχισῦσαι, *iussu Leonis interfecti sunt.*

Iam verò in Occidente ruere Imperium Romanum cœperat. Franci magnam Germaniæ & Galliæ partem tenebant. Ostgotti Pannoniam, VVestgotti Hispaniam, Gensericus Africam. In Italia multi imperatores creabantur, qui nec diu tenebant Imperium, nec exercitus magnos habebant. Cumq; verum sit illud Homeritum: οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη *mox post Leonis mortem inuasit Italiam Odoacer Rugianus, & crudeliter in ea grassatus est annos quatuordecim, vt postea dicetur.*

Voluit autem Deus in Oriente aliquantisper adhuc durare Romani Imperij formam, quod complectebatur Thraciam, Macedoniam, Græciam, Illyricum, minorem Asiam, Syriam & Ægyptum. Fuitq; Leonis gubernatio mediocriter tranquilla.

At in Italia interfecto Valentiniano, Maximus vt supra dictum est, inuasit Imperium, qui fugiens Gensericum captus, discerptus & in Tiberim abiectus est, mense Imperij secundo.

Post

Post hunc Senatus creauit Imperatorem AVITVM, cum quo Martianus fecit fœdus. Nondum finito anno cœpit Auitum Richimer Gottus apud Placentiam, & deponere eum Imperium coëgit. Interea Rauennæ MAIORANVS, cuius virtus laudatur, Imperator factus est, Cumq; bellum Vandalis in Africa inferret, tertio imperij anno mortuus est. Successit Rauennæ SEVERVS, qui Romæ tertio Imperij anno veneno extinctus est.

Misit igitur Martianus ANTHEMIVM Generum in Italiam, vt imperium Occidentis teneret. Hic Collegam fecit generum Richimerum Gottum, qui vt Arianis in vrbe Roma traderet Ecclesiam, cum Socero id prohibente in ipsa vrbe Roma dimicauit, & victor Socerum interfecit anno Imperij quarto, & bona ciuium diripuit. Quadragesimo autem die post Soceri mortem, morbo extinctus est Richimer parricida.

Tales confusiones accidunt ruentibus Imperijs. Agnoscamus igitur non durare Imperia, nisi Deo conseruante, & petamus à Deo salutares gubernatores.

Richimero successit OLYBRIVS, missus à Leone Romam, quia adfinitas Imperatorum ei autoritatem addebat. Habuit enim vxorem Placidiam filiam Valentiniani, Sed septimo Imperij mense mortuus est.

Post

Post hunc à militibus Rauennæ Imperator factus est GLICERIVS, cui, cùm non totum annum regnasset, eripuit Imperium IVLIVS Nepos, & fecit eum Episcopum in Dalmatia. Cùm autem Iulius Nepos Orestem fecisset Magistrum militum, hic ORESTES instructus exercitu Imperatorem fecit Rauennæ filium adolescentem, qui nominatur AVGVSTVLVS, ac fœdus fecit cum Vandalis in Africa.

Iam autem ODOACER Rugianus exercitum in Italiam abduxerat. Vt igitur defenderet Italiam Orestes, contra eum ad Ticinum vsq; exercitum ducit. Ibi robur Italiæ extinctum esse scribitur. Orestes victus fugit in vrbem Ticinum, qua expugnata Odoacer Placentiam adduci Orestem iussit, ibiq; eum spectante exercitu interfecit. Vrbes vicinæ conspernatæ deditionem fecerunt. Augustulus fugiens Imperio se abdicat, quod circiter annum vnum tenuerat, ac deinde in Campania priuatus vixit tanquàm exulans.

Hic finis fuit Imperatorum Italicorum, Anno Christi, quadringentesimo, septuagesimo quinto, cùm adhuc Leo Constantinopoli viueret.

Odoacer autem Romam ingressus regem se vrbis Romæ & Italiæ nominauit, & triumphans

in Capitolium ascendit. Magnæ cædes & direptiones in vrbe Roma & alibi factæ sunt. Agrorum tertiam partem suis attribuit, ac regnauit annos quatuordecim. Misit enim ZENO Theodoricum Gotticum Regem in Italiam tanquam Vicarium seu socium, qui duobus magnis prælijs Odoacrum occurrentem vicit, altero ad Aquileiam, altero ad Padum. Victus Odoacer fugit Rauennam, vbi triennio circumsessa vrbe, multa prælia facta sunt, donec tandem Odoacer à Theodorico Gottico rege interfectus est. Ac respondit euentus voci, quam in Apennino audierat Tyrannus Odoacer: Vade pellite, non enim redibis.

Anno Mundi quatermillesimo, quadringentesimo, quadragesimo primo.
Anno Romæ millesimo, ducentesimo, vicesimo nono.
Anno Christi quadringentesimo, septuagesimo nono.

ZENO gener Leonis regnare cœpit. Tenuit Imperium annos septendecim. Natus in Cilicia obscuris parentibus, Ductor exercitus sub Leone, raro exemplo à suo factus Imperator: Nam Leo Imperatorem fecerat Leonem Secundum, natum ex Zenone genero & Ariadna, quæ fuit filia primi Leonis. Moriturus autem filius Imperatorem

torem fecit patrem. Præcipuè memorabilia in eius Imperio hæc acciderunt: Basiliſci seditio, Theoderici Gottici regis in Italiam expeditio, & mors ipsius Zenonis.

Primùm igitur pauca de Basiliſco dicam, qui fuit frater socrus Zenonis. Hæc absente Zenone in Cilicia Imperium in fratrem transtulit, qui vt confirmaret vires, adiunxit sibi factionem Episcoporum, qui aduersabantur Synodo Chalcedonensi, vt sæpe religio prætexitur prauis cupiditatibus. Episcopi rectè sentientes ex suis sedibus pulsi sunt.

Hæc cùm fiunt, redit Zeno, ac duces Basiliſci obuiam missi defecerunt ad Zenonem. Quo reuerso in vrbem Byzantium, Basiliſcus fugiens in Templum, quod polluerat, inde eductus & captus, & cum vxore in exilium missus est, vbi cum frigore & fame morituri essent, complexi se mutuò Basiliſcus & vxor & cognati aliquot, calamitatem suam deplorauerunt.

Hic fuit exitus seditioſi hominis, & qui factionem impiam confirmauerat, vt regno potiretur.

Priusquàm verò ad Gotticas res in Italia gestas accedo, de morte Zenonis dicam. Scribunt eum crapula extinctum esse: Narrant autem ab vxore, temulentum, adhuc viuentem, in sepulchrum inclusum esse, atq; ita necatum.

Anno Mundi quater milleſimo quadringenteſimo, quinquageſimo quinto.

Anno Romæ milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo tertio.

Anno Chriſti quadringenteſimo, nonageſimo tertio.

DE THEODORICO GOTTICO REGE, ET GOTTORUM regno in Italia.

THEODORICVS Rex Gotticus, qui Pannoniam tenuit, miſſus à Zenone in Italiam, quam tenit annos triginta tres, Adoleſcens fuit obſes apud Martianum & Leonem, vbi Romana diſciplina inſtitutus eſt, & poſtea ad paternum regnum remiſſus, ſocius Romani imperij fidelis fuit. Conſideretur autem, quo patre natus ſit.

Regnum Pannoniæ Gotti tenuerunt ante Attilam, ſed Attilæ potentiæ cedentes, donec is vixit, in ſeruitute fuerunt. Cùm autem filij Attilæ poſt eius mortem diſcordes eſſent, tres fratres Gottici recuperarunt Pannoniam: VVALAMIR, THEODMIR & VVIDEMIR. Inter hos primus regnauit VValamir, maximus natu, cùm Attilæ filios aliquot prælijs ſuperaſſet, ipſe deinde in prælio, quod cum Sueuis fecit, in ea regione, quæ nunc eſt Auſtria, perijt.

Deinde

Deinde regnauit THEODMIR. Hic pater Theodorici huius, quem nominamus Veronenſem, fuit, & victores Sueuos & Alemanos à Pannonia depulit.

Tertius frater VVIDEMIR, duxit exercitum in Italiam, ibi mortuus eſt. Quia verò Theodoricus abſente patre Sarmatas, qui Gottorum & Romanorum terras populati fuerant, repulerat, Zeno Imperator eum ad ſe vocat, & facit eum Patricium & Conſulem. Ac miſit eum in Italiam contra Odoacrum Rugianum, quem duobus magnis prælijs vicit, & deinde cùm Rauennam triennio obſedisſet, interfecit. Potitus Italia vrbem Romam Senatui regendam commendauit. Sui regni arcem Rauennam eſſe voluit. Seditiones Romæ ortas propter electionem Pontificum ſedauit. Et extat in Græco ſcriptore laudatio ingenij & iuſticiæ eius: δικαιοσύνης ὑπερφυῶς ἐπεμελήσατο ξυνέσεώς τε ἀνδρείας τε ἀκρότης ἐλάλυθεν. Sed poſtremus eius actus cruentus fuit. Iohannem Romanum Epiſcopum, quia Arianis templa tradere nolebat, carceri incluſit. Nam & ipſe Theodoricus, vt pleriq; Gotti, Arianus fuit. Hic Iohannes Epiſcopus in carcere mortuus eſt.

Cùm magna autoritas Romæ duorum Senatorum eſſet, Symmachi & Boëtij, qui gener

Symmachi fuit, euocauit eos Ticinum, & diu captiuos tenuit, quia aliquibus eius decretis aduersati fuerant: Et vt ego existimo, quia impedierant, ne Arianis Ecclesiæ traderentur, & bona eorum publicauit, & tandem ipsos interfici iussit. Hanc iniustam crudelitatem hæc pœna secuta est: Non multò post eorum necem, cùm cœnanti propositum fuisset in mensa grande caput piscis, visus est sibi cernere caput Symmachi horribili victu, et flammeis oculis minitantis ipsi. Subitò igitur consternatus & tremens iussit se in lectum collocari, & accersito medico ELPIDIO narrauit amicis terribilem illam Symmachi speciem conspectam, & in deploratione sceleris sui paulò post extinctus est.

Gregorius Pontifex scripsit, quendam in solitudine in Insulis Æolijs viuentem vidisse dejci Theodoricum in illarum Insularum voragines, quæ ejciunt globos flammarum sicut Ætna.

Extant scripta Boëtij de præcipuis disciplinis, ex quibus iudicari potest, fuisse eum omnium Romanorum, quorum reliqua sunt scripta, eruditissimum. Ad hoc decus addidit & veræ doctrinæ de Deo professionem, & vtiliter scripsit de discrimine naturæ & personæ. Et hortandi sunt studiosi, vt eius libros legant. Coniugem eius filiam Symmachi scribit Procopius Totilæ tempore

pore inter cæteros mendicos Patricios victum mendicando collegisse. Hunc autem Symmachum Boëtij Socerum multò recentiorem esse Lector sciat illo superiore Symmacho, qui Theodosij tempore contra Christianos scripsit, & cui respondet Ambrosius.

Habuit autem coniugem Theodoricus filiam regis Francici Ludouici, cuius nomen fuit, ADELHEDA, quod aut est ἀλήθεια, aut Germanicum à nobilitate dictum.

Sororem habuit Amelfredam, quam Regi Vandalorum in Africa despondit. Huius filiam Amelbergam dedit Regi Turingorum Hermanfrido. Filia vero Theodorici fuit Amalosuntha. Hæc nomina putant alij à cœlo dicta esse, quasi Himelfried, Himelschönheit, Sed verius est, esse à dictione Hamel, quod est agnus seu aries. Id enim nomen fuit familiæ Theodorici, quæ sic à vellere Iasonis dicta est. Inde enim Gotti ex Colchica in Europam progressi fuerant, vt adhuc in Taurica Chersoneso Gotti sunt, nostra lingua loquentes. Erit igitur Etymologia Amalosunthæ, Amalorum schönheit.

Hanc filiam suam Theodoricus despondit Eutarico VViderici Hispanici regis filio, qui etiam ex familia Amalorum fuit. Ex his parentibus Eutarico & Amalosuntha natus est Atalaricus, qui

orbatus patre succeßit Theodorico in regno Italiæ, natus annos octo. Sed mater excellens prudentia & virtute aliquandiu iuſtè & feliciter gubernauit. Decreta extant filij nomine de Eccleſiarum libertate, & Canonica Epiſcoporum electione, & ſtipendijs docentium in Scholis.

Offendit autem Gottorum voluntates duabus rebus: inſtitutione filij, quem literas doceri voluit, & iuſticia, qua licentiam Ducum & militum coercebat, ne ciues in Italia iniurijs afficerent. Permiſit autem mater, vt filio tres ex Gotticis Principibus præficerentur, qui & adoleſcentem ad militaria exercitia aſſuefacerent, & conſilia publica regerent. Hi plus licentiæ in ocio & adoleſcenti & militibus permiſerunt. Sed adoleſcens, dum voluptatibus indulget, mortuus eſt, poſtquàm annos octo cum matre regnauit.

Mater deinde tres illos gubernatores filij interfici curauit, & vt ſe muniret, Theodatum Gottum ſibi ad regni ſocietatem adiunxit, & cum Iuſtiniano Imperatore fœdus facit. Prætulit autem cæteris Amaloſuntha hunc Theodatum, quòd & natus erat ex Amalfreda ſorore Theodorici, & rexerat Hetruriam, & exiſtimabatur propter ſtudia doctrinarum, quia Platonicus haberi voluit, fore iuſtior: Sed longè eam fefellit opinio. Nam auaricia generis nobilitatem

tatem in eo dedecorabat, & naturæ prauitatem in eo non emendauerant literæ, iuxta dictum: Sincerum eſt niſi vas, quodcunq; infundis, aceſcit. Imponebat Italiæ iniuſta tributa, & multos excutiebat ex facultatibus, qualicunq; prætextu circumuentos calumnijs.

Hanc iniuſticiam cùm reprehenderet Amaloſuntha, incluſit eam in carcerem. Ibi aliquantò pòſt fraude Theodati interfecta eſt, qui tamen non multò pòſt Ingratitudinis pœnas dedit, iuxta dictum: Non recedet malum à domo ingrati.

THEODATVS regnauit duos annos poſt necatam Amaloſunthan, auarus, inſolens in rebus ſecundis, in aduerſis timidus. Cùm bellum ei inferret Iuſtinianus propter necem Amaloſunthæ, initiò trepidus Italiam ſe ei traditurum eſſe promiſit. Sed cum in Illyrico diſſipatus eſſet Iuſtiniani exercitus, elatus noua ſpe, Legatos Iuſtiniani retinet incluſos carceri. Ibi verò Iuſtinianus Beliſarium, cuius virtus & felicitas iam cognita erat multis gentibus cùm & in Oriente Perſas vicciſſet, & recens deletis Vandalis Africam recepiſſet, miſit in Italiam. Hic recuperata Sicilia ingreſſus Italiam, primùm obſedit Neapolin, in qua, etſi vi eam ceperat, tamen ſeuerè præcepit, ne ſæuicia exerceretur in ciues, eorum con-

iuges & Liberos, iussitq; cines domos & res suas tenere. Et quidem hac vsus oratione ad milites scribitur: Diumitùs se potitum esse vrbe, quæ putabatur inexpugnabilis, & Deo hanc gratiam referendam esse, ne quid crudeliter aut libidinosè fieret. Pepercit & Gottico præsidio, cui concessit, vt fide publica tuto discederet.

Interea Romæ erat Gottorum Rex Theodatus, qui seu metu, seu spretus à suis, non parabat se aduersus peritissimum hostem. Itaq; Gotticus exercitus vicinus vrbi Romæ iratus Theodato creat regem VITIGEM virum bellicosum, qui feliciter duxerat exercitum Theodorici tempore. Cognita noui Regis electione ex vrbe Roma fugit Theodatus Rauennam concessurus, quem Optares iussu Vitigis fugiente interfecit. Cupidius enim Optares mãdatis Vitigis paruit, quia coniugem ei ademerat, eamq; alteri pecunia corruptus tradiderat. Ita pœnas dedit Theodatus, cùm aliorum scelerum, tum ingratitudinis erga Amalosuntham. Venit Romam Belisarius, & eam magnis operibus munijt.

VITIGES quartus Rex Gottorum regnauit annos quinq;. Ac belli Gottici epitasis in huius Vitigis, & deinde Totilæ tempora incidit, in qua ingens Italiæ vastatio facta est. Roma

Roma sæpe capta est. Mediolanum funditùs deletum à Gottis, qui triginta millia ciuium ibi interfecerunt. Sunt & aliæ multæ vrbes vtrimq; captæ, magni exercitus trucidati, magna multitudo hominum pestilentia & fame absumpta est, Matres filiorum carnibus in Liguria pastæ scribuntur.

Initium autem belli cum Vitige gesti Romæ factum est, quam Vitiges anno integro & diebus nouem obsedit. Multa ibi magna prælia facta sunt. In primo autem maximè virtus Bellisarij conspecta est. Exercitus Vitigis erat centum & quinquaginta millium Gottorum, robore & peritia rei militaris excellentium. Hi cùm vidissent Bellisarij exercitum, qui egressus erat ad speculanda hostium castra, contemta paucitate prælium cient. Et quia agnoscebatur equus Bellisarij giluus & albo capite, Gotti rectè existimantes Duce interfecto facilem fore victoriam, sese cohortantur, vt quàm plurimi conglobati in vnum hunc impetum faciant, continuo clamore hanc vocem sonantes: In Falam, id est, giluum equum.

Semper autem veteri Laconico more proximos apud se delectos equites habuit Bellisarius, excellentes fortitudine, scientia rei militaris, iustitia & fide. Ab his tunc quoq; fideliter defensus

fensus est, & pugnauit ipse suo loco fortissimè donec in collem interuallo mediocri à castris dissitum euasit, quò Gotti, cùm iam nox instaret, progredi non sunt ausi. Ita diuinitùs seruatus redijt intra vrbis Romæ mœnia, cum iam periisse diceretur, ac rediens multos dubitantes ad officium reuocauit.

Postea durante obsidione, cùm sæpe tentaretur oppugnatio, & in ipsis mœnibus crebra prælia fierent, vno die triginta Gottorum millia perierunt. Ea clade cùm fracti essent Gottorum animi, lenta deinde fuit obsidio. Cùm verò in vrbe ad cæteras miserias fames accessisset, venerunt in suspicionem Senatores quidam Romani, & cum his Pontifex Syluerius, quòd de vrbe tradenda cum Gottis agerent. Quare Belisarius & Pontificem & alios, qui accusati fuerunt, in exilium misit, & successorem dedit Syluerio Vigilium, qui fuerat Diaconus. Hæc in libro quoque Decretorum, vt nominatur, recitantur, causa 23. quæst. 4. vbi Syluerius narrat se propterea contra Belisarium & Vigilium edidisse fulmen excommunicationis.

Vitiges tandem omissa obsidione Romæ, cùm sexagesies septies ibi dimicatum esset, ducit exercitum ad oppugnationem Arimini. Postea obsidionum

num & deditionum variæ vices fuerunt. Mediolanum etiam à Gottis deletum est, magna ibi cæde facta. Tandem ad Rauennam Belisarius accessit, vbi granaria conflagrauerant. Ibi cum de pacis conditionibus sæpe colloquia haberentur, tandem astutè Belisarius obtinuit, vt Rauenna dederetur, in qua erat Vitiges, quem captum honorificè custodit.

Etsi autem nondum tota Italia pacata erat, & adhuc multas vrbes Padum & Athesin Gotti tenebant: tamen quia inclinatio magnæ potentiæ Gotticæ Belisarij consilijs & virtute facta erat, ipse Constantinopolim redijt, & eò Vitigem captum abduxit. Reuocatum autem scribunt à Iustiniano, propter bellum Persicum à Cosroe motum. Sed existimo facilius ex Italia eum discessisse, propter Iustiniani suspicionem, & cæterorum ducum Iohannis & Narsetis maleuolentiam, quorum voluntates ab eo alienatæ erant, sicut excellentem virtutem inuidia comitatur.

In hunc Vitigem abductum Constantinopolim Iustinianus nihil asperè constituit, quia perfidia suorum captus erat. Ideo propter reuerentiam regij nominis fecit eum patricium. Gotti Regem crearunt ILDOBADVM, qui cùm Vitigis cognatum interfecisset, non diutius anno regnauit. Nam & ipse in conuiuio obtruncatus

est.

est. Mox & successor eius interfectus est. Ita intra biennium duos Reges Gotti interfecerunt.

Cùm igitur & Romanis bellis & domesticis discordijs potentia Gottica languefacta esset, Rex Gottorum Totila factus est, qui breui magnam partem Italiæ recepit, cum initiò exiguas copias ageret, quia Græci Duces & Præfecti propter rapacitatem in odio erant, & in gubernatione non erant concordes.

TOTILA penultimus Rex Gottorum, regnauit annos decem. Res Gotticas singulari virtute & felicitate rursus erexit, etsi tandem ipsius etiam fortuna conuersa est, sicut ei Benedictus Abbas prædixit, qui inquit ad eum: Multa mala facies, Romam ingredieris, Nouem annis regnabis, decimo morieris. Ac flexisse eum Benedicti adhortatio dicitur, vt minus crudelis in victorijs fuerit.

Initiò ad Placentiam vicit Romanum exercitum duplo maiorem suo, insigni stratagemate. Nam Gotticus exercitus erat tantùm quinq; millium virorum. Deinde procedens occupauit magnam Italiæ partem, & vbicunq; cepit nobiles matronas, virgines & pueros, misit inuiolatos additis præsidijs ad suos. Itaq; propter Iusticiam plures ad eum deficiebant. Neapolin fame coëgit ad

ad deditionem, quam cùm occupasset, mox frumentum inuehi curauit, & præsidium addidit, ne in tanta fame frumentum subitò diriperetur, sed vt ordine venditi, & egentibus distribui posset, prohibuit vrbis Neapolitanæ direptionem, & præsidium Romanam dimisit, additis etiam nauigijs & viatico.

Cùm autem Iustinianus intellexisset Gottos rursus superiores esse in Italia, & iam à Totila Romam obsideri, Belisarium secundò in Italiam mittit, sed neq; accedere ad obsessam vrbem Belisarius potuit, nec exercitum habuit parem hostibus. Interea dum vrbis Romæ obsidio ferè biennio durat, simul alibi multæ vrbes iam à Totila, iam à Belisario & ab alijs Ducibus occupantur, multi fame & pestilentia, multi in prælijs pereunt, et fit vniuersæ Italiæ vastatio. Placentia tandem Gottis dedita est, cùm præsidium ibi vesci humanis carnibus cœpisset. Romæ etiam tanta fames fuit, vt pater, qui multos filios habuerat, spectantibus multis sese de ponte in Tyberim præcipitauerit, iubens filios petentes cibum se sequi.

Milites igitur Isaurici portam Asinariam Totilæ patefecerunt. Gotti ingressi vrbem passim obuios interficiunt, fit direptio, & magna pars ædificiorum incendio perit. Iubet Totila & muros dirui. Cumq; totam vrbem Romam Gotti delere uellent,

vellent, Pelagio Pontifice deprecante, prohibuit Totila cædes & incendia. Etsi fuit antè Roma ab Alarico & Genserico capta & direpta, tamen destructa non fuit. Sed in hac tertia occupatione destructa est, sicut prædictum fuit à Sibylla: ῥώμα μὴ ῥύμῃ ἐσεται νοὺ δῆλον ἄδηλον.

Admoneant autem nos exempla ruentium Imperiorum & magnarum vrbium de iudicio Dei. Pleræq; propter Idola, tyrannidem & libidines delentur. Romæ ad hæc scelera accesserat sæuicia aduersus Christianos inde vsq; ad à Nerone. Tandem igitur Italia vniuersa horribiliter vastata est, & in exterarum gentium potestatem venit. Repeto autem & tempora, quibus & antea capta est.

ROMA QVOTIES CAPTA SIT.

I. *Tempore Honorij Alaricus Gottorum Rex Romam biennio circumsessam cepit. Anno Romæ millesimo, sexagesimo quarto. Anno Christi quadringentesimo, decimo quarto.*

II. *Tempore Martiani Genfericus Vandalus Romam spoliauit, abducta inde Eudoxia, quæ fuerat coniunx Valentiniani, Anno Romæ millesimo, ducentesimo nono. Anno Christi quadringentesimo, quinquagesimo nono.*

Tempo-

III. *Tempore Iustiniani Totila cepit & destruxit vrbem circumsessam circiter biennium, Anno Romæ millesimo, ducentesimo, nonagesimo sexto. Anno Christi quingentesimo, quadragesimo sexto, Ab Augusto anno quingentesimo quarto. Anno post destructionem Carthaginis septingentesimo. Quod eò adijcio, quia Scipio incendium Carthaginis aspiciens, ac lacrymans dixit: Se cogitare simile fore aliquando excidium Romæ. Deinde cùm Belisarius, qui Romam destructis muris receperat, discessisset, triennio post destructionem, Totila rursus eam cepit, & aliqua ex parte instauravit.*

NARSIS BELLA IN Italia.

INTERFECTO autem TOTILA post triennium, recepit vrbem Romam NARSES, Anno Christi quingentesimo, quinquagesimo secundo. Post id tempus vsq; ad AGILOLFVM regem Longobardorum nemo peregrinus vrbem Romam obsedit. Has vices simul complecti hîc volui, vt cogitari possit, quantæ fuerint calamitates, cùm tot obsidiones exiguis interuallis acciderint. Nunc Totilæ interitum addo.

Cùm Belisarius ex Italia discessisset, cuius fortuna in hac posteriore expeditione non fuit similis priori, Iustinianus summum ducem in Italia

esse iussit Narsen, qui pecunia instructus magnum exercitum collegit. Adiunxit sibi etiam Herulorum & Longobardorum auxilia. Cum igitur collecto exercitu Raueunam veniſſet, mittit Legatos ad Totilam, pacem certis conditionibus facturus. Totila nullam pacis conditionem audire volens, reſpondet, dimicandum esse armis, & exercitus aduersus Narsen ducit vſq; ad Apenninum. Ibi magno prælio facto, Gotti tandem victi, & in fuga diſsipati ſunt. Totilam insignem equo, aureis armis, purpura, & proceritate corporis fugientem cum quinq; comitibus, sequitur vir Gepida ASPADVS, à quo vulneratus in castra vehitur à quatuor comitibus, vbi paulò pòst mortuus est, Quintus comes, qui Asbadum, ne sequi posset, repreſsit & vulnerauit, etiam suo vulnere perijt.

Hic exitus est Totilæ, qui etiam exemplum est inconstantiæ rerum humanarum. Inclinatam potentiam Gotticam, cùm haberet exiguas copias, feliciter restituerat. Postea res magnas toto decennio gesserat. Tandem spreta pace superatus vno prælio, & fugiens interficitur. Reliquiæ tamen Gottorum Regem faciunt TEIAM, qui in vrbe Ticinio erat, vbi sumta ex veteribus thesauris pecunia, exercitum colligit, & à Francis auxilium petit. Interea Narses ad vrbem Romam accedit, eamq; vi capit pulso Gottico præsidio.

TEIAS

TEIAS Rex Gottorum vltimus, in Italia interfectus est, nondum primo anno regni exacto. Cùm enim exercitum duceret in Campaniam, vbi præsidium, quod Romæ fuerat, Cumas se contulerat, Idq; Narses obsederat, Ibi magno prælio Narses ad Nuceriam vicit Gottos. In eo prælio prorsus & vires Gottorum conciderunt, & ipse TEIAS prælians interfectus est. Illi qui Cumis erant, deditionem fecerunt concessa vita. Addita est autem conditio vt vniuersæ Gottorum reliquiæ ex Italia discederent.

Hic finis fuit regni Gottorum in Italia, quod ab initio Theodorici Veronensis vſq; ad mortem Teiæ durauit annos ferè sexaginta. Fuitq; post Amalosunthæ mortem continua Italiæ vastatio annos ferè triginta. Postea Narses rexit Italiam tanquàm Proconsul annos sedecim. Deinde Italiam Longobardi & Exarchi laceraruntdonec Caroli Magni virtute & felicitate Italiæ pax vtcunq; restituta est.

Considerentur autem in historia Gottica viri præcipui. THEODORICVS Veronensis fortis & felix fuit in bellis Italicis & Germanicis, & initiò iustus & moderatus in gubernatione. Sed tandem crudeliter interfecit Symmachum & Boëtium, & terribili consternatione extinctus est.

TOTILA initiò fœlix, & Benedicti Abbatis adhortatione repreßit iracundiam. Postea in rebus secundis factus insolentior, perijt fugiens.

IVSTINIANI Duces tres fuerunt, sapientes, fortes & fœlices: Belisarius, Iohannes & Narses.

Clarior est autem cæteris BELLISARIVS, qui Persica bella & Vandalicum in Africa feliciter gessit. Fuit & prior expeditio Italica contra Vitigem glorioſa, magna parte Italiæ recuperata. Posterior verò contra Totilam nequaquàm priori par fuit. Iustus fuit erga socios, ac seuerè cauit, ne frumentum aut aliæ res ciuium & sociorum raperentur. Sæpe militibus pauperibus de suo pecuniam largitus est, & vt medici vulneratis aut alioqui ægrotantibus opem ferrent, diligenter curauit. Cumq; eo tempore Ducum in Imperio Romano præcipuus esset, & cæteros gloria & potentia antecelleret, dignitatem & opes ei Iustinianus eripuit falsis suspicionibus ab eo abalienatus. Hæc narrat Zonaras, Alij addunt oculos ei effossos esse, & mendicasse eum stipem. Tantus igitur vir exemplum est non solùm inconstantiæ fortunæ, sed etiam ingratitudinis aulicæ, de qua in Psal. dicitur: Nolite confidere in Principibus, neq; filijs hominum &c.

Et

Et noti sint versus:

Viue tibi, quantumq; potes, præclustria vita,
Sæuum præclustri fulmen ab arce venit.
Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit, & intra
Fortunam debet quisq; manere suam.

NARSES Eunuchus quæstor primùm fuit Iustiniani, sed tanta industria, vt postea summus dux in Italia factus sit, ac describitur his verbis: Εὐφραμὲς τὰ μάλιστα ἠρὴ δ' ἀρασκέρι Θ', ἠὴ δ' ἀνὸς ἄρμόσαθ' ἅ θ' ἱππεμπίπραντι, καὶ πᾶσασῆσαι οἷός τε ἦν τὸν λόγῳ τὰ βεβουλευμένα. Cumq; Italiam rexerit sedecim annos, & ex magnis calamitatibus vtcunq; eam recreauerit, sapientiæ & iustitiæ signum est illustre. Sed huius etiam potentia suspecta fuit aulæ, & post Iustinianum Iustinus successorem ei misit Longinum, sceleratum hominem, & coniunx Iustini iußit Narsen redire ad pensa in Gynæceo, exprobrans ei mollitiem, quòd Eunuchus esset. Sed ipse respondet, se telam exordiri, quam non posset ipsa superba mulier pertexere. Inuitauit enim Longobardos in Italiam, quorum auxilio antea aduersus Gottos vsus erat. Ac vt tutior esset, non rediit Constantinopolin, sed vt priuatus Neapoli vixit, donec ibi mortuus est.

Anno mundi quatermilleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo quarto.

Anno Romæ milleſimo, ducenteſimo, quadrageſimo quarto.

Anno Chriſti quadringenteſimo, nonageſimo quarto.

ANASTASIVS.

ANASTASIVS *Dicorus factus eſt Imperator, regnauit annos viginti ſeptem, menſes tres. Euexit ſenem ad Imperium anus Ariadne coniunx Zenonis, cùm antea fuiſſet ſcriba aulicus. Initiò fauorem populi ſibi conciliauit, abolito grandi tributo annuo. Seditiones quaſdam repreſſit, & cum Perſis in ducias fecit, vt poſtea dicam, nec magnas res bello geſſit, Eccleſias valdè turbauit.*

Hunc ſecundum legimus coronatum à Patriarcha. Sed prius data Syngrapha, qua promiſit Anaſtaſius, ſe à Chalcedonenſibus decretis non diſceſſurum eſſe, nec moturum nouos tumultus in Eccleſia. Hac Syngrapha accepta EVTHEMIVS *Patriarcha eum coronauit. Sed non multò pòſt Anaſtaſius delirans Syngraphan repoſcit, & palàm defendit Eutychianos, & Epiſcopos ipſis aduerſantes expulit ex ſuis Eccleſijs, Euphemium, à quo coronatus fuerat, expulit ex Conſtantinopoli. Deinde eius ſucceſſorem Macedonium etiam interfecit. Conuocata eſt ab eo & impia Synodus Sidonia contra* HELIAM *Epiſcopum Armeniæ,*

niæ, & alios rectè ſentientes. Talis erga Eccleſiam fuit.

De bellis hæc digna memoria recitantur: Vitalianus mota ſeditione exercitum contra Anaſtaſium ad Conſtantinopolim adduxit, vbi nauali prælio Marianus Dux Anaſtaſij ſeditioſos vicit. Et ſcribitur à Proclo Mathematico, naues ſeditioſorum veteri exemplo Archimedis incenſas eſſe. Facta ſunt enim caua ſpecula, à quibus radij Solis accenſi vicinas naues inflammarunt.

Fuit eo tempore & Perſarum Rex CABADES, *id eſt, glorioſus, cui Perſæ, quia legem tulerat, ne adulteria ſine violentia facta punirentur, regnum ademerunt, eumq; in carcerem incluſerunt. Cùm autem eius coniunx aditum ad eum peteret, tandem cuſtos carceris ea conditione promiſit ſe aditum conceſſurum eſſe, ſi ſecum concumberet. Illa marito hoc ſignificat, qui ſpe liberationis iubet vxorem voluntati cuſtodis parere. Quod cum faceret mulier poſtea familiariter intromiſſa virum tandem liberauit, indutum muliebri veſte: Qui cum euaſiſſet adiutus ab amicis regnum recuperauit, & fratrem, qui biennio regnauerat, interfecit. Cum hoc Cabade diu Anaſtaſius bellum per duces geſſit, quod poſtea Iuſtini tempore finitum eſt.*

Ideò autem huius Cabadæ mentionem hîc feci, quia & noſtro tempore ſimili pacto mulier vi-

rum liberare conata est. Cum Gonzaga Mediolani Præses esset, Caroli V. Imperatoris tempore, in vicina quadam vrbe Præfectus Hispanus virum nobilem coniecerat in carcerem. Vxor captiui magna pecunia redimere maritum conata est. Ea pecunia accepta Hispanus promittit, ita se redditurum esse virum, si illa noctem promitteret. Refert mulier postulata Hispani ad maritum, qui assentitur; Illa promittit Hispano. Postridie, cùm maritum peteret, reddit Hispanus, sed prius interfectum: Illa misera calamitatem & suam & viri exponit Gonzagæ Præsidi, qui mox Hispanum prehendi iubet, & primùm mulieri omnes facultates Hispani addicit, Deinde eum capitali supplicio affici iubet.

Hoc exemplum iusti iudicis memoria dignum est, & pœnæ ostendunt iram Dei aduersus vtrunq; & eum qui admisit adulterium, & eum qui fecit.

Recensetur inter calamitates temporum Anastasij & hoc, quòd primùm tunc nomen Bulgarorum in Thracia & Illyria auditum est, qui tunc Illyriam populati sunt.

Existimatur autem Anastasius fulmine periisse, quia inuentus est mortuus, cùm vixisset annos octoginta octo, regnasset annos viginti septem & tres menses.

Anno

Anno Mundi quatermillesimo, quadringentesimo, octuagesimo tertio.
Anno Romæ millesimo, ducentesimo, septuagesimo primo.
Anno Christi quingentesimo, vicesimo primo.

IVSTINVS.

IVSTINVS factus est Imperator, regnauit annos octo, & menses aliquot, natus obscuro loco in Thracia patre armentario, sed miles factus virtute creuit. Cumq; præesset excubijs Anastasij, & autoritate apud milites valeret, dedit ei ingentem pecuniam Anastasio mortuo, Eunuchus Amantius, vt militum suffragia emeret, cuidam THEOCRITIANO, quem Eunuchus Imperatorem creari volebat. Prudenter autem Iustinus accepta pecunia sibi militum suffragia emit, & quia virtus eius Senatui probabatur, Senatus & militum consensu Iustinus factus est Imperator. Primum ei periculum ab Amantio & Theocritiano fuit, quorum cùm deprehendisset insidias, iubet eos interfici.

Fuit vtilis Orienti. Nam & Chalcedonensem Synodum mox initio imperij se amplecti ostendit, & constanter in ea sententia permansit, & Episcopos, qui errores contra receptas Synodos defendebant, remotos ab officijs expulit in exilia. Se-

VERO Antiocheno Episcopo linguam præcidi iussit, vt blasphemiarum pœnas daret. Hæc seueritas Ecclesijs Orientis profuit.

Cumq; & Arianos pelleret, misit ad eum Legatos Theodoricus Veronensis bellum minitans, nisi desisteret. Hic & Romanum Episcopum Iohannem incluſit carceri, vt supra dictum est, propterea, quòd Constantinopoli Iustinum coronasset. AC PRIMVM HVNC AROMANO ETISCOPO CORONATVM ESSE IMPERATOREM LEGIMVS. Sed Theodoricus, vt suprà diximus, post quædam sæuitiæ exempla mortuus est. Pax etiam cum Persis à Iustino facta est, quam tamen citò Persæ violarunt. Memoria dignum & hoc est, Manichæos tunc in Persia deletos esse, quòd filium Regis ad sua deliramenta pertraxerant.

Quia autem Iustinus senex erat, & tandem morbi ad senectam accedebant, viuens quarto mense ante mortem suam Imperatorem creauit Iustinianum sororis suæ filium, præsentibus Epiphanio Patriarcha, & præcipuis Senatoribus. Epiphanius Patriarcha Constantinopolitanus Iustinianum & Theodoram coniugem eius coronauit.

Anno Mundi quatermillesimo, quadringentesimo, nonagesimo.

Anno

Anno Romæ milleſimo, ducenteſimo, ſeptuageſimo octauo.

Anno Chriſti quingenteſimo, viceſimo octauo.

IVSTINIANVS.

IVSTINIANVS regnare cœpit, collega Iuſtini quatuor menſibus. Regnauit annos triginta octo. Natus ex ſorore Iuſtini. Valuit conſilio, & fuit eò felix, quòd induſtrios & felices Duces habuit, per quos in magnis bellis in Aſia defendit Imperium. Alibi recuperauit Prouincias aliquas amiſſas. Vituperatur eius auaricia, quòd omnes gentes onerarit magnis tributis, quod omnes circumuentos calumnijs excuſſerit ex facultatibus, quòd doctoribus ſtipendia ademerit. Sed fortaſsis magnitudo bellorum & edificationum eum excuſat.

Initiò Perſæ repreſſi ſunt per Belliſarium, cum quibus cùm pax facta eſſet. Belliſarius in Africam miſſus eſt, vbi recepta Carthagine, & capto Giliuero rege Vandalico, qui interfici regem Hildericum iuſſerat, recuperata eſt Africa, & finis ibi fuit regni Vandalici. Belliſarius cum magna gloria domum Conſtantinopolin rediit. Ibi cum Giliuer in Triumpho ad Iuſtinianum ſupplex duceretur, dixiſſe Barbarus ſcribitur hæc verba: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: Fortaſsis cogi-

tans

tans inconstantiam rerum humanarum, & Imperatori significans, ne durior esset in victoria.

Cùm autem in recuperatione Africæ virtutem & felicitatem Bellisarij conspexisset Iustinus, mittit eum in Italiam aduersus Gottos, cum nono anno regnaret. Suntq; res magnæ gestæ in prima expeditione Bellisarij Italica, intra annos quinq;. Primùm recepta Neapolis, & cæteræ vrbes in Campania & Apulia.

Interea Gotti rege Theodato, qui Amalasuntham interfecerat, deserto propter auariciam & ignauiam, regem Vitigem crearunt, qui Theodatum interfecit. Cumq; vrbem Romam LVDERO Duci Gottico custodiendam tradidisset, ipse Rauennam adijt, vt exercitu collecto cum Bellisario dimicare posset. Cum autem Bellisarius ad vrbem Romam accessisset, & defensionem desperaret Luderus, qui tantum quatuor millia Gottorum secum habebat, & ciuium animi ad Bellisarium inclinarent, vrbs Roma sine prælio patefacta est Bellisario. Milites Gottici eodem die egressi sunt alia porta. Luderus Dux missus est Constantinopolim. Hanc vrbis Romæ recuperationem ponit Procopius in annum vndecimum Iustiniani, qui est annus Christi quingentesimus, tricesimus septimus. Estq; sexagesimus annus, postquàm ab exteris gentibus occupata fuit. Quod planè intelligendum est de Odoacro, qui vrbem Romam

nam circiter annum Christi quadringentesimum octuagesimum occupauerat.

Reuersus autem Vitiges, vrbem Romam obsidione cinxit, quæ durauit annum integrum & dies nouem. Cumq; fierent crebræ oppugnationes, magna pars exercitus Gottici ibi perijt. Sed dira fame & morbis vbiq; in tota Italia multi absumebantur, & in quibusdam locis matres filiorum carnibus pastæ sunt.

Eodem tempore Gotti Mediolanum funditùs deleuerunt, interfectis triginta millibus hominum.

Tandem verò relinquit obsidionem vrbis Romæ Vitiges, cùm alibi Arimimum amisisset, & Rauennæ metueret. Sequitur ergo Bellisarius Vitigem, & inclusum obsidet, quem vt Gotti dederent, fraude eis persuasit. Ibi captiuum regem Vitigem custodit. Ita valdè inclinata potentia Gottica, Bellisarius redit Constantinopolim, regem Vitigem secum adducens, cùm in Italia annos quinq; in summis difficultatibus res magnas gessisset.

Etsi autem nondum belli Gottici finis fuit: tamen gloria Bellisarij magna erat, quòd vt antea Regem Vandalicum: ita nunc regem Gotticum captiuum adduxit, victor duarum bellicosarum gentium, Vandalicæ & Gotticæ. Sed inconstantiam

etiam fortunæ metuere nos multa exempla & in hac historia docent.

Nullius viri tunc in toto orbe terrarum virtus & gloria maior fuit, quàm Belisarij. At reditus in Italiam fuit infœlix. Fuerat inclinata Gottorum potentia, sed rursus Totila regnante erecta est. Hoc interfecto intra decennium rursus concidit. Sæpe igitur hanc admonitionem cogitemus:

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu, quæ valuêre, ruunt.

Vrbis Romæ calamitates etiam fuisse magnas, cùm toties obsideretur & caperetur, necesse est.

Post Belisarij abitum anno septimo rursus vrbs Roma circiter annum obsessa est Totila, qui cùm eam cepisset, & partem murorum demolitus esset, Belisarius reuersus ex Thracia vrbem non munitam recipit, nec tamen diu retinet, Cumq; ibi Canonem Præfectum reliquisset, milites eum, quòd frumentum iniustè vendebat, & inæqualiter diuidebat, interfecerunt.

Aliquantò pòst Belisarius reuocatus, cùm ferè quinquennio in Italia vagatus esset, rebus multis frustra tentatis, sine gloria in Thraciam redijt. Ibi Totila Romam iterum obsidet, & capit anno quarto, postquàm antea cepit. Nec multò pòst interfecto Totila Narses eam recipit. Post id tempus non est obsessa vsq; ad Longobardorum regem Agilolfum.

NAR-

NARSES Persamenius successor Belisarij feliciter ex Italia Gottos expulit. Sed postea Longobardos attraxit, vt suo loco dicam. Scribitur autem Belisarium postea dignitate & opibus spoliatum esse è Iustiniano. Id apud Procopium non legitur, qui tamen de Iohanne Duce, cuius præcipua fuit potentia post Belisarium, expressè hoc scribit, Iustinianum ei dignitatem & opes eripuisse, eumq; diu mendicando victum quæsiuisse. Extat apud Suidam huius Iohannis Cappadociæ Præsidis descriptio: φύσεως ἰσχυὶ δ' ἀνότατος γνῶναι τὰ δέοντα, καὶ λύσιν ἀπόρων εὑρεῖν ἱκανώτατος, πονηρότατος δὲ, &c. Annumeretur autem exemplis inconstantiæ fortunæ aulicæ, vt Seianus apud Tiberium, Seuerianus apud Seuerum, Eutropius apud Theodosium secundum.

Etsi autem Iustiniano hæc gloriosa fuerunt, expulsio Vandalorum ex Africa & expulsio Gottorum ex Italia: tamen clades alias in Imperio magnas accepit. Hunni vastarunt magnam Thraciæ partem, & Pannoniam recuperarunt, domitis ibi Gottis. Et quia coniunctæ gentes fuerunt Hunni & Auares, nomen Hungari ex vtrisq; factum est, Hunniari, vt Iornandes scribit.

Tria pacis opera in IVSTINIANI gubernatione, Principi conuenientia, & digna laude sunt. Legum collectio: Synodus, quæ nominatur

tur quinta οἰκουμενική: & ædificationes adrepressiones barbarorum factæ.

De legibus non dubium est, Principes debere hoc efficere, vt extet IVS rectè scriptum & certum, quo & regantur homines, & in iudicijs consensus iudicum constituatur. Ideò & in politia Israel Ius scriptum fuit diuinitùs traditum, & collegium Interpretum.

Fuerunt & Athenis scriptæ leges & νομοφύλακες, & Romæ leges scriptæ fuerunt, & Iurisconsulti, quorum magna fuit autoritas, postquam duodecim Tabulæ Romanarum Legum populo propositæ publicè fuerunt: & nunc sunt in Academijs studia discentium & docentium leges, respondentium de Iure: ita fuerunt olim Romæ, deinde in vrbe Beryto, postea Constantinopoli cœtus docentium & discentium.

Cumq; in Italiam Gotti, deinde Longobardi & Franci patrias leges intulissent, tandem LOTHARIVS Saxo Imperator admonitus ab IRNERIO Iuris interprete, qui auditor Doctorum in vrbe Constantinopoli fuerat, rursus ex Bibliothecis proferri libros PANDECTARVM iussit & enarrari eos libros Bononiæ, & iudicari in Italia controuersias ex illis Romanis legibus mandauit. Ita vetus Iurisconsultorum doctrina ex Constantinopoli rursus in Italiam illata est.

Etsi

Etsi autem quidam vituperant Iustinianum, quòd ex vetustioribus integris scriptis tantùm brevem Epitomen excerpi iusserit: tamen iudico valdè benemeritum esse. Nam cum illa vetera volumina propter magnitudinem alioqui peritura fuerint, valdè prodest reliquias superesse, plenas eruditionis, qua æqualitas aliàs Arithmetica, aliâs Geometrica proportione sapienter quæsita est, & multæ demonstrationes traditæ sunt. Nec assentior Procopio, qui Trebonianum ait leges venales habuisse, cum quidem ille ipse fateatur eum eruditione excelluisse: φύσεως δυνάμει ἐχθῆναι καὶ παιδείας εἰς ἄκρον ἀφίκετο, ἀιμύλῳ δὲ ἦν καὶ φιλοχρηματίας νόσημα ἐπισκιάσαι ἱκανὸς τῆς παιδείας περιουσίαν.

Sæpe autem turbulenti homines excitarunt tumultus, non solùm contra legum doctrinam, sed etiam contra politicum ordinem: Sustulerunt distinctionem dominiorum: instituerunt communicationem facultatum Platonicam: Damnarunt Magistratus, iudicia & legitimas pœnas.

Tales furores olim sparserunt Carpocrates, Marcion & alij, & adhuc circumferunt nostro tempore Anabaptistæ. Carolostadius non volebat videri prorsus abolere leges: Sed contendebat oportere iudicia exerceri iuxta forenses Leges Moisi.

Hæc deliramenta omnia ex his tenebris oriuntur, quòd autores eorum & adplausores non intelligunt discrimen iusticiæ, de qua propriè concionatur Euangelium, & vitæ politicæ: nec cogitant missum esse Filium Dei, vt in corde nouam lucem, agnitionem & inuocationem veri Dei, & iusticiam æternam restituat, sicut Daniel perspicuè inquit: Adducetur iusticia sempiterna. Hanc restituit Filius Dei in cordibus. Vt autem in diuersis regionibus vtimur dissimilibus dierum spacijs: ita in politica vita sinit nos in diuersis Imperijs vti legibus ciuilibus, quæ tamen cum lege naturæ congruunt.

Extant autem plurima scripta nostrarum Ecclesiarum, quibus muniuntur pij contra fanaticos & seditiosos furores, & ornatur dignitas politici ordinis & legum.

Id obiter hîc commemoro, cum de Iustiniani libris dicendum esset. Quia vtile est considerari omnium temporum certamina, de legum & ordinis politici dignitate.

Dixi inter insignia facta Iustiniani esse & Synodi conuocationem, de qua mox dicemus in Ecclesiæ historia, quam attexo cæteris narrationibus. Omitto etiam ædificationum descriptiones, quæ legantur apud Procopium. Munuit limites Imperij in Oriente & Occidente. Et fit mentio Istri, in cuius ripa multas vrbes & arces condidit. Et Traiani pontem refecit in Dacia, quæ est Valachia. Simul verba Procopij de Istro hæc: κάτθασε μὲν ἐξ ἠίονα πᾶσαν ἐν κελτοῖς ποταμὸς ἴστρος. *Loquitur enim Herodoti more,*

DE ECCLESIA.

QVINTA Synodus οἰκουμενικὴ à Iustiniano Constantinopolin conuocata est anno Christi 552. Quia & reliquiæ Nestorij & Eutychis adhuc turbabant Ecclesias in Oriente, & Monachi in Palæstina renouabant Origenica deliramenta. Fingebant omnes animas humanas initio Mundi conditas esse ante corpora: Item, Diabolos habituros finem pœnarum, & salvos futuros esse. Deinde spargebant & alij plures monstrosas opiniones. Repetita est igitur confirmatio Symboli Niceni, & condemnatio Samosateni, Arij, Nestorij & Eutychis.

Scribit Nicephorus interfuisse huic Synodo Romanum Episcopum VIGILIVM.

Retinetur in Græca Liturgia Cantilena, quæ continet breuem confessionem contra multos errores. Eam dicunt à Iustiniano post eam Synodum compositam esse. Sed existimo & communi deliberatione Synodi & scriptam, & Ecclesijs traditam esse. Verba hæc sunt: Vnigenite Fili & Verbum Dei, qui cum immortalis sis, assumpsisti humanam naturam propter nostram salutem ex

sancta Dei genitrice, & sine mutatione naturarum homo factus & crucifixus es CHRISTE Deus, mortem morte proculcans, & simul glorificaris cum Patre & Spiritu sancto, salua nos. μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ ἀθάνατος, ὑπάρχων καὶ καταδεξάμενος διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν σαρκωθῆναι ἐκ τῆς ἁγίας θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, ἀτρέπτως ἐνανθρωπήσας, σταυρωθείς τε Χριστὲ ὁ θεὸς, θανάτῳ θάνατον πατήσας, συνδοξαζόμενος τῷ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι. σῶσον ἡμᾶς.

Duravit autem Synodus circiter biennium. Ac de Origene magna certamina fuerunt. Agitatæ sunt quæstiones: Quid sit anima hominis: Sitne ex tradvce? An tunc ex nihilo creetur, cùm infunditur? aut an probanda sint Origenis deliramenta, qui dixit simul omnes humanas animas initiò conditas esse, easq; è cœlo lapsas, postea in corpora mitti.

Filius Dei perspicuè & sine vlla ambiguitate affirmat se corporibus hominum mortuis redditurum esse vitam. Hæc sententia firmissima fide amplectenda est, & expectandum iudicium post hanc vitam.

Verùm de anima separata obscurior est doctrina. Sed tamen hæc dicta significant animas hominum spiritus separabiles esse, & viuere separatos:

Hodie mecum eris in Paradiso. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, quia animam occidere non possunt: Cupio dissolui & esse cum Christo, Rom. 8. Corpus mortuum est propter peccatum. Spiritus autem viuit propter iusticiã: Deus est Deus Abrahæ, Viuit igitur Abraham. Hæc dicta opponamus ijs, qui imaginantur, animas humanas esse flammulas, quæ nominantur à Medicis spiritus vitales, qui extinguantur, sicut in pecudibus.

Quòd verò animæ hominum non sint creatæ initio mundi ante corpora, narratio in Mose ostendit, quæ ait, prius formatum esse Adæ corpus & deinde in faciem, scilicet iam formatam, inspiratum esse vitæ spiraculum. Non igitur prius erant conditæ animæ. Quare & in Psalmo 139. qui est confessio de præsentia & opere Dei, in singulorum formatione & vitæ conseruatione, aliquoties repetita est insignibus verbis hæc doctrina, quòd in vtero formetur homo. Iam si potior pars prior fuisset, non diceretur de toto homine, formari eum in vtero, & nominatim inquit: Pinxisti me in inferioribus terræ. Ergo animæ non fuerunt prius in cœlo, quasi dicat, organis & sensuum diuersitate variasti corpus informe. Hæc variatio fit per animam. Tunc igitur anima creatur in terra, nec fuit antea in cœlo. Eadem sententia extat in Iob capite 31. sine Metaphoris. Et si fuissent animæ ab

initio mundi, quæ esset absurditas, nihil eas ex tot seculis meminisse?

Tertia quæstio est: An de nouo creentur animæ ex nihilo extra corpora, & deinde infundantur corporibus? An verò intra corpora ex traduce fiant? Vtrum verò dixeris, non est excludenda Dei præsentia in formatione & viuificatione, sed firmissimè statuendum est, formationem & vitam Dei opus esse, sicut totus Psalm. 139. affirmat, nos formari, viuificari & foueri à Deo, Formasti me in vtero matris meæ. Ac vtile est aduersus Epicureas imaginationes confirmari fidem illustribus testimonijs, qualia hæc sunt: Deut. 30. Ipse est vita tua, & Longitudo dierum tuorum.

Actor 17. In ipso sumus, viuimus & mouemur.

Coloss. 1. Omnia per eum consistunt.

1. Timoth. 6. Coram Deo, qui viuificat omnia.

Psal. 104. Auferes spiritum eorum, & peribunt, & in puluerem reuertentur: Emittes spiritum tuum & recreabuntur, & renouabis faciem terræ.

Psalm. 33. De cœlo respicit Dominus, videt omnes filios hominum, format sigillatim corda eorum.

Psal.

Psal. 99. Scitote quòd Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos, Nos autem populus eius, & oues pascuæ eius.

Iob. 14. Numerus mensium eius apud te est. Constituisti terminum ei, quem non præteribit.

Talibus testimonijs confirmati certò statuamus, vitam nobis à Deo dari & conseruari, & quotidie ei gratias agamus, agnoscamus conditorem, & petamus, vt nos seruet, gubernet & protegat. Hæc cogitare vtilius est, quàm profanis disputationibus implicare mentes.

Interrogant autem aliqui, qui fiat, vt peccatum sit in animabus, si recens creantur? Ideo concinnius esse dixerunt aliqui dicere: Creari eas in corporibus ex traduce immundo. Seruari autem & propagari naturam talem, qualis nunc est, vt qui pedem, quamuis claudum, retinet. Et hæc de Traduce conueniunt ad dictum: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Sed hæc consideranda ijs, quorum ætas maturuit, reliquo.

In cæteris controuersijs huius Synodi minus est difficultatis. Ideo hic eas non repeto.

Anno Mundi quatermillesimo, quingentesimo, vicesimo octauo.

Anno Romæ millesimo, trecentesimo, decimo septimo.

Anno Christi quingentesimo, sexagesimo sexto.

IVSTINVS.

IVSTINVS Secundus, Nepos Iustiniani ex filia, Imperator factus Iustiniano viuente, tenuit Imperium annos duodecim. Vt Imperij initium gratius esset, lenijt tributa & vsuras, & coniunx Sophia quædam debita ex suis facultatibus soluit, breui tamen post noua tributa indicta sunt. Non multa per sese Imperator morbis impeditus administrauit.

Bellum cum Persis quadriennio gessit per dutem Martinum, in quo vtrinq; magnæ clades acceptæ sunt. Sed cum tandem victi essent Persæ, rursus aliquantisper pax facta est. Duæ res valdè dignæ memoria in huius Iustini gubernatione incidunt. Initia EXARCHATVS in Italia, & initia regni Longobardici in Italia. Fuerunt autem EXARCHI velut Vicarij Imperatorum ex Constantinopoli missi. Durauit q; eorum gubernatio post Narsen annos centum & sexaginta.

Arx autem & sedes Exarchorum Rauenna fuit. Priores bella cum Longobardis infelicia gesserunt, Postremis varia certamina cum Romanis Pontificibus fuerunt, donec Longobardi vrbibus illis, quas Exarchi reliquas tenuerant, potiti sunt

sunt. quas tamen relinquere Longobardos PIPINVS coëgit.

Fuit autem primus EXARCHVS à Iustino secundo in Italiam missus LONGINVS, cuius mores ita describuntur, vt non sit mirum Græcos in maius odium venisse. Dicitur aluisse γυναικοπλάνακας, qui vi & fraudibus alienas coniuges & nobilium filias ad ipsum pertraherent. Prius autem res Longobardicæ breuiter recitandæ sunt, postea series Exarchorum addenda erit, ita magis perspicua erit narratio.

DE LONGOBARDIS.

OMitto fabulosas ineptorum narrationes, quæ Longobardos ex Insulis Arctois educunt, & sequor Strabonis ac Ptolemæi descriptiones, qui Longobardos & Senonas in ripis Albis collocant, & disertè inquit Ptolemæus, Longobardorum sedem ad medium Albis esse, qui tractus nunc ad Diœceses Meideburgensem & Halberstadensem pertinet. E regione fuisse Senonas in eo tractu, qui nunc vetus Marchia appellatur, etiam ex vtroq; scriptore intelligi potest. Nec limites immotos constituo. Interdum longius hæ bellicosæ gentes progressæ sunt, interdum regressæ, vt fortuna bellorum erat.

Ex hac sua patria Longobardi in illis terribilibus gentium migrationibus accesserunt cum familys

milijs suis ad eam Pannoniæ oram, quæ Italiæ propior est, vbi manserunt annos quadraginta duos. Ac inde ab eis auxilia aduersus Gottos in Italiam Narses accersiuit. Gottis ex Italia expulsis, aliquantò post Longobardi siue à Narse inuitati, vt aliqui narrant, siue, quod magis credibile est, conspectis antea pulcherrimis Italiæ vrbibus & splendore, vltrò Italiam ingressi sunt, anno Christi quingentesimo, sexagesimo octauo, cùm Imperator esset Iustinus secundus.

Tenuerunt regnum in ea Italiæ parte, quæ est inter Alpes & Apenninũ annos ducentos & quatuor. Vnde adhuc ea pars nomen habet Longobardiæ, ac in Italica expeditione mixtos fuisse Longobardis Saxones & Sueuos, id est, Pomeranos, historia ostendit. Vastationem Italiæ denunciauerunt multa prodigia: Conspectæ sunt igneæ acies in aëre dimicantes: Sanguis ex terra & parietibus scaturiens, & alia multa. Vt semper magnæ calamitates prodigijs denunciantur. Nomen à longis cuspidibus vel bipennibus deducere concinnius est, quàm à barbis.

PRIMVS Rex Longobardorum in Italia fuit ALBOINVS, regnauit annos quatuor. Initiò occupauit Vincentiam & Veronam. Deinde ad Mediolanum accessit, quod suadente Honorato Episcopo deditionem fecit. Nam & propter famem obsidio tolerari non poterat.

Ticinum, quod à Longino præsidio munitum fuerat, triennio obsedit, quod cum tandem cepisset, rediens Veronam, in conuiuio iussit afferri poculum factum ex cranio Cunimundi, quem occiderat, & coëgit coniugem filiam Cunimundi ex Cranio patris sui bibere. Illa tunc dissimulato dolore, postea hortatur Helmechildum nobilem Longobardum, vt Alboinum interficiat, & promittit ei regnum. Helmechildus dormientem Alboinum interfecit, deinde celerius fugere cum Rosimunda coniuge Alboini, accessit Rauennam ad Longinum, vbi cùm aliquandiu fuissent, Longinus nouas spes concepit potiturum se & muliere Rosimunda & Longobardorum societate, quam adeptus, velit se nominari Regem Italiæ, persuadet mulieri, vt venenum det Helmechildo, eiq; promittit coniugium. Illa præbet marito egredienti ex balneo venenum, quod cùm auidè hausisset, veneni vim sentiens cogit Rosimundam reliquum haurire, quæ simul cum Helmechildo extincta est.

In hac breui historia multa sunt insignia exempla, singuli suorum scelerum pœnas dederunt, Rex Alboinus: Mulier perfidiosa, & minister mulieris perfidiosæ. Hæc fuerunt initia regni Longobardici in Italia.

Secun-

SECVNDVS Rex Longobardorum, CLEPHES regnauit annum vnum & sex menses, statim post interfectum Albonium electus, pulsa coniuge Alboini. Multa Italiæ oppida occupauit, sed cùm in subditos & domesticos crudelis esset, interfectus est à viro præcipuæ nobilitatis, qui in eius familia fuit.

Post eius mortem interregnum fuit annos decem, in quo triginta Duces aliquandiu mediocri concordia non solùm eam Italiæ partem rexerunt, quæ prius à duobus regibus occupata fuit, sed progressi etiam in Vmbriam, Picenum & Campaniam, multa oppida occuparunt, & direptiones magnas sacrarum & prophanarum rerum fecerunt, propter quas nominati sunt veteri exemplo TRIGINTA TYRANNI. Nec diu fuit inter eos concordia, sicut dicitur: δυο ἀγαθὸν τὸ λυκοις ἀνίη. Defecit ad Longinum Exarchum vnus ex triginta, Sueuus, nomine Dotrula, cum oppidis quæ tenuit, qui vicinum, vnum ex triginta Feroaldum cepit, & occidit profligato exercitu.

In hac historia nominatim fit SAXONVM mentio, qui cum fuissent in Longobardorum exercitu, ægrè ferentes eorum dominationem, redierunt in patriam adiuti à Rege Francico SIGEBERTO, & non sine magnis prælijs veterem patriam recuperauerunt. Quia Sueui, id est, Pomerani

merani in ea loca transierant. Ideo Longobardi bellum Galliæ vicinæ Narbonensi intulerunt. In his difficultatibus cùm viderent Duces vno gubernatore opus esse, rursus creauerunt Regem.

TERTIVS Rex Longobardorum AVTHARVS filius Clephis, regnauit annos sex, mitior patre, & iustior in gubernatione, conditis legibus inter suos latrocinia prohibuit. Cùmq; recuperato Brixello, Dotrulam Sueuum expulisset fugientem Rauennam, inducias fecit cum Exarcho Smaragdo. Pacem etiam fecit cum rege Francico: Coniugem duxit filiam Regis Bauarorum Garibaldi Theudelindam, celebratam à Gregorio magno, quæ cùm piè agnosceret & coleret Dominum nostrum Iesum Christum, viro ad iusticiam & pacis studium hortatrix fuit. Sed non diuturna fuit hæc Longobardorum tranquillitas. Nam Autharus veneno extinctus esse Ticini scribitur.

QVARTVS Rex Longobardorum EGILOLPHVS cognatus Authari, regnauit annos viginti, cùm Dux Taurinensis esset, delectus est à Theudelinda ad coniugium & regnum, quia tanta fuit Theudelindæ virtus, vt Longobardi dubitantes quem eligerent, arbitrio Viduæ permitterent electionem. Hæc Egilolpho & coniugium & regnum obtulit, & nati sunt ex eis Adoaldas, qui postea in regno successit, & Gutbirga.

Initiò

Initiò Egilolphus pacem cum Francis fecit, qui & captiuos reddiderunt. Mox & in suo regno Duces rebelles compescuit. Fecit & cum Exarcho inducias. Ecclesijs ademta restitui curauit: Abolenit barbaricas superstitiones, quas antea Longobardi ex patrijs moribus retinuerant, & Christianam doctrinam doceri curauit, qualem Gregorius Romanus Episcopus præscribebat.

Cùm autem Exarchus CALINICVS Parmam cepisset, & inde filiam Egilolphi natam in priore coniugio, & eius maritum abduxisset, irritatus tanta iniuria, & liberaturus filiam & generum Egilolphus bellum aduersus Exarchum mouit, & primùm ad vrbem Patauium accessit, in quam cùm faces multas iaculatus esset magna parte ædificiorum incendio consumta, facta est deditio. Quod reliquum fuit vrbis, dimissis ciuibus, conbustum est, anno centesimo & octogesimo, post quàm ab Attila fuerat deleta.

Rursus igitur magna multitudo inde migrans, auxit Venetam vrbem. Postea Cremonam delenit. Mantua deditione seruata est, sed nudata mœnibus. Deinde totius Italiæ Imperium sperans, exercitum ad vrbem Romam adduxit, quam integrum annum perpetua obsidione fatigauit, sed tandem propter malas tempestates & luem vbiq; grassantem abduxit exercitum, deprecatione etiam Gregorij Episcopi Romani motus, qui perfecerat, vt Smaragdus Exarchus restitueret & filiam & generum & vrbem Parmam. Domum rediens despondit filio vxorem filiam regis Francici, & pacem cum Phoca Imperatore fecit, qua constituta aliquantò post mortuus est.

QVINTVS Rex Longobardorum filius Egilolphi ADOALDVS, qui regnauit cum matre Theudelinda, quæ & propter filij adolescentiam, & propter alias causas bella moueri noluit, sed mortua ea Adoaldo Longobardi, pertæsi eius ignauiam, regnum ademerunt.

SEXTVS Longobardorum Rex ARIOALDVS.

SEPTIMVS Longobardorum Rex ROTHARIS Leges condidit Longobardis, & vicit Exarchum Theodorum trucidatis octo millibus, & vrbes aliquot regno Longobardorum adiecit.

OCTAVVS Rex Longobardorum RADOALDVS, interfectus in adulterio.

NONVS Rex Longobardorum ARIBERTVS, filius fratris Theudelindæ. Huic duo filij successerunt, Godebertus regnans Ticini, & Bertarius Mediolani regnans. Orta autem inter adolescentes fratres discordia, Godebertus accersit Grimoaldum ducem Beneuentanum, vt haberet auxilia contra fratrem. Grimoaldus veniens Ticinum

num interfecit Godebertum & eius filium, & sese Regem Longobardorum fecit. Bertarius fugit primùm ad Caganum regem Hunnorum, postea ad regem Francicum Dagobertum, & abfuit exul, donec regnauit GRIMOALDVS DECIMVS Rex annos nouem, qui cum rupta vena sanguinis fluxu mortuus esset, redijt Bertarius, quem Regem VNDECIMVM numero, cuius iustitia & pietas laudantur. Sed mox post eum nouæ discordiæ inter successores ortæ sunt. Cùm regnasset annos octo Bertarius, successit filius eius.

DVODECIMVS Rex Longobardorum CVNIBERTVS Bertarij filius, pulsus regno ab Alachiso Duce Tridentino, quem ipse seruauerat, cùm pater Bertarius eum interfecturus esset. Sed cùm Alachisus crudelitatem in Sacerdotes exerceret, reducitur Cunibertus, & cum prælio Alachisum vicisset, caput & pedes ei præcidit. Moriens Cunibertus, reliquit paruum filium Ludbertum, quem Asprando duci commendauit. Sed Reginbertus Taurinensium Dux bellum puero & Asprando infert, & victor se regem facit. Huic TREDECIMO Regi, qui iniustè regnum occupauerat, quod non diutius vno anno tenuit, successit filius ARIBERTVS secundus.

QVARTVS DECIMVS Rex Longobardorum ARIBERTVS secundus, qui quamquàm

quàm regnum à patre iniustè occupatum armis retinuit annos duodecim: tamen tandem pœnas dedit, & simul regnum & vitam amisit. Reducturi erant legitimum hæredem Ludbertum Duces Asprandus & Rhotaris, & cùm magnum prælium ad Ticinum factum esset, Ludbertus regni hæres captus est, & aliquantò post interfectus. Fugiens in Bauariam Asprandus ibi annos nouem exulat. Inde adiutus à Ditberto Bauarico Duce redit in Longobardiam, & magno prælio vincit Tyrannum Aribertum, qui in fuga in Ticino perijt.

QVINTVS DECIMVS Rex ASPRANDVS reuersus ex Bauaria, tenuit regnum tres menses, Princeps iustus, & qui in tutela fidem præstiterat, reliquit Successorem Ludbrandum filium, qui cæteris regibus Longobardorum omnibus antecelluit.

SEDECIMVS Rex Longobardorum LVTBRANDVS, regnauit annos vigintiduos. Initia gloriosa habuit. Mouit bellum aduersus Exarchum, vt defenderet Episcopos, quos Græci propter εἰκονομαχίαν spoliabant. Cùm Rauennam obsidione frustrà aliquandiu fatigasset, duxit exercitum in Tusciam, vbi Clusium vi captum crudeliter diripuit. Auxilia ad vrbem Romam Pontifici misit, quæ Exarchum eò venientem repulerunt. Postea Bononiam, Forum Liuij, Auximum & alias quasdam vrbes occupauit. Pace de-

inde facta cum Exarcho Erithio, impetrauit à Romano Pontifice, vt Exarchum liberaret excommunicatione. Misit auxilia Carolo Martello gerenti difficile bellum cum Saracenis, quorum trecenta millia in Galliam infusa fuerant.

Vt autem sunt mutabiles sociorum animi, præsertim Romanorum Pontificum, cùm Lutbrandus Spoletum capit, vt cognatos rebelles ad officium reuocet, Pontifex Romanus addit exercitum Duci Spoletano contra Lutbrandum, vbi etsi pars copiarum Lutbrandi trucidata est: tamen singulari pugna Rachisij ducis Foroiulienſis victus est Spoletanus. Iratus igitur Lutbrandus Romano Pontifici, Romam duxit exercitum, eamq; obsidione cingit. Ibi Pontifex, quia nec poterat à Leone Imperatore auxilium sperare, & magna tunc autoritas erat Caroli Martelli, petit à Carolo Martello, vt vel autoritate vel armis perficiat, vt Lutbrandus ab vrbe Roma discedat, & Ecclesiæ Romanæ ademta restituat.

Recens Carolus Martellus profligato Saracenico exercitu trecentorum millium ingenti terrore Galliam & Italiam liberauerat, & amicitia erat summa inter hos duos Principes Carolum Martellum & Lutbrandum, quorum virtus tanta fuit, vt longè antecellerent omnibus Regibus & principibus eius ætatis. Impetrat igitur Carolus Martellus, non minis, sed pro ipsorum amicitia petens

petens amanter, vt propter Ecclesiæ reuerentiam Pontifici & vrbi parceret.

Hac amicissimi & præstantissimi Principis oratione motus Lutbrandus, discedit ab vrbe Roma. Sed Rauennam obsidere rursus incipit, quò cùm ad eum Romanus Pontifex accessisset, soluit obsidionem. Redeuntem ad Padum sequitur Pontifex, quo reuerenter excepto & audito, vniuersæ Italiæ pax restituta est, nec multò pòst Lutbrandus ex hac vita placida morte discessit.

SETTIMVSDECIMVS Rex Longobardorum HILDEBRANDVS regnauit sex menses, filius fratris Lutbrandi. Die coronationis egredienti ex templo, & vitu gentis hastam gerenti sederat in ea Cuculus, id existimatum est esse infaustum omen. Nec multò post regnum ei ademtum est.

OCTAVVSDECIMVS Rex Longobardorum RACHISIVS Dux Foroiulienſis, qui singulari pugna Spoletanum, vt supra dictum est, vicerat, regnauit annos quatuor. Pacem à Lutbrando factam cum Romano Pontifice & Rauennatibus initiò confirmauit. Sed postremo anno Perusiam cepit, quò cùm ad eum Zacharias Romanus Pontifex venisset, persuasit ei, non solùm vt bellum finiret, sed etiam vt relicto regno pietatis studio Monasticæ vitæ sese dederet.

NONVSDECIMVS Rex Longobardorum ASTVLFVS Rachisij frater, regnauit annos octo, Tyrannus crudelis & timidus, Rauennam occupauit, & oppida quædam Romanæ sedi ademit. Et quia processurus erat ad vrbem Romam, Stephanus Pontifex frustrà petito auxilio à Constantino Imperatore, discessit in Galliam, petiturus vt Rex Francicus Pipinus Tyrannum reprimeret. Quanquam Pipino oblata erat occasio regni Longobardici occupandi: tamen sine cupiditate tantùm publicæ paci consuluit bis ingressus Italiam. In primâ expeditione Astulfus, cùm in faucibus Alpium infeliciter pugnasset, fugit in vrbem Ticinum, ibi metuens obsidionem, promisit pacem & dedit obsides. Redit igitur Pipinus in Galliam, sperans Italiam periculo liberatam esse. At Astulfus post abitum Pipini contra pacta ad vrbem Romam accedit, facit magnas vastationes, & Suburbana incendit. Rursus opem implorat Pontifex à Pipino, qui rediens non contentus promissis, cogit Astulfum relinquere Rauennam & alias Italiæ vrbes, quas partim Pontifex, partim Exarchi tenuerant. Nec tamen ei regnum Longobardicum ademit.

Hæc moderatio excellentibus Monarchis congruit, qui cùm iusta & necessaria bella gesserunt, ostendunt se magis publicæ saluti consulere, non hoc agere, vt priuatam potentiam augeant, vt cùm Romani

Romani Græcis integram libertatem reddiderunt, & repressione Macedonum contenti, non occuparunt eorum regnum. Astulfus post factam pacem res nouas moliens, Apoplexia in venatione extinctus est.

VLTIMVS Rex Longobardorum fuit DESIDERIVS. Dux Etruriæ, tenuit regnum annos octodecim. Contra pacis conditiones Pipino promissas occupauit Rauennam & alia vicina oppida, Fecit Episcopum Rauennatem contra Canones, qui antea non fuerat in Ecclesiastico ordine. Cumq; reprehensus ab Adriano Episcopo Romano exercitum Romam duceret, & Adrianus à Carolo Rege Francico auxilium peteret, regressus Desiderius venienti Carolo exercitum in faucibus Alpium opposuit, Sed victus Ticinum fugit, vbi decem mensium obsidione & fame coactus fecit deditionem. Interea Mediolanum & Veronam exercitus Caroli occupauit. Quia verò pacta Longobardi toties antea violauerant, seuerius egit Carolus, quàm antea Pipinus, vt scriptum est: Propter iniusticiam transferuntur regna. Carolus in sua potestate regnum Longobardorum retinuit, & Francicos præsides eis dedit. Regem Desiderium captiuum relegauit Leodium. Filius Desiderij Adelgisus ad Græcum Imperatorem fugiens, patricius Constantinopoli factus est. Postea cùm à Græcis instructus exercitu regnum pater-

num recuperare conaretur, à Francis captus & interfectus est.

Hic finis fuit regni Longobardici in Italia, quod ab Alboino vsq; ad huius Desiderij deditionem annos ducentos & quatuor durauerat. Præcipua virtus fuit EGILOLTHI, THEVDELINDÆ BAVARICAE CVNIBERTI, LVTBRANDI. Cæteri crudeles, & quidam sanguine cognatorum polluti fuerant, quorum pœnæ testimonia sunt iræ diuinæ, quæ etiam posteritatem hoc monent, quod dicitur in rota clamare Ixion:

Discite iusticiam moniti, & non temnere diuos.

Incidit hic finis regni Longobardici in annum, postquàm natus est Christus ex virgine, septingentesimum, septuagesimum tertium.

Carolus Romam profectus honorificè à Romano Pontifice exceptus est, & factus patricius Romanus. Iurauit Francos perpetuò amicos fore Romanæ sedi & Populo Romano. Nondum tamen Imperator factus est. Sed hæc initia fuerunt potentiæ Francorum in Italia, quæ diu profuit ad Italiæ pacem.

DE EXARCHIS.

REcitabo & continua serie EXARCHOS, qui fuerunt Vicarij Imperatorum Græcorum, & partem Italiæ rexerunt. Fuitq; arx eorum seu

seu aulæ domicilium RAVENNA. Incidit eorum initium in Longobardici regni initium. Sed citiùs aliquantò defijt Exarchatus, quàm regnum Longobardicum, videlicet cùm Pipinus in Italiam contra Astulfum vocatus est.

Anni tribuuntur Exarchis centum & septuaginta quinq;. Vocabulum non à sex vrbibus dictum est: Sed ἔξαρχος est eximius seu præcipuus Princeps. Horum tempore fuit eò inquietior Italia, quia cùm Longobardos Exarchi irritarent, quibus non erant pares, & suos spoliarent, magnæ vastationes & direptiones fiebant, magnos etiam tumultus contra Romanos Pontifices propter ἐικονομαχίαν & alias iniustas causas excitarunt. Sæpe enim Pontifices impediebant expilationes: Ac Mauricij Imperatoris tempore scribit Gregorius Romanus Episcopus, qui primus sic nominatus est, Malitia Exarchi aduersus nos gladijs Longobardorum vicit, qui nos rapinis & fallacijs perdit.

Cùm igitur in odio essent Græci propter rapinas, libidines & dissensiones de religione, & assiduæ bella in Italia essent, nihil mirum fuit à Francis peti defensionem, quorum iusticia, fortitudo, modestia & pietas tunc cognitæ erant. Nec facilè in eadem familia continuos quatuor tales Principes inuenire possimus, quales fuerunt Carolus Martellus, Pipinus, Carolus Magnus, & Ludouicus

douicus Pius, ac Deus donec vult gentes aliquas seruare, deletis Tyrãnis transfert imperia ad iustiores, & natura fit, vt à iustioribus, præsertim vicinis, defensio petatur.

PRIMVS EXARCHVS *ab Imperatore Iustino secundo, postquàm Narses mortuus fuit in Italiam missus est* LONGINVS, *cuius nulla virtus celebratur, raptus virginum & matronarum narrantur, ad quos sceleratos ministros habuit, qui nominati sunt* γυναικοιέξαρχες.

SECVNDVS *fuit Mauricij Imperatoris tempore* SMARAGDVS, *qui nactus occasionem gerendi aliquid contra Longobardos ex domestica eorum discordia, Dotrulam Sueuum, qui ab eis defecerat, contra eos armauit. Is Veroaldum ducem Longobardicum cepit & interfecit. Recepit & oppida quædam Smaragdus. Sed rursus pulso Dotrula Smaragdus cum rege Longobardico inducias fecit.*

TERTIVS *fuit nomine* ROMANVS *à Mauricio Imperatore successor missus Smaragdo, turbauit inducias, & aliquot oppida recepit, sed cùm Romæ aliquandiu grassatus esset expilationibus & rapinis, non multò post Rauennæ mortuus est.*

QVARTVS *dictus est* CALLINICVS, *qui fortem & iustum regem Egilolphum irritauit capta Parma, & abductis filia Egilolphi & genero. Moto igitur bello non solùm Callinicum reprimit, sed etiam oppida quædam recipit, & iratus exercitum ad vrbem Romam obsidendam ducit. In hoc tanto Italiæ incendio Callinicus Rauennæ moritur. Rursus igitur Smaragdus à Mauricio in Italiam missus est.*

QVINTVS *Exarchus Smaragdus iterum. Huius tempore Egilolphus cùm Romam obsidione integri anni fatigasset, Cremonam vi captam prorsus deleuit. Deinde Mantuam deditione cepit. Cùm igitur Smaragdus videret suas vires nequaquam pares esse Longobardicis, pacem fecit cum Egilolpho, quem & coniunx Theudelinda & Gregorius Pontifex ad pacem flectebant. Suntq; redditi captiui Egilolphi & eius filia cum honorifico comitatu dimissi.*

SEXTVS IOHANNES LAMIGIVS *Thrax, à Phoca missus, adduxit magnum agmen mulierum & spadonum. Congruit hîc prouerbium de similitudine domini & ministri: Quales dominæ, tales catellæ. Miserat Phocas non meliorem Vicarium, quàm erat ipse. Rauennates igitur ægrè ferentes Imperia Thracum, Spadonum & mulierum, & rapinas ac libidines, trucidarunt Lamigium & familiam.*

SEPTIMVS ELEVTHERIVS *ab Heraclio missus, initiò feliciter oppressit Neapoli*

seditiosos, quorum Dux nominatur Iohannes. Deinde facta pace cum Longobardis in annos decem, quia Egilolpho mortuo mater Theudelinda propter filij adolescentiam pacis cupida erat, Eleutherius videns Italiam tranquillam esse, sese Regem Italiæ nominat. Sed cùm Romam exercitum ducit, à suis militibus interfectus est, & caput missum est Constantinopolin ad Heraclium Imperatorem.

OCTAVVS ISAACIVS ab Heraclio missus, pacem cum Longobardis factam confirmauit, & decem annos addi voluit ad conditiones pacis. Romam autem veniens, vt electionem Romani Episcopi Seuerini confirmaret, pecuniam quæ in Lateranensi templo reposita erat, rapuit, & parte distributa militibus, reliquum auexit Rauennam. Ad hoc sacrilegium vsus fuerat ministro, cui nomen fuit Mauricius Carthularius, quem Romæ præfectum vrbis fecit. Hic vt Isaacium excuteret, criminatus est eum palàm apud Iudices Romanos & præsidium, velle cum Eleutherij exemplo regio nomine in Italia dominari, & iam contra eum in oppidis aliquot præsidia collocauerat. Re cognita Isaacius mittit exercitum aduersus eum: iam desertus à suis, cùm in templum fugisset, inde extractus est & securi percussus, caput hastæ infixum diu Rauennæ in circo pependit. Nec diu pòst Isaacius subita morte extinctus est. Hæ tragœdiæ ostendunt, quales & mores & gubernationes Exarchorum fuerint.

NO-

NONVS THEODORVS CALLIOPA missus ab Heraclio Longobardis bellum intulit, qui amplius viginti annis quieuerant, sed magno prælio ad Mutinam victus est à Rhothari. Post eam victoriam Rotharis occupauit Ligauriam.

DECIMVS OLYMPIVS missus à Constantino mandata Romam attulit, vt Episcopus Romanus errorem Monotelitarum amplecteretur. Cumq; Martinus Romanus Episcopus refragaretur, percussorem in templum misit, qui interfecturus Martinum subitò cæcus factus est. Quo miraculo motus Olympius Romano Episcopo adeò amicus factus est, vt & Rauennatem Episcopum coëgerit se Romano subijcere, cùm antea voluerit par esse. Deinde Romanus Episcopus hortator fuit Olympio, vt à Sicilia Saracenos depelleret. Quod cùm fecisset, ibi morbo extinctus est.

VNDECIMVS THEODORVS CALLIOPA iterum Romæ Lateranensem Basilicam ingressus, tanquàm salutaturus Martinum Episcopum, vi eum cepit, & captum misit Constantinopolin, vnde in Chersonesum deportatus, vbi exulans aliquantò pòst mortuus est.

DVODECIMVS IOHANNES PLATINA missus à Iustiniano Secundo, cùm Romæ dissensio esset de electione Pontificis, venit eò pecunia corruptus, vt Paschalem crearet Romanum

manum Episcopum quod tamen perficere non potuit. Quia Paschalis damnatus est, quòd magicas imposturas exercuisset, qui & in Monasterium inclusus est, vbi dolore animi extinctus est. Rediit Iohannes Rauennam spoliatis Romæ templis.

TERTIVSDECIMVS THEOTHYLACIVS missus ab Apsimaro, prius ex Sicilia Romam venit, quàm accessit Rauennam. Cumq; direptiones & cædes metuerentur, præsidia quæ Romæ & Rauennæ erant, se contra eum coniunxerunt. Sed Romanus Episcopus, cùm inter Exarchum & exercitum velut arbiter esset, persuasit eis, ne inter se dimicarent, & vt Rauenna sine latrocinijs discederent.

QVARTVSDECIMVS PAVLVS à Leone Tertio missus, Gregorium Tertium Romanum Episcopum capere iussus fuerat, quod Leoni Tertio propter εἰκονομαχίαν tributa negari iusserat, Sed à Romanis cum filio interfectus est.

VLTIMVS Exarchus EVRICHVS à Leone Tertio missus, cùm literis Romanos ciues contra Gregorium incitaret, edidit contra eum Gregorius fulmen excommunicationis. Aliquantò pòst Astulfus Rex Longobardorum Rauennam cepit. Contra hunc Stephanus Romanus Episcopus accersiuit Pipinum, quo tempore finis fuit & nomi-

nominis & gubernationis Exarchorum, cui tribuuntur anni centum, septuaginta quinq;.

Feci continuos catalogos regum Longobardicorum & Exarchorum, vt mores & exitus Principum in vno loco propositi magis conspici possint. Nũc ad Imperatores redeo.

Anno Mundi quatermillesimo, quingentesimo, tricesimo nono.

Anno Romæ millesimo, trecentesimo, vicesimo septimo.

Anno Christi quingentesimo, septuagesimo septimo.

DE TIBERIO.

TIBERIVS CONSTANTINVS ascitus ad Imperium à Iustino adhuc viuente propter eximias virtutes, quæ in eo in gubernatione aulæ conspectæ erant. Tenuit Imperium annos septem. Coronatus est à Patriarcha Eutichio cum coniuge Anastasia.

Mansit constans in professione piarum Synodorum, nec permisit turbari Ecclesiam. Fuit iustus in gubernatione, placidus & sine πολυπραγμοσύνῃ, sine auaricia. Noua quædam tributa abolevit. Adeò multa distribuit ad alendas pauperes familias, vt à Sophia Iustini vidua reprehenderetur, Sed Deus vicissim ei & opes auxit, & victorias egregias donauit. Dum enim auream crucem marmori

mori insertam in terra leuari iubet, nolens eam pedibus calcari, magnos thesauros sub ea reperit.

Peruenerunt ad eum & thesauri, quos Narsetes ex Italia miserat. Cum Longobardis pacem fecit. Contra Persas misit Ducem Mauricium Cappadocem, qui feliciter victis Persis Mesopotamiam recepit. Captiuos vestitos Tiberius in Persiam remisit. Mauricio reuerso dedit filiam Constantinam vxorem, eúmq; viuens Imperatorem fecit laudatum oratione sua apud exercitum. Sic cùm relinqueret successorem generum iudicio delectum, aliquantò pòst morbo ex hac mortali vita placidè decessit.

Anno Mundi quatermillesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto.

Anno Romæ millesimo, trecentesimo, tricesimo quarto.

Anno Christi quingentesimo, octuagesimo quarto.

MAVRICIVS CAPPADOX.

MAuricius Cappadox gener Tiberij successit socero. Tenuit Imperium annos viginti, coronatus à Patriarcha Iohanne Ieiunatore. Fuit Scriba Iustini secundi, ac propter industriam consilio Sophiæ factus est comes Prætorianorum. Deinde Tiberius eum præfecit exercitui misso contra

tra Persas. Initia habuit gloriosa: Tiberij tempore vicerat Persas suo ductu. Deinde cum esset Imperator, misit contra eos ducem Philippicum, cui nupta erat Gordia soror Mauricij.

Etsi autem variæ vices erant in eo bello, & crebræ exercituum seditiones: tamen Romani tandem fuerunt victores propter discordias Persarum, qui suo regi Orimasdæ oculos effoderunt, quem & filius Cosroës postea occidi iussit. Propter id parricidium cùm Cosroës ad Romanos confugisset, in his discordijs Persæ victi sunt. Et quia Rex Cosroës ad Romanos fugerat, sapienter Mauricius pacem hac occasione fecit: Restituit Cosroën in regnum, limitibus Imperiorum distinctis, & pace vtrinque promissa, quæ duravit vsq; ad Phocæ initium. Translatum est igitur bellum in Europam, & exercitus ex Syria reuocati sunt ad reprimendum Regem Auarum Caganum. Sed ante huius noui belli initium domesticas res constituit: Filium Theodosium Imperatorum creat, quem & Patriarcha Iohannes Ieiunator in Paschate coronauit, ac filia Germani Patricij nata ex sorore coniugis Mauricij Theodosio desponsata est.

Hactenus felix & gloriosa fuit Mauricij gubernatio: sequens tempus non solùm exemplum est instabilitatis fortunæ, sed etiam in principe pio conuersionis seu pœnitentiæ maximè dignum consideratione. Apparet autem in illa indulgentia fortu-

fortunæ mores factos esse asperiores, cum initiò fuisset iustus, & vt scriptor Græcus inquit: συγκεάσας τῷ σεμνότητα μετὰ πραότητα ἐλεύθερόν τε καὶ ὑπερόψιας. Postea iracundior factus est & suspicax, & magis contemsit suos & alienos.

Eodem tempore bellum intulit duabus gentibus bellicosis, Longobardis in Italia & Vngaris. Etsi autem Longobardi propter suas discordias quædam oppida amiserunt, tamen non sunt domiti, & Italiam Exarchi, vt supra dictum est, non leuiter afflixerunt.

Bellum Vngaricum atrocius fuit. Rex Auarum seu Hungarorum CAGANVS nominatus, cuius magna fuit potentia, & magnus vsus militiæ. Nam in Asia bellum antea cum Turcis gesserat, quorum nomen Mauricij tempore primùm in historia legitur, de quibus postea in rebus Saracenicis dicemus. Hic Caganus occupato Syrmio processit ad Anchialum, quæ aut Varna est aut oppidum vicinum Varnæ. Inde Mauricius progressus obuiam hosti, recepit Anchialum, & rediens Constantinopolim, fecit Ducem exercitus Priscum, qui post aliquot prælia inducias cum Cagano fecit, missa Oratore, qui hac narratione Regem ferociùs respondentem flexit: Dixit olim Ægyptium Regem Sesostrin vehi solitum aureo curru, qui à quatuor Regibus domitis trahebatur. Cùm autem vnus ex illis

illis regibus sæpe respiciens Rotam intueretur, interrogat Sesostris, cur toties respiciat: Intuens, inquit, rotæ volubitatem, in qua citò ea quæ summa fuerant, fiunt ima: cogito de nostra fortuna. Hac admonitione motus Sesostris factus est modestior, & Reges liberauit. Delectatus hac narratione Caganus fecit inducias, quæ tamen breui post violatæ sunt, & Duces Mauricij trucidarunt triginti millia Auarum, Sclauonum & Gepidarum, & ceperunt tredecim millia hominum, quos Mauricius ad Caganum remisit.

Deinde Caganus cepit duodecim millia Romanorum militum seu ducis Commentioli Thracis perfidia, seu alio casu. In ea verò expeditione Caganus templa deleuerat, & ossa Martyrum ex monumentis eiecerat. Secuta igitur pestilentia, in qua septem filios vno die Caganus amisit, domum redire properat. Quare ostendit posse redimi captiuos, & pro singulis vnum aureum petit. Negat Mauricius seu auaricia, vt scribitur, seu pertinaciâ se redemturum esse captiuos. Iratus igitur Caganus, omnes trucidari iussit. Horum interitus cùm magnum dolorem multis afferret, ortæ sunt in reliquis exercitibus seditiones, præsertim quia & Petrus frater Mauricij Dux stipendia indignè pendebat, & in tantum odium venit Mauricius, vt in die Natali Christi ingrediens in templum penè lapidibus obrutus sit.

Nec tantùm benevolentiam popu'i in aduersa fortuna amisit, sed etiam virtus languefacta est, & multi errores consiliorum secuti sunt, sicut dicitur: Æger animus semper errat. Philippicum Ducem, cui nupta erat Mauricij soror, inclusit in carcerem, falsò suspicans eum regnum appetere. Germanus, cui nupta erat soror vxoris Mauricij, cùm eum prehensurus esset, fugit in Templum: Filius Theodosius, cui Germani filia nupta erat, cæsus est fustibus, quia pater suspicabatur eum adiuuare consilia soceri contra ipsum.

Talia exempla nos de infirmitate humana commonefaciant, quæ ostendunt non solùm fortunam mutari: Sed, quod multò tristius, in magnis viris extingui sapientiam & virtutem.

Auxerunt consternationes Mauricij & prodigia & somnia. Conspectus est Cometa Xiphias. Accurrit Monachus quidam stricto gladio ad statuam Imperatoris, clamitans: Imperatorem ferro perituru esse. Ipse somniauit, se tradi iugulandum suo militi PHOCAE. Quare Philippicum ex carcere eductum interrogat, qualis sit Phocas? Respondet, Centurionem ambitiosum esse, sed timidum. Addit igitur Mauricius hoc vetus dictum: Si timidus est, homicida est, vt vetustas dixit: πᾶς δειλὸς φονικός.

Cumq; varij essent in vrbe & in castris tumultus, milites ad Istrum Centurionem Phocam virum

rum Thracium sublatum in Clypeum iubent Imperatorem à toto exercitu nominari. Hic cum turbæ militaris acclamationibus nominatus esset Imperator, properat Constantinopolin, vbi eum in suburbano coronat Patriarcha CYRIACVS, ingressum in vrbem populus recipit. Et quia ad Chalcedonem Mauritius ægrotus cum coniuge, & paruis filijs & filiabus fugerat, sequi eum Phocas Tyrannus iussit. Suntq; in portu spectante Phocæ primùm duo iuniores filij Mauricij necati, deinde tres filiæ, post has mater Constantina filia boni Principis Tiberij.

Spectauerat Mauricius filiorum & filiarum neces mirando silentio, Sed cum videt sanctam coniugem etiam feriri, hanc edidit confessionem suorum delictorum: IVSTVS ES DOMINE ET RECTVM EST IVDICIVM TVVM. Postea & ipsi Mauricio caput præcisum est. Cadauera in littore abiecta sunt, vt à populo conspicerentur, quæ deinde ab Eunucho quodam in templo sepulta sunt. Filius Theodosius præmissus erat à patre, vt ad Persas fugeret, Hunc quoq; ex fuga retractum Phocas trucidari iussit. Mox interfecti sunt & Germanus socer Theodosij, & filia eius Theodosij coniunx. Ab his decem cognatis corporibus initium horrendæ sæuitiæ factum est, quæ postea latius grassata est in amicos

Mauricij. Hæc tanta ruina nobilissimæ familiæ digna est consideratione.

Etsi fuit in Mauricio virtus: tamen vel iracundia vel pertinacia peccauit, cùm exercitum non redemit, & accesserunt alia peccata communia humanæ infirmitati. Pœna igitur ipsius nos de ira Dei admoneat, vt simus modesti, & viuamus in timore Dei, & in inuocatione.

Simul autem & magnitudo pœnitentiæ consideretur, quam optarim magis perspicuè descriptam esse, pluribus testimonijs inuocationis Dei recitatis. Sed hæc expressa confessio in tanto dolore: Iustus es Domine &c. similis est confessioni Danielis: TIBI DOMINE IVSTICIA, NOBIS AVTEM CONFVSIO FACIEI. &c. Significat non defuisse veram fidem & inuocationem. Adiungamus ergo hoc insigne exemplum ad hæc dicta: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Item: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.

Item: Gratia exuberat supra delictum.

Item: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Nec verò multò pòst & Phocas & illi scelerati exercitus puniti sunt, vt mox dicetur.

Anno Mundi quatermillesimo, trecentesimo, sexagesimo sexto.

Anno

Anno Romæ millesimo, trecentesimo, quinquagesimo quinto.

Anno Christi sexcentesimo quarto.

PHOCAS.

PHOCAS ignobilis Centurio Thracius, per seditionem creatus Imperator, occiso Mauricio tenuit Imperium annos septem coronatus in suburbano Constantinopolis à Patriarcha Cyriaco. Cùm Mauricium interfici iussisset, mox crudelitatem in eius amicos exercuit. Postea toto Imperij tempore, vt homo ignobilis, iniustè nactus potentiam, tantùm ea ad priuatam nequitiam & crudelitatem vsus, deditus luxui & libidinibus, rapuit aliorum coniuges, multos innocentes interfecit, exhausit prouincias tributis. Domi igitur temulentia & stupris retentus sinebat Imperium alibi à Persis, alibi ab Hunnis & Cagano vastari, ac sceleratus exercitus, qui conspersus fuit sanguine Mauricij, mox in Oriente pœnas dedit. Victor enim Cosroës duobus magnis prælijs, trucidata magna multitudine, reliquos abduxit captiuos. Eripuit Romanis Ierosolymam, & inter thesauros crucem auexit, & magnam Christianorum multitudinem occîdit. Occupauit Syriam, & multas prouincias populatus est.

Cùm igitur Tyrannus Phocas in odio esset non solùm populi, sed etiam Principum, coniun-

gunt se Priscus, qui Mauricij tempore inter præcipuos Duces fuerat, & tunc Phocæ gener factus erat, & Heraclianus Aphricæ præses, & Photius, cuius uxorem Phocas rapuerat, resq; ita instruitur, ut eodem tempore Priscus Thracium exercitum, & Heraclianus Aphricanum ad Constantinopolin adducant, & Photius cum parte militum Regiam occupet. Quanquàm autem Prætoriani artere venientes conati sint, tamen Aphricanus exercitus trucidatis paucis temulentos illos dissipauit, & urbem ingressus est. Photius occupata Regia cepit Phocam, & ad Heraclium filiũ Heracliani Aphricã exercitus adducit. Ibi milites adducto Phocæ brachia & pedes mutilarunt: Scribunt & execta esse pudenda, postea caput præcisum est.

Hic fuit exitus Tyranni, qui antea Imperatorem suum Mauricium interfecerat, & postea multa scelera addidit. Agnoscatur ergo & in hoc exemplo ira Dei, denunciata in his regulis: Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit. Item: Omnis anima, quæ fecerit has abominationes, eradicabitur.

Laudat Phocam Gregorius Romanus Pontifex odio Mauricij, & deinde Romani Episcopi Phocæ Tyranni decreto freti prætulerunt se cæteris Episcopis. Quia hic fortassis, ut Romam haberet minus contumacem, iussit Romanum Episcopum supe-

superiorem Constantinopolitano & cæteris omnibus dici & haberi. Quæ de re & antea rixæ motæ fuerunt, cũ Constantinopolitanus se οἰκουμενικὸν nominaret, quem reprehendens Gregorius inquit: O tempora, ô mores, ardet undiq; bellis orbis terrarum: trucidantur ab Idolorum cultoribus Christiani: delentur à barbaris urbes & templa, & tamen sacerdotes uelut insultantes publicis calamitatibus uanitatis nomina usurpant, & profanis titulis se ostentant.

Anno Mundi quatermilleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo tertio.
Anno Romæ milleſimo, trecenteſimo, ſexageſimo tertio.
Anno Chriſti ſexcenteſimo, duodecimo.

HERACLIVS.

HERACLIVS Heracliani præsidis Aphricæ filius, natus in familia patricia, cùm occisus esset Phocas, mox consensu Senatus & exercituum Imperator factus est: tenuit Imperium annos triginta. Eodem die & coronatus est à Patriarcha SERGIO, & duxit uxorem Fabiam Eudoxiam, quæ simul coronata est. Duabus rebus maximis insignis est ipsius gubernatio, quarum altera felix fuit, repressio Cosroæ Persici Regis, altera calamitosa uniuerso generi humano, videlicet initia sectæ et regni Mahometici.

De his ordinè dicendum est. Heraclius pace facta cum Cagano, per Legatos etiam pacem petiuit à Cosroë, qui iam & Ierosolymam populatus erat, & Syriam occupauerat, & nonaginta millia Christianorum trucidauerat, quo tempore Iudæi multos Christianos emerant, vt eos interficerent. Respondit autem Cosroës, se non depositurum esse arma, donec perfecisset, vt Deus Persicus coleretur, abolita inuocatione eius Dei, qui diceretur crucifixus esse. Auxerunt superbiam Cosroæ priores successus Phocæ tempore, & magnæ difficultates erant Heraclij etiam propter Ducum perfidiam. Sed eò alacrius hosti occurrit, quia non imperij causa tantùm, sed multò magis propter defensionem Ecclesiarum & Christianæ doctrinæ dimicandum esse intelligebat. Erectus igitur spe auxilij diuini exercitum in Syriam ad Azotum ducit. Inde cùm Cosroës fugeret, ter dimicat Heraclius cum Cosroæ exercitibus, quibus profligatis domestica calamitate Cosroës oppressus est, vt insigni exemplo eius superbia & blasphemia punirentur.

Cùm filium secundum MARDASEN neglecto primo filio SIROE successorem in regno Persico constituisset, cepit patrem COSROEN maior natu filius, & trucidato fratre Mardasa spectante patre, deinde & patrem interfecit. Hoc modo regnum adeptus Siroes, vt securior esset, pacem

cem cum Heraclio fecit, redditis captiuis, inter quos erat ZACHARIAS Patriarcha Ierosolymorum, & reddita cruce. Vicissim Heraclius restituit captiuos, & Syriam & Ierosolymam recepit. Durauit hoc ingens bellum annos sex.

Reuersus Heraclius Byzantium ingressus est, sedens in curru sine ornamentis triumphalibus, tenens crucem in manibus, ac Filio Dei palàm gratias agens pro victoria, cuius recordatio vt celebraretur, feriæ exaltatæ Crucis institutæ sunt. Ac profectò pœna blasphemiarum Cosroæ, vt Sennacherib, Antiochi Nicanoris & similium memoria digna est.

DE MAHOMETI SECTA ET REGNO.

INgens & horrenda mutatio generis humani & quidem celeriter facta est, sparso dogmate MAHOMETI, quod primùm amplexi sunt ARABES, qui nunquam legitimis Imperijs paruerunt, Sed vel domi latrocinia exercuerunt, vel suo arbitrio foris, alij apud alios mercede militarunt. Huic genti cupidæ libertatis & militiæ, legem accommodatam ad amplificationem libertatis & potentiæ Mahometus scripsit.

In Arabia natum esse Mahometum, plurimi tradunt, ac primùm sibi adiunxisse Saracenicum exercitum, vnde postea Saracenici regni appella-

tio facta est, De quo cùm dicturi simus, prius quæ fuerit Gens Saracenica, & vbi fuerit, expono.

Ex Mose notum est posteros Ismaelis, qui ex AGAR natus est, tenuisse Arabiam, inde Agra vrbs nominata est ab Agar matre Ismaelis, & gens Agræi, qui in primo lib. Paral. cap. 5. nominantur Agareni, vbi & limites vicini Galaad monstrantur. Nomen idem Agareni extat in Psalmo 82.

In ea regione, in qua fuisse Agarenos certum est, collocat Ptolemæus Saracenos, & nomen Saracenorum extat in historia Zenobiæ in victorijs Aureliani. Existimo autem ipsam gentem Agarenam maluisse nominari Saracenam, à Sara. Quia gloriosius erat, dici ortos à Sara, quàm ab Ancillâ Agar. Ipse Mahometus etiam postea gloriosi nominis mentionè confirmauit exercitum, vociferans pertinere ad eos promissionem regni Mundi, Abrahæ posteris traditam, qui essent filij Saræ, sicut prætextu religionis sæpe homines incitantur.

Militauerat autem exercitus Saracenicus apud Heraclium contra Persas. Et quia stipendia non dabantur, defecit ab Heraclio. Aiunt & contumelia irritatos esse, cum Heraclij Quæstores dixissent, se vix posse Romano & Græco militi stipendia dare, nec tantùm se habere pecuniæ, vt huic canum turbæ satisfacerent. Visitata sunt autem alioqui Arabicæ genti latrocinia. Quare exercitus Saracenicus, qui defecerat, diripit oppida Damasco vicina. Multi inopes itiam à Mahometo adiuti, qui ducta vxore ditissima facilè perfecit largitionibus, vt milites eum audirent, suasit, vt Ducem crearent, & vt firmior esset consensus, tollerent religionum dissidia, eligerent doctrinæ genus vtile concordiæ. Ipse doctrinæ formam proposuit, addidit se habere colloquia cœlestia & enthusiasmos, vt augeret autoritatem. Creatus igitur Dux paulatim initia regni confirmauit in vicinia Damasci annos nouem.

Initium regni Mahometi collocatur in annum Christi sexcentesimum, vicesimum tertium.

Successit ei AMIRAS gener, qui Damascum cepit, & regni caput constituit. Deinde cepit Gazam & Hierosolymam obsessam biennio.

AHVMAR tertius Rex magna Syriæ parte domita occupat Ægyptum.

MVHAVIAS quartus rex Cæsaream Palæstinæ septenni obsidione cepit, & victo Cosroæ filio ORIMASDA Persiam regno Saracenico addidit, & ei legem Mahometicam imposuit. Ita intra annos triginta Saraceni potiti Arabia, Palæstina, Phœnicia, Syria, Ægypto & Persia, magnam potentiam adepti sunt. Postea Aphricam totam occuparunt, ac paulatim in Asiam processerunt, ac latè cum Imperio legem Mahometicam propagauerunt.

Etsi

Etsi autem inter ipsos quoq; seditiones & regnorum diuisiones secutæ sunt, vt in alijs regnis: tamen Saracenorum Principes Sultani præcipuam potentiam in Syria, Ægypto, Aphrica, & magna parte Asiæ retinuerunt circiter quadringentos annos, donec Rex Saracenicus, qui Persiam tenuit, contra Babylonicum Turcos attraxit, qui paulatim accepta lege Mahometica excusserunt ex regno Persico Regem Saracenicum tempore Constantini Monomachi seu Cunradi Franci, non multò ante Gotfridi expeditionem susceptam ad Palæstinam.

Ac de Turcis eo loco plura dicemus, quos etiam veteribus temporibus nec ignotam nec exiguam gentem fuisse apparet ex Plinio, qui Turcos nominat tanquam vicinos Tyssagetis, & sunt apud Herodotum in Melpomene, Tyssagetis vicini ἴυρκαι, quod est aut Turcæ aut Iura.

Consentaneum est autem gentem Turcicam significari appellationibus GOG & MAGOG, *quos Ezechiel ait gentem Septentrionalem esse capite 18. & 19.*

Apparet & DANIELEM *de Saracenico regno loqui, cùm prædicit quartæ Monarchiæ distractionem, postquàm tale regnum venturum esse inquit, quod & nouam doctrinam contumeliosam contra Deum propagabit, & bella geret aduersus Sanctos. Id perspicuè congruit ad regnum Saracenicum*

cenicum, in quo doctrina expressè contraria Euangelio traditur, quæ vt inuitaret animos militares, astutè laxat in priuatis moribus licentiam, & in publica consociatione beneficentiam, concordiam & decus militiæ confirmat. Et quia sciebat dissidia oriri de difficilibus articulis, qui non iudicantur ratione, remouit doctrinam de tribus personis diuinitatis, & contendit tantùm vnicam personam esse Deum. Negat in Christo duas esse naturas.

Hæc auidè accipiebant Iudæi, & plurimi, qui Samosatenica contagia in illis locis habebant, Sicut & narratur, in ALCORANO *scribendo* SERGIVM *Monachum, & alios quosdam hæreticos & Iudæos adhibitos esse, quorum deliberatione popularia dogmata electa sint, & res ostendit hæc duo astutè confusa esse, Enthusiasmorum simulationes, & dogmata popularia, Sicut ab Anabaptistis.*

Deinde taxauit Mahometus Euangelium, quòd prohibeat vindictam, & non cogat gladio populos ad obedientiam. Vt igitur legem suam armaret Mahometus, dicit Imperium suæ genti, quia sit orta à Sara, promissum esse, & id armis occupandum esse, & cogendas esse omnes gentes, vt aut legi Mahometicæ obediant, aut viuant oppressi seruitute. Hæc enim verba leguntur in verbis excerptis ex Alcorano: ὅτι οὐκ ἦλθε διὰ θαυμάτων, ἀλλὰ

λὰ δι᾽ ξίφους δῶσαι τὸν νόμον, ἢ τοῖς μὴ πειθομένοις αὐτῷ θάνατον ἔσαι ἢ τιμωρίαν ἢ φόρους δῶναι.

Ordinat igitur militares gradus, & attribuit Ducibus & militibus certa stipendia expensionibus publicis, quas non licet ad alios vsus transferre. Deinde seditiosos, desertores & taxantes aliquid in Alcorano iubet interfici, vt legitur in excerptis: ἐι τὶς λόγον ἀπορίας ἕνεκεν εἰς τὸ κοινὸν, ἢ ὑβρεως θανάτῳ τελευτήσει.

Vt autem illecebras addat, concedit πολυγαμίαν, *& sinit fieri diuortia priuato arbitrio, sine cognitione iudicum, & sine manifesta causa. Deinde vt sit occasio beneficentiæ, quæ prodest ad concordiam, non solùm iubet largiri pauperibus, sed etiam pro delictis ordinat mulctas dandas pauperibus. Ita remissionem peccatorum transfert in satisfactionem: & si quis fecit stuprum aut adulterium aut iurauit falsò, diues vestiat decem inopes, aut redimat precio captiuum. Inops vestiat duos pauperes. Homicidia & furta punit sicut Lex Moysi. Ita duo præcepta vtilitatis causa vtcunq; retinet: Non occides, &, Non furtum facies.*

Deinde vt distinctionem suæ multitudinis à cæteris gentibus faceret, & aliqua religionis species esset, ceremonias addidit, sed paucas, quia turba militaris non patitur multa talia vincula.

Retinuit

Retinuit Circumcisionem, vt confirmaret persuasionem de regno promisso posteritati Saræ. Instituit diem Festum, qui nobis est sextus dies hebdomadæ: iubet quotidie dici precationem quinquies: Concedit vesci omnium quadrupedum, volucrum & piscium carnibus, excepta suilla carne: Seruantibus hanc legem promittit victorias & opes in hac vita, & post hanc vitam in Paradiso, vt ipse nominat, delicias & gaudia sine fine, ac certò beatos fore affirmat omnes fortiter præliantes in acie.

Has leges cùm turba militaris libenter acciperet, citò creuit multitudo, & victoriæ Legis autoritatem auxerunt. Est autem forma propemodum Laconicæ similis, præcipuè ad militiam directa.

Scripserunt refutationes Græci, quas inspicere vtile est, in quibus hoc rectè dicitur:

Nullam doctrinam de Deo posteriorem Apostolis, quibus Filius Dei resuscitatione mortuorum testimonium dedit, dissentientem ab Euangelio, veram esse.

Manifestum est autem Mahometi doctrinam plus quingentis annis posteriorem esse Apostolica, & ab Apostolica dissentire.

Non est igitur vera.

Huic Argumento & hoc addatur.

Impossi-

Impoßibile eſt eſſe Eccleſiam Dei cœtum ex profeſſo reijcientem ſcripta Prophetica & Apoſtolica.

Mahometiſtæ ex profeſſo reijciunt ſcripta Prophetica & Apoſtolica.

Non igitur ſunt Eccleſia Dei.

Hanc confirmationem toto pectore teneamus, & primùm nobis præmonitionem Danielis proponamus, qui ait, Hoc cornu venturum inclinata Monarchia potentius cæteris regnis, habiturum oculos & ſermonem grandiloquum, & ſermones contra verum Deum locuturum eſſe, & bella geſturum contra Sanctos, & habiturum victorias.

Hæc omnia congruunt ad Saracenicum regnum, quod ortum eſt initiò tribus cornibus à Romana Monarchia auulſis, Syria, Ægypto & Africa. Oculi verò ſignificant legem aſtutè cogitatam, & os loquens contra verum Deum ſignificat blaſphemias contra Filium Dei.

Hac prædictione Danielis commonefacti poſtea videamus, vbi & quomodo diſſentiat Mahometi doctrina à ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Qua in conſideratione neceſſe eſt diſcerni Legem & Euangelium, & vſum legis, qui proprius eſt miniſterij Eccleſiæ, & vſum politicum. Quanquàm enim politica quædam in lege Mahometi plauſibilia ſunt, ſicut Daniel ait, Hoc cornu oculos habere: tamen ſciamus totam legem Mahometi

meti tantùm eſſe politicam formam, penè Laconicam. Interea verò deleri à Mahometo propriam Euangelij vocem de filio Dei, neq; quis ſit, neq; cur miſſus ſit, rectè dicit. Hæ igitur regulæ firmiſſimè teneantur.

Qui non honorat Filium, non honorat Patrem.

Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

1. Ioh. 2. Omnis negans Filium neq; Patrem habet.

Iohan. 14. Nemo venit ad Patrem niſi per Filium.

Iohan. 3. Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in vnigenitum Filium Dei.

Item: Qui non credit Filio, non videbit vitam ſed ira Dei manet ſuper eum.

1. Cor. 3. Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS.

His perſpicuis & firmis teſtimonijs muniti execremur Mahometum, qui primùm negat in Chriſto eſſe duas naturas. Negat hæc dicta: Mundus per ipſum factus eſt: Antequam Abraham natus eſt, ego ſum. Deinde de cauſis miſſionis audaciſſimè negat Chriſtum miſſum eſſe, vt eius mors ſit precium propeccatis noſtris, vt propter eum dentur remiſſio peccatorum, imputatio iuſticiæ,

Spiritus Sanctus, & hæreditas vitæ æternæ. Negat per eum & propter eum fieri resuscitationem mortuorum. Negat hanc vocem Prophetarum & Apostolorum : Ponit animam suam hostiam pro peccato, Sanguis Christi purificat nos ab omni peccato, Iustificamur fide gratis per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem posuit pro nobis propiciatorem. Tantùm dicit Christum fuisse Legislatorem, & quidem inermen & inutilem Imperio.

Cùm igitur Mahometus manifestè blasphemus sit, doctrinam de persona Christi, & de officijs corrumpens, & palàm contradicat Prophetis & Apostolis, confirmemus nos regulis suprà recitatis ex Prophetis & Apostolis : Qui non manet in doctrina Christi, Deum non habet.

Hæc cogitantes, etiam quotidie seiungamus inuocationem nostram à colluuie Mahometica, & Deo gratias agamus, quòd nos Ecclesiæ suæ inseruit. Quanquam enim ingens multitudo est & potentia gentium in maxima parte generis humani, quæ Mahometi blasphemias amplectuntur : tamen summissimè statuamus, impossibile esse, tales esse Ecclesiam Dei qui ex professo reijciunt scripta Prophetica et Apostolica, & negant Christum esse redemptorem. Deinde fingunt se suis eleemosynis & labore militiæ mereri remissionem peccatorum & vitam æternam.

Hæc

Hæc refutatio Mahometica sumta ex Euangelio est illustris. Alij legalia quædam taxant. Sed deletio Euangelij est longè maius scelus. Postea & legalia aspiciantur.

Semper confusiones libidinum sunt signa impietatis. Mahometus reipsa dolet coniugium, concedens diuortia pro cuiusq; arbitrio, etiamsi nullæ probabiles causæ sint. Nam ducere & abijcere cùm libet, reipsa est vulgaris scortatio. Dissentiunt etiam à doctrina diuina, prohibitio vini & suillæ carnis.

Nec disputandum est, Quare sinat Deus tantam multitudinem tàm horribiliter decipi & perire? & quare blasphemos occupare summa Imperia sinat? sed dolendum est potius tantam esse potentiam diabolorum, & tantam miseriam & malitiam generis humani.

Tradidit Deus illustribus testimonijs scripta Prophetica & Apostolica. Hæc nota sunt & amplecti ea omnes debebant. Sed multi volentes aspernantur. Quare impietas & ingratitudo puniuntur cœcitate & furoribus. Deinde intuentes tàm tristia exempla exitij maximæ partis generis humani, firmius amplectamur doctrinam Propheticam & Apostolicam, & simus memores dicti æterni Patris : Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Et assidua inuocatione Filij Dei nos doceri, gubernari & confirmari petamus. Ipse nos

ad sese vocat, inquiens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Quòd verò summa Imperia Mahometici diu tenuerunt, consolemur nos doctrina Euangelij, quæ ostendit Ecclesiam subiectam esse cruci, & non esse parem multitudini impiorum, iuxta dictum Prophetæ: Reliqui mihi populum pauperem in terra, inuocantem nomen meum. Et tamen erigamus nos articulo fidei: Credo esse Ecclesiam Catholicam qui affirmat esse aliquem mediocrem cœtum placentem Deo, & discamus, qui sit, & vbi sit ille cœtus, & nos in eum includamus, iuxta dictum: Plantati in domo Domini, in atrijs Dei nostri florebunt.

Forma etiam inuocationis nostræ discernat nos à Mahometicis & alijs impijs, & sit commonefactio de naturis in Christo, & proprijs eius beneficijs, ac læti verum Deum inuocemus fiducia Domini nostri IESV CHRISTI, & nos ab omnibus hostibus Christi seiungamus.

Intueamur etiam mente patefactiones Dei, hunc verum Deum certis testimonijs patefactum alloquentes, sicut primum præceptum dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: & adiungantur dicta de Filio: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum. In hac cogitatione & gratias agamus Deo, quòd nos veræ Ecclesiæ ciues fecit. Hac igitur forma vtor:

Omni-

OMnipotens, æterne, viue & vere Deus, æterne & vnice pater Domini nostri Iesu Christi, qui vnà cum Filio tuo coæterno Iesu Christo, & Spiritu tuo sancto creasti cœlum & terram, & homines & alias creaturas: sapiens, bone, verax, caste, iuste, iudex, liberrime & misericors, diligens & exaudiens nos, qui dixisti: Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat: Confiteor tibi me miserum peccatorem esse, & doleo, quòd offendite, ac supplex oro, vt miserearis mei, remittas mihi omnia peccata mea, & me iustifices & salues per & propter Filium tuum, Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluisti pro nobis esse victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, miranda sapientia & immensa bonitate, & sanctifica me Spiritu tuo sancto, viuo, casto & veraci. Collige inter nos Ecclesiam, & eam guberna, Da Ecclesiæ politias honestas & tranquillas, Da nobis victum, vires corporis, rege studia doctrinarum, & fac me vas misericordiæ, nec sim vas iræ. Mitiga pœnas publicas & priuatas propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum πρεσβεύοντα ὑπὲρ ἡμῶν, & propter tuam gloriam, vt te in tota æternitate celebremus, et tibi gratias agamus, Amen. Credo Domine, opem fer imbecillitati meæ. Sicut dixit Dominus noster Iesus Christus: Petite & accipietis.

Hæc inserui Historiæ, quia series rerum gestarum simul commonefactio est de doctrinis.

Porrò in historia Heraclij consideranda est & incesti coniugij pœna. Prior coniunx Heraclij fuit FABIA *Eudoxia, ex qua natus est filius, qui nominatus est* CONSTANTINVS *iunior, cuius posteri aliquot retinuerunt Imperium, quanquam nouerca ipsum veneno necauit, vt Imperium ad filium natum in coniugio incesto transferret. Nam Heraclius post mortem Fabiæ duxit fratris filiam* MARTINAM, *ex qua natus est* HERACLIONAS. *Hunc vt faceret Imperatorem mater, veneno tollit Constantinum, sexto mense postquam patri Heraclio successerat. Adiuuit hæc consilia* PYRRHVS *Patriarcha, qui oderat Constantinum rectè sentientem.*

Tenuerunt Imperium Martina & filius Heraclionas non toto biennio. Nam Senatus eos cepit, & matri linguam præscidit, ne oratione populum concitaret. Filio nares præcisæ sunt, & missi in exilium in Cappadociam, Ibi in carcere mortui sunt. PYRRHVS *Patriarcha ex fuga retractus & interfectus est.*

Hæ pœnæ secutæ sunt incestum coniugium, parricidium & impietatem.

Anno Mundi quatermillesimo, sexcentesimo quinto.

Anno

Anno Romæ millesimo, trecentesimo, nonagesimo sexto.

Anno Christi sexcentesimo, quadragesimo quarto.

CONSTANS.

CONSTANS *filius Constantini iunioris, nepos Heraclij, pulsa Martina incesta cum filio a Senatu factus Imperator: Tenuit Imperium annos viginti septem, infelix aduersus Saracenos, Domi fratrem Theodosium interfecit, & fauens Monotheletis, pios aliquos taxantes errorem occidit. Ipsius mandato Theodorus Calliopa Exarchus fraude cepit Martinum Romanum Episcopum, victumq; Constantinopolim misit, vbi Constans eum in Thraciam Chersonesum inclusit, in qua Martinus fame & squalore carceris aliquantò post extinctus est.*

Adeò autem creuerant res Saracenicæ ab initio regni Mahometici, quod collocatur in ANNVM CHRISTI SEXCENTESIMVM VICESIMVM TERTIVM: *Annum Heraclij decimum tertium, vsq; ad hunc annum Christi sexcentesimum, quinquagesimum quintum, Annum Constantis decimum tertium, vt iam classe ex Phœnicia missa Asiæ littora popularentur.*

Constans anno decimo tertio sui Imperij scribitur

Muthauia victus esse. Tunc & Rhodum Saraceni spoliarunt, vbi quæ de Colosso Solis narrantur, omitto, quia Plinius scribit, multò antè fuisse euersum tertæ motu. Sed prædæ magnitudo ex toto littore dedit occasionem illi fabulæ. Constans tandem & in Italiam venit, vbi victus à Longobardis cum eis inducias fecit, spoliataq; vrbe Roma in Siciliam redijt, vbi infelix Imperator perfusus feruente aqua in balneo strangulatus est.

Anno Mundi quatermillesimo, sexcentesimo, tricesimo secundo.

Anno Romæ millesimo, quadringentesimo, vicesimo tertio.

Anno Christi sexcentesimo, septuagesimo.

CONSTANTINVS.

CONSTANTINVS Barbatus seu Pogonatus cepit regnare, cùm Pater eum ante Italicam expeditionem consortem Imperij fecisset, & coronari iussisset. Regnauit annos decem & septem, felicior patre.

Saracenica classis tunc ad Byzantium vsq; accessit, vnde repulsa Cyzicum occupauit. Cumq; toto septennio in eo loco commoraretur, sæpe dimicatum est ad Byzantium, donec tandem Architecti Callinici arte ignes sub aqua facti naues Saracenicas incenderunt, qua re magna multitudine delecta, reliqui fugere coacti sunt. Ad Maleam, vbi contrarij flatus sæpe efficiunt turbines, reliquæ Saracenorum naues partim illisæ sunt scopulis, partim demersæ in mare. Cùm igitur circiter triginta millia Saracenorum perijssent, Dux Muthauia pacem à Romanis petit. Facta est igitur pax annos triginta.

Post hoc bellum noua gens Arctoa BVLGARI ad Mysiam inferiorem, quæ non procul à Byzantio abest, accesserunt, primumq; tunc celebrari nomen Bulgarorum cœpit, quos existimo dictos esse à Bolga fluuio, cuius fontes sunt non procul à Liuonia in paludibus Moscouiæ. Adeò autem crescit fluens versus Orientem, vt viginti quinq; nauigalibus ostijs influat in mare Caspium. Cùm autem Bulgari Romanum exercitum vicissent, Imperator pacem cum eis fecit, deditq; eis sedem in Mysia inferiore, quæ nunc quoq; Bulgaria dicitur.

Anno duodecimo huius Constantini Barbati, videlicet anno Christi sexcentesimo, octuagesimo primo, Synodus οἰκουμενικὴ, ab Imperatore conuocata est Byzantium, quæ nominatur Sexta, in qua de contagijs Samosateni disputatum est. Erant enim qui contendebant in Christo tantùm esse vnicam voluntatem, qui ideo Monotheletæ nominati sunt. Hi tectè significabant hoc quoque: se sentire vnicam tantùm esse in Christo naturam.

Huius Synodi mentionem rursus faciam, cùm infrà de Ecclesia eius temporis dicam. Decessit placidè Constantinus Imperator, facta pace in Imperio Orientis & in Ecclesia.

Anno Mundi quatermillesimo, sexcentesimo, quadragesimo nono.

Anno Romæ millesimo, quadringentesimo, quadragesimo.

Anno Christi sexcentesimo, octuagesimo septimo.

IVSTINIANVS.

IVSTINIANVS *filius Barbati factus Imperator à patre, tenuit imperium annos decem ante exilium, deinde restitutus regnauit annos sex. Fuit vltimus stirpis Heraclij, inquietus, crudelis & infelix. Ac multarum ei calamitatum causæ fuerunt duo eius domestici assentatores & Sycophantæ, qui nimiam potentiam sibi sumserunt, vt apud Theodosium Iuniorem Eutropius, quem Gorgonem cognominarunt. Horum Sycophantarum alter fuerat Monachus nomine* THEODOSIVS, *cui cùm summam autoritatem tribueret, nomin auit eum Generalem. Alter* STETHANVS *non[illegible]ur Sacellarius, qui rexit consilia de Religione, e[illegible]i matrem Imperatoris verberare ausus est. Hi du[illegible]dsentatores crudelitatem in Duces exercebant: LEONTIVM Ducem biennio in carcere retinuerunt, qui cùm euasisset ex carcere*

carcere adiuuante Patriarcha, factus est Imperator. Hic Iustiniano nares præcidit, eumq; Chersonam relegauit, cùm annos decem Imperium tenuisset. Duos Sycophantas aulicos Theodosium & Stephanum funibus ad pedes alligatis per vrbem traxit, postea combussit.

Hic exitus aulicorum Sycophantarum fuit non mitior, quàm Seiani apud Tiberium, apud Seuerum Platiani, apud Theodosium iuniorem Eutropij. Nec diutius triennio Leontius Imperium tenuit. Nam TIBERIVS ATSIMARVS, *qui rediens cum exercitu ex Africa pulsus à Saracenis, metuens Leontium, à suo exercitu dictus est Imperator. Hic Leontium truncatis naribus in Monasterium inclusit. Contra Saracenos in Syriam misit fratrem Heraclium, qui aliquantisper eos repressit.*

Tenuit Imperium annos septem. Redijt autem Iustinianus adiutus à Bulgaris, qui Leontium & Apsimarum per forum vinctos duci iussit, & prostratis coram ipso colla calcauit, deinde eis capita præcidit. Callinico Patriarchæ oculos effodit. Heraclium fratrem Apsimari suspensum strangulauit. Cùm autem aduersus Chersonem classem misisset, exercitus PHILIPPICVM BARDANEM *Imperatorem fecit, qui properans ad Constantinopolin, Iustinianum & filium eius Tiberi-*

berium abstractos ab ara occidit. Ita tres Imperatores exiguis interuallis occisi sunt.

Anno Mundi quatermillesimo, sexcentesimo, septuagesimo quinto.

Anno Romæ millesimo, quadringentesimo, sexagesimo sexto,

Anno Christi septingentesimo, decimo tertio.

PHILIPPICVS BARDANES.

PHILIPPICVS BARDANES factus Imperator ab exercitu, qui à Iustiniano defecerat, Tenuit Imperium annos duos, deleuit imagines in templis. Sextæ Synodi decreta oppugnauit, & Monotheletas rursus defendit. Sed Artemij Secretarij consilijs oculis priuatis in carcerem est coniectus est.

Anno Mundi quatermillesimo, sexcentesimo, septuagesimo septimo.

Anno Romæ millesimo, quadringentesimo, sexagesimo octauo.

Anno Christi septingentesimo, decimo quinto.

ARTEMIVS,

ARTEMIVS, qui nominatur ANASTASIVS Secundus, tenuit Imperium annum vnum

vnum, & tres menses, vir eruditus. Fuerat enim inter Secretarios præcipuus, cumq; amans esset concordiæ in Ecclesia, repressit eos, qui sextam Synodum oppugnabant, sed in bello infelix fuit, quia exercitus corrupti seditionibus proximorum Imperatorum, cùm licentiam frenari ægrè ferrent, THEODOSIVM ADRAMITTENVM Imperatorem fecerunt, qui pulso Artemio & in Monasterium incluso, tenuit Imperium non amplius vno anno, idq; volens cessit LEONI ISAVRO. Sed Artemius post annos aliquot, collecto ex Bulgaris exercitu, recuperare Imperium conatus est, verùm proditus Leoni interfectus est.

Anno Mundi quatermillesimo, sexcentesimo, octuagesimo.

Anno Romæ millesimo, quadringentesimo, septuagesimo primo.

Anno Christi septingentesimo, decimo octauo.

LEO TERTIVS.

LEO TERTIVS hoc nomine, ISAVRVS CONON antea, nominatus, rexerat Alanos. Postea ab Artemio contra Saracenos missus, cùm audiuisset contra Artemium factum Imperatorem Theodosium, ipse tanquam defensurus Artemium redit in Nicomediam, & capto filio Theo-

Theodosij, paciscitur cum patre, vt Imperio cedat. Ita Leo Isaurus sibi Duces & exercitus omnes iurare iubet. Tenuit Imperium annos viginti quinq.

Dignissima verò consideratione sunt huius Leonis Isauri tempore bella Saracenica, quæ legentes tempora considerent, quàm celeriter potentia Saracenica creuerit, & quàm triste exemplum sit, tot gentes fascinatas à Diabolis subita amentia deficere à Filio Dei. Clarè enim in hac historia conspicitur, verum esse Sophoclis:

ταχεῖα πεσὼν τῶν κακῶν ὀδὸς πρόσω.

Agnoscamus autem & diuinitùs depulsos esse à Gallia Saracenos pulcerrimis victorijs CAROLI MARTELLI Ducis Brabantiæ, qui fuit auus Caroli MAGNI Imperatoris.

At tempora primùm conferantur. Mahomet cœpit regnare anno sexcentesimo, vicesimo tertio Christi. Ab hoc anno vsq; ad initium Leonis Isauri, videlicet vsq; ad annum Christi septingentesimum, decimum octauum, sunt anni centum & quinque. Intra hoc spacium Mahomet & successores eius, qui Saraceni & Agareni nominantur, potiti sunt Arabia, Palæstina, Syria, Persia, Ægypto, Africa. Traiecerunt & ex Africa in Hispaniam, quam cùm decem annos tenuissent, in Galliam vsq; ad Turonum trecenta & septuaginta millia Saracenorum infusa sunt. Alibi verò progressi in immen-

rem Asiam, obsiderunt regnante Constantino Barbato Byzantium, circiter annum sexcentesimum septuagesimum quartum, vnde repulsi redeunt cum maiore classe sub Leone Isauro, post annos circiter quadraginta, videlicet Leonis Isauri initio. Tunc rursus biennio Constantinopolim obsident Duce Masgada, sed rursus singulari ope diuina repulsus est. Nam Saracenicus exercitus fame & pestilentia periit. Naues fulminibus submersæ sunt, aliquæ ignibus arte sub aqua factis incensæ sunt. Ita rursus aliquantisper Saraceni repressi sunt, ne Asia minore & Byzantio potirentur.

Sed maiora bella duo in Gallia nata sunt. Primùm enim in Galliam Rex ABIDERAMVS duxit multitudinem Saracenorum, cuius numerus traditur fuisse triginta millia hominum. Hunc EVDO VVestgottus Aquitaniæ Dominus contra Francos attraxerat. Iamq; Burdegalam Saraceni vi captam diripuerant, & vsq; ad Turonum magna multitudine Christianorum trucidata peruenerant. Erant in summo periculo Gallia & Italia.

Relictis igitur bellis Saxonicis & Frisiacis Carolus Martellus Dux Brabantiæ, robur regni Francici ducit contra Saracenos. Clàm etiam ab Eudone petit, ne Christianum nomen in Europa deleri sinat, eumq; monet, vt relicta societate Saracenorum coniungeret se cum Francico exercitu,

tu. Prælio igitur facto, Deo iuuante vincit Caroli Martelli exercitus, & tota illa multitudo Saracenorum trucidatur, perijt in acie rex Abidiramus.

Hac tanta claude accepta Saraceni, tamen nondum quieuerunt. Nam aliquantò pòst rursus ex Hispania duo ingentes exercitus Saracenici in Galliam effusi sunt, freti societate VVestgottorum in Aquitania & Narbonensi Gallia. Rex Saracenorum Athinius cum magna classe Galliam Narbonensem inuasit, & Auinionem subita vi cepit, eamq; belli arcem fecit. Hanc obsidione cinctam rursum Carolus Martellus magna cum difficultate expugnatam recipit, & Saracenos magno numero trucidato expellit. Rex Athinius cum parte copiarum in naues fugiens, Narbonem delatus est. Hanc vrbem cum obsideret Carolus Martellus, alter rex Saracenorum Amorræus, vt circumsessis opem ferret, ex Hispania venit. Properat Carolus, ne hostium exercitus coniungantur, & in valle Carbona ad fluuium Birram cum Saracenis dimicat. Ibi inter primos occiso Amorræo acies perculsa morte Regis fugere cœpit, exercitus partim in flumine submersus est, partim trucidatus.

Cognita Amorræi clade Athinius ex Narbone cum suo exercitu fugit, & præda ex Insulis Liguriæ victis auecta, in Hispaniam rediit: Narbonam

bonam Carolus, ne VVestgotti inde noua bella molirentur, deleuit.

Repressi his cladibus Saraceni, qui se Gallia & Italia potituros esse sperauerant, deinde semper inter Pyrenæos montes se continuerunt. Nec existimo bellum vtilius & difficilius post id tempus vllum gestum esse. Quia non solùm Galliæ vastatio, sed etiam propagatio Mahometicæ impietatis in reliquam Europam prohibita est. Quid est autem melius, quàm simul & tot ciuium corpora & familias defendere, & in præsentia & ad posteritatem manifestas blasphemias depellere?

Hæ sunt iustæ & magnæ causæ, cur viri fortes arma induant, vt in Symbolo Hispanicus Rex ALTHONSVS auem Pelecanum sibi pectus fodientem, & sanguine suos pullos alentem pinxit, & adscripsit: PRO LEGE ET PRO GREGE, significans has duas esse iustas bellorum causas: Depulsionem latrociniorum à corporibus, & depulsionem blasphemiarum.

Profuit autem etiam hæc victoria in Hispania, quia reliquiæ Christianæ ex gente Gottica retinuerant loca horridiora vicina Pyrenæis montibus, Cantabriam & Austriam, inde progressæ paulatim domitis Saracenis recuperauerunt Hispaniam. Ex illis Gotticis reliquijs orta est stirps

proximorum Regum Hispanicorum, ex quibus materna origo est CAROLO Imperatori.

Agnoscamus igitur Dei beneficia, & ei gratias agamus subinde restituenti mediocrem statum, sicut nunc CAROLVM MARTELLVM ad iusta bella excitauit, & consilia & dextram eius rexit. Fuitq; propter has victorias mediocris pax Europæ annos circiter centum, regnantibus Pipino, Carolo magno, & Ludouico Pio. Horum etiam Principum virtutem celebremus, qui fuerunt organa Dei, & non contumaciter ei repugnarunt, sicut faciunt Tyranni, qui volentes iusticiæ suas cupiditates anteferunt.

Vt autem, qui fuerit CAROLVS MARTELLVS, consideretur, sciendum est in Historia Francica Maiores Domus nominari, qui fuerunt post Reges summi gubernatores aulæ vel regni, vt nos dicimus Hoffmeister, illi dixerunt Haußmeier, quòd Latini Scribæ interpretati sunt, Maiorem Domus. Hunc gradum dignitatis Regi proximum tenuit Martellus, cùm esset Dux Brabantiæ. Iuuenem nouerca VVolrada mortuo Pipino patre carceri inclusit in Colonia Agrippina, inde tamen diuinitùs euasit. Recuperata dignitate paterna compescuit Frisios. Deinde in Aquitania vicit Eudonem. Postea Francici Principes regnum ei obtulerunt, quod recipere noluit, contentus paterna

terna dignitate. Deinde Saracenos infusos in Galliam magnis prælijs deleuit, in quibus auxilia habuit Regis Longobardorum Lutbrandi, Ludfridi Ducis Alemanorum, & Odillonis Ducis Bauariæ.

Ex tot gentium fortißimarum auxilijs æstimari potest, magnum Europæ periculum à Saracenis fuisse, singulari etiam sapientia tot gentes coniunctas esse ad tanti belli societatem, in quo rectè de Martello dici potest, vt de Themistocle dictum est: Victos esse ab eo Persas fortitudine, socios vero lenitate. τοὺς μὲν πολεμίους ἀνδρείᾳ, τοὺς δὲ συμμάχους εὐγνωμοσύνῃ νικᾶν.

Tanta igitur eius autoritas fuit, vt cùm Lutbrandus Rex Longobardorum vrbem Romam obsideret, & Romanus Episcopus auxilium peteret, Carolus Martellus tantùm Legatione missa perfecerit, vt Longobardus ab vrbe Roma discederet, ac cum Episcopo Romano pacem faceret.

Tenuit paternam dignitatem annos viginti sex. Decessit anno Christi septingentesimo, quadragesimo primo, vndecimo Calendas Nouembris non multò ante mortem Imperatoris Leonis Isauri. Sepultus est autem inter Reges Francicos in æde Dionysij, & sepulchro additum est hoc Epitaphium:

Ille Brabantinus Dux primus in orbe triumphans
Malleus in Mundo specialis Christicolarum:
Dux Dominusq; Ducum, regum quoq; Rex fore spernit:
Non vult regnare, sed Regibus imperat ipse.

Hæc de Saracenis, & de Caroli Martelli victorijs, & excellenti virtute nolui omittere, quia harum tantarum rerum consideratio propter multas grauissimas causas vtilissima est. Nunc ad Leonis Isauri postremum actum accedo.

Cùm repulsis à Byzantio Saracenis LEO ISAVRVS *aliquid ocij nactus esset, edictum proponit, quo iubet deleri imagines in Templis. Inde nominatus est* εἰκονόμαχος. *Omitto fabulas, quæ narrant eum à Iudæis incitatum esse. Hæc res adeò ingrata fuit Romano Episcopo Gregorio tertio, vt fulmen excommunicationis contra Leonem Isaurum propter* εἰκονομαχίαν *ediderit, prohibuerit etiam in Italia tributa ei solui.*

Hæc initia fuerunt coniunctionum & fœderum Pontificiorum cum Francis. Erant alioqui magno in odio Græci Imperatores, & Exarchi magnam crudelitatem in Italia exercebant. Florebant autem FRANCI *non solùm potentia, sed etiam fama iusticiæ & pietatis. Ideo defensio ab eis postea aliquoties petita est, sicut vsitatum est contra Tyrannos*

rannos vicinam defensionem quærere, & scriptum est: Propter iniusticiam regna transferuntur. Tunc verò & prætextus religionis accessit, quòd Leo Isaurus, & deinde filius imagines & statuas delebant.

Anno Mundi quatermillesimo, septingentesimo & quarto.
Anno Romæ millesimo, quadringentesimo, nonagesimo quinto.
Anno Christi septingentesimo, quadragesimo secundo.

CONSTANTINVS.

CONSTANTINVS *Copronymus filius Leonis Isauri, viuo Patre coronatus est à Patriarcha, cui nomen fuit* GERMANVS. *Tenuit Imperium annos triginta quinq;. Nominatus Copronymus, quòd infans in sacro Baptismi ritu in aquam Baptismi stercus ex ventre eiecit. In delendis imaginibus templorum vehementior fuit patre. Ideo contra eum factus est Imperator consensu Patriarchæ et nobilitatis* ARTABASDVS, *quem prælio victum post biennium Copronymus cepit, & ipsi & duobus eius filijs oculos effodit. Patriarcham verberare iussit, & impositum asino conuersa facie ad caudam, quam manibus teneret, circumuehi. Cum Bulgaris varia gessit*

bella. Tandem postquam variam crudelitatem exercuit, morbo mortuus est.

Ipsius tempore desijt Exarchatus in Italia, & Pipinus filius Caroli Martelli, cùm fuisset Maior domus annos decem, consensu procerum factus est Rex Francorum, anno Christi septingentesimo, quinquagesimo primo.

Scribitur Romani Pontificis Zachariæ autoritate proceres iuramento liberatos coëgisse Hildericũ, vt Regium nomen deponeret. Hilderico in Monasterium incluso Pipinum Bonifacius Sueßione coronauit. Deinde Pipinus bis in Italiam vocatus est contra Longobardorum Regem Astulfum. In vtraq; expeditione modestia Pipini verè heroica fuit, quam fortassis eò maiore cura præstitit, quia fuit educatus apud Regem Lutebrandum. Ideo sic consuluit paci, vt regnum Longobardorum non deleuerit, ac ne quidem vestigium in Italia occupauerit.

In priore expeditione cùm Astulfum Ticini circumsessum coëgisset promittere pacem, datis obsidibus, hac pactione contentus mox in patriam rediit. Sed Astulfi ferocia magis irritata quàm repressa fuit. Post abitum Pipini Astulfus contra pacta maius bellum mouet, ducit exercitum ad vrbem Romam, & obsidet eam tres menses. Cùm autem Pipinus redijsset in Italiam, relinquit obsi-

obsidionem Romæ Astulfus, metuens regno Longobardico. Hic magis conspicitur modestia Pipini: Tantùm priores conditiones pacis seruari postulat, nihil contentum esse paterno regno, & abstinere ab vrbe Roma, & à reliqua Italia. Nec verbis contentus est Pipinus, vt antea, sed manet in Italia, donec præsidia Astulfus ex vrbibus, Rauenna & alijs deducit.

Fabula verò de donatione, quàm à Pipino factam esse aliqui narrant, manifestè refutatur ex Ludouici pij historia, qui distinxit Italiæ vrbes, quas vellet esse Imperatoris. Reddidisse Pontifici eas, quas ei Longobardi ademerant, consentaneum est. Fortassis & in Latio aliquas addidit, cæteras voluit esse liberas.

Cùm discessisset ex Italia Pipinus, ducit exercitum contra Saxones & Bauaros. Rex Bauaricus Tassillo sine dimicatione redijt in gratiam cum Pipino, qui iussit eum retinere regnum. Erat enim sororis Pipini filius. Sicut in Italia ostendit Reges decere iusticiam & modestiam: ita & in Germania modestiæ exemplum ostendit. Saxonibus aciè victis etiam ita pax data est, vt suo contenti nihil adimerent regno Francico, & suis legibus viuerent, tantùm quotannis adducerent ad Regem Francicum trecentos bellatores equos.

A Pipino etiam scribunt summum Iudicium

in Gallia, quod PARLAMENTVM nominant, Lutetiæ initiò constitutum esse, quod sapientia Iudicum, ordine cognitionis, seueritate executionis longè antecellit omnibus iudicijs in genere humano. Hæc verò Heroica sunt, iusta bella gerere, & in victoria iusticiam & modestiam retinere, & legitima iudicia profutura toti posteritati constituere. Hæc præcipua sunt, quæ in Occidente Copronymi tempore acta sunt. Interea in Oriente ex Portis Caspijs effusi Turcæ in Colchicam & Armeniam irruperunt, vbi & cum Saracenis præliati sunt. Hanc fuisse causam existimo, cur Saraceni aduersus Copronymum nihil memorabile egerint.

Etsi autem Mauricij tempore bella gesserunt Turcæ contra Persas: tamen quia tunc à Persis repressi sunt, ea eruptio minus celebris est, quàm hæc secunda, in qua primùm Saracenica arma experti sunt, quæ in tempora Copronymi & Pipini incidunt. Sunt autem montes Caspij vicini Iberiæ, vbi nunc quoq; sunt vberes venæ metallicæ. Quare dictos esse existimo quasi argenteos, quia Keseph argentum significat. Quando autem Turcæ Saracenis eripuerint Imperium Asiæ, postea dicemus.

Anno Mundi quatermillesimo, septingentesimo, tricesimo nono.

Anno

Anno Romæ millesimo, quingentesimo, tricesimo.

Anno Christi septingentesimo, septuagesimo septimo.

LEO QVARTVS.

LEO QVARTVS Copronymi filius patri successit. Tenuit Imperium annos quinq. Coronatus à Patriarcha viuo Patre, qui ei despondit Coniugem IRENEN Athenienſem. Patrem imitatus est in delendis imaginibus. Exercitum in Syriam misit, qui magis irritauit Saracenos, quàm repressit. Nam aliquantò pòst Irene pacem cum Saracenis fecit promisso tributo. Filium puerum coronari à Patriarcha curauit, nec multò pòst febre pater extinctus est.

Anno Mundi quatermillesimo, septingentesimo, quadragesimo quarto.

Anno Romæ millesimo, quingentesimo, tricesimo quinto.

Anno Christi septingentesimo, octuagesimo secundo.

IRENE.

IRENE cum filio adolescentulo simul regnat annos decem. Postea domesticæ discordiæ varias

confusiones pepererunt. Sed hæc prima gubernatio Irenes fuit tranquillior. Anno igitur septimo Synodus οἰκουμενικὴ Niceæ congregata est, quæ nominatur SETTIMA, in qua decretum factum est de restituendis imaginibus. Nec ea res sine magno tumultu acta est. Cùm Episcopi & Doctores in templo Byzantij consedissent ad dicendas sententias, magna multitudo irrumpens dissipauit eos armis, quia nolebat statuas & imagines restitui, ne impij cultus & inuocationes statuarum aut hominum confirmarentur.

Erat autem Eunuchus Irenes ÆTIVS qui præcipua consilia aulæ regebat, & hoc agebat, vt Irene nuberet suo cognato Præsidi Thraciæ. Suasit igitur, vt ad comprimendam seditionem Præses ille cum suo exercitu accerseretur. Hoc vocato ciuibus arma ademta sunt, & multi impositi in naues passim in Insulas missi sunt.

Deinde Synodus translata Niceam ex sententia Romani Episcopi Decretum condidit, vt statuæ & imagines restituerentur.

Postea cùm filius Constantinus natus annos viginti regere Imperium suis consilijs vellet, & quosdam matri addictos remoueret, ipsa cum suis sollicitauit partem exercituum, vt iurarent se filium non admissuros esse ad Imperium. Sed Armeniaci

niaci exercitus rem iniustam detestantes filio iurauerunt, quorum exemplum deinceps & cæteri omnes secuti sunt: Nec tamen finis fuit insidiarum. Cùm annos septem regnasset Constantinus, mater nacta occasionem, quòd filius vxorem dimiserat, & in Monasterium incluserat, & aliam duxerat, mittit certos homines, qui filium caperent. Hi capto effoderunt oculos, qua ex re post paucos dies dolore extinctus est.

Irene postquam filius oppressus est, regnauit sola tantùm tres annos. Intra hoc triennium cùm Græci non solùm despecti essent propter muliebre Imperium, sed etiam inuisi propter multorum temporum tragica exempla, & propter recentem matris crudelitatem erga filium, & ipsius patruos, & Italia defensione indigeret contra Longobardos & seditiones: nã & Romæ Pontifex per seditionem captus & verberatus fuit: accersitus est CAROLVS propter iusticiã & cæteras virtutes præsertim cùm et antea iusticiam & modestiam Caroli Martelli & Pipini Italia experta esset. Ita cum nomine Imperatoris gubernatio Italiæ ad Carolum Magnum translata est. Fuitq; pulchra coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ.

Omissis igitur Græcis Imperatoribus, quorum pleriq; fuerunt Tyranni, & postremi tandem domesticis discordijs Turcas attraxerunt, breuiter recita-

recitabo res gestas nostrorum Imperatorum, quorum initia læta fuerunt, & Italiæ & Germaniæ salutaria. Postea discordijs Pontificum & Imperatorum huius Imperij potentia & autoritas languefacta est.

ECCLESIASTICA EIVS TEMPORIS.

IMperatorũ Mauricij et Phocæ tempore fuit Gregorius Romanus, Episcopus primus eius nominis qui vt vir Romanus politica negocia multa egit. Sed duas res in Ecclesia pernicioſas auxit, Inuocationẽ hominum mortuorum, & sacrificia pro mortuis, quæ duæ res horribiliter nocuerunt Ecclesiæ, vt alibi copiosè exponitur.

In Heraclij tempora, vt suprà dixi, incidunt initia horrendæ blasphemiæ Mahometicæ & regni Saracenici, quod eas blasphemias multiplici crudelitate propagauit.

Post Heraclium Constantinus Quintus, natus ex Constante filio Constantini, filij Heraclij, Synodum vocauit Byzantium, quæ nominatur Sexta Synodus οἰκουμενικὴ, in qua damnati sunt, qui contendebant tantùm vnicam in Christo voluntatem esse. Vnde & μονοθελῆται nuncupati sunt. Quomodo pinxerint errorem non scribitur, sed contagia Samosateni aut Nestorij fuisse existimo, de quibus suprà dictum est.

Sciant

Sciant autem studioſi de hac quæstione in Petri Longobardi commentarijs lib. 3. distinctione decima septima disputari, vbi consideratio horum quatuor graduum in Christo vtilis est, videlicet appetitionum cibi & potus, affectuum, qui sunt proprij neruorum, vt dolorum in laceratione corporis, Deinde affectuum cordis. Tertius gradus est voluntatis, quæ est propria naturæ humanæ.

Hos gradus in CHRISTO esse manifesta testimonia ostendunt, sed sunt ordinati omnes, & sine peccato, nec ruunt extra Legem Dei. Sitio inquit: quod primi gradus est. Secundi gradus sunt dolores in laceratione corporis. Nec enim imaginandum est, Christum fuisse scopulum, cùm quidem ipse dicat: Tristis est anima mea vsq; ad mortem. Et nerui ordine naturæ sentiebant destructionem. Sic & cor ordine naturæ sine peccato sentiebat destructionem.

Hi dolores Neruorum & cordis aliquo modo ad animam quoq; penetrant, sicut dicit: Non sicut ego volo. Non sunt peccata, sed tantùm cruciatus patientis Christi, sicut ipsa mors: & concurrebant ad Neruorum & cordis sensum alij dolores in Christo, qui animam feriebant: sensus iræ Dei aduersus peccata generis humani, iuxta dictum: Iniquitates eorum ipse portabat: Interea tamen voluntas humana in Anima Christi retinet firmitatem

tem

tem propositi, & se ad obedientiam offert: Non vt ego volo, sed vt tu vis. Ita manet Harmonia & congruentia cum Deo.

Testimonium verò de voluntate, quæ est propria diuinæ naturæ in Christo, firmum est. Nemo nouit patrem nisi filius, & cui vult reuelare filius ὧ ἐὰν βούληται υἱὸς ἀποκαλύψαι. Id velle est naturæ diuinæ, quæ cum Patre & elegit Ecclesiam, & est in ea efficax. Diligenter autem & ob hanc causam id dictum considerandum est, quia refutat Samosatenum, & testatur τὸν λόγον esse ὑφιστάμενον.

Hanc breuiter attigi, vt considerent Studiosi disputationem illius temporis res grauissimas complexam esse, quas cognitare ad agnitionem & inuocationem Christi vtile est, & alit eruditionem hæc consideratio.

Tempore Irenes Synodus, quæ nominatur Septima οἰκουμενικὴ, in vrbem Niceam translata est, quæ decretum fecit de statuis & imaginibus restituendis. De qua controuersia addo disputationem. Sed manifestum est cultum Idolorum cumulatum esse statuis.

Fuit Pipini temporibus in Germania Bonifacius, cuius Epistola extat, quæ ostendit eum in Turingia & vicinis locis multos Ecclesiarum abusus emendare conatum esse. Queritur crebra esse adulteria Sacerdotum, & pœnam sancit deprehenso, carcerem

carcerem vnius anni. Prohibuit & Ethnica sacrificia, vt ipse nominat, quæ dicebant se Sanctis facere. Existimo barbarica conuiuia fuisse. Prohibuit & Magica quorum vbiq; apud Ethnicos magnus vsus fuit. Scribit ad Anglicum Regem, quem obiurgat propter adulteria, Gentem Saxonicam etiam antequàm audiuit doctrinam Ecclesiæ, adeò detestatam esse stupra & adulteria, vt stupratas & adulteras strangulatas, deinde cremauerint: Ac supra Rogos suspensos et vstulatos esse stupratores & Mœchos, donec morerentur. Hæc seueritas in pœnis stupri & Adulterij digna memoria est, vt commonefacti magistratus hoc exemplo, hac ipsa in re sint seueriores, sicut Deus præcipit, qui leges castitatis tradidit, & earum legum contemtum horribiliter punit, vt pœna Dauidis & alia exempla omnium temporum ostendunt. Tandem Bonifacium à Frisijs occisum esse scribitur. Corpus doctrinæ ipsius integrum non extat, sed consentaneum est Gregorij doctrinam & exempla secutum esse. Precor autem Filium Dei, vt

semper Ecclesiam in his regionibus colligat,
& ipse eam gubernet & protegat, Amen.

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
DOM
c 519457